
3 1761 06587751 6

EXCURSUS

AD SIBYLLINA,

SEU DE SIBYLLIS, EARUMQUE VEL TANQUAM EARUM CARMINIBUS

PROFANIS, JUDAÏCIS, CHRISTIANISVE,

DISSERTATIONES VII,

INSERTIS GRÆCE ET LATINE, COMMENTARIOQUE AUCTIS

SIBYLLINORUM GENTILIUM FRAGMENTIS QUÆ SUPERSUNT,

CURANTE C. ALEXANDRE.



PARISIIS,

APUD FIRMIN DIDOT FRATRES,

VIA JACOB, 56.

MDCCCLVI.



EXCUDEBANT FIRMIN DIDOT FRATRES,
Instituti Franciæ typographi, via Jacob, 56.

AD SIBYLLINOS LIBROS

EXCURSUS I.

DE SIBYLLIS.

Sibylla vox est græca ex antiquissima dialecto æolica, in qua σιός, seu potius retracto accentu σίος, idem quod θεός, et βόλλα seu βύλλα idem quod βουλή sonuit. Sane vox σιός apud Dores etiam, Æolibus cognatos, diu mansit, apud Lacones præsertim, teste non semel in comœdiis Aristophane; videmusque eam in componendis æolicis doricisque nominibus eodem plane modo quo in Sibyllæ nomine usurpari, contractam videlicet in σει vel σι, producta tamen sæpius quam correpta syllaba: qualia sunt Σειδέκτας pro Θεοδέκτης, Σείπομπος pro Θεόπομπος, Σείτιμος pro Θεότιμος, in inscriptionibus Laconiæ, et hæc antiquiora apud Æoles, Σίσυφος pro Θεόσοφος, Σίπυλος (cum ι brevi) pro Θεόπολος, aliaque fortasse similia. Βόλλα autem æolicum pro βουλή agnoscitur a Varrone apud Plutarchum, Quæst. Rom. t. VII, p. 158, ed. Reisk., legiturque in Cymæa inscriptione apud Caylum, Antiq. t. II, tab. 57, lin. 25 : ΔΕΔΟΧΘΑΙ ΤΑ ΒΟΛΛΑ ΚΑΙ ΤΩ ΔΑΜΩ, et in aliis item duabus a Kœnio citatis ad Greg. Cor. p. 82, seq. : quod æque βύλλα esse antiquitus potuit, tum quum Æoles, multum de Pelasgis retinentes, ο et υ literis promiscue fere utebantur, unde reliquæ istæ vocum formæ, ὄνυμα pro ὄνομα, ὔρνις pro ὄρνις, ὔμοιος pro ὅμοιος, ἀπύ pro ἀπό, etc. Ipsa illa liquidæ literæ geminatio cum vocalium correptione prorsus æolicum sonat, ut Μύριννα idem quod Μυρίνη, Φίλιννα quod Φιλίνη, etc. Nota hæc omnia e grammaticis. Σίβυλλα igitur quasi Θεοβούλη, mulier est Dei consiliorum particeps, id est, præsaga et fatidica. Habet hoc etymon Varro apud Lactantium, Div. Inst. lib. I, cap. 6, probatum Hieronymo, adv. Jovin. lib. I, § 41; Servio ad Æn. III, 445, et VI, 12; Isidoro, Origin. lib. VIII, cap. 8; nec a Varrone primo, nisi fallimur, excogitatum, sed ab antiquioribus, incertum quibus, Græcis auctoribus acceptum; nam eodem respexisse constat Diodorum et Arrianum, qui profecto

græci nominis etymologiam a Romanis petituri non erant : Diodorum quidem, Biblioth. IV, § 66, ed. Bip., ubi ait verbo σιβυλλαίνειν in glossis, id est, antiqua lingua, designari divinum œstrum, τὸ ἐνθεάζειν κατὰ γλῶσσαν ὑπάρχειν σιβυλλαίνειν· Arrianum vero apud Eustathium ad Iliad. 6, 814, ubi Sibyllas ait ita cognominatas ob Dei moventis instinctum, διὰ τὴν θεοφορίαν τυχούσας τῆς ἐπικλήσεως. Sunt in eamdem rem alia Græcorum testimonia, sed recentiora eoque minoris fidei; et huic profecto sententiæ suffragati sunt librarii qui in Constit. Apost. lib. V, cap. 7, Ἄβυλλα pro Σίβυλλα quasi per contemptum scripserunt. Ea nunc omittimus quæ palam e latinis Lactantii in græcam linguam versa sunt, quale est fragmentum apud Suidam, v. Σίβυλλαι, et alibi passim obvium : Σίβυλλα ῥωμαϊκὴ λέξις ἐστὶν, ἑρμηνευομένη προφῆτις, ἤγουν μάντις, ὅθεν ἑνὶ ὀνόματι αἱ θήλειαι μάντιδες ὠνομάσθησαν. Cujus testimonii originem opportunius inquiremus in Exc. V. Interim notari satis sit græculi inscitiam, cui ῥωμαϊκὴ λέξις est quæ potius αἰολικὴ dicenda erat, non tamen sine aliqua excusatione, quod latinæ linguæ priscam fuisse cum æolica dialecto cognationem, omnes sciant.

At quam refert Pausanias, Phocic. cap. 12, Delphorum quorumdum opinionem, qui Σίβυλλαν, tanquam Λίβυσσαν, ab Afris dictam existimabant, nec probari nec excusari posse, monstrabimus infra, cap. 13.

Alias recentiorum conjecturas de ejusdem vocis etymo, e græcis fontibus nimis remotis detortas, confer apud Fabric., Biblioth. gr. t. I, p. 233, ed. Harl.

De eorum vero cavillationibus, qui nominis græci vel hebraicas vel alias orientales, vanas omnes, etymologias finxerunt, satius est reticere quam cum umbra luctari. Confer, si vacat, Gallæum de Sibyll. t. I, p. 2, sq.; Perizon. ad Ælian., p. 725; Fabric., l. cit.

Stet igitur Varronis sententia, jure nunc omnibus doctis probata: ex qua tamen sequitur convenisse illam Sibyllæ appellationem omnibus fatidicis mulieribus, sicut expresse Lactantius ex Varrone tradit, lib. I, cap. 6 : « Quod omnes [feminæ] vates Sibyllæ sint a veteribus « nuncupatæ, » et Suidas, v. Σίβυλλαι, l. jam cit., et idem, v. Βρούτιδες· Πάσας δὲ τὰς ἐνθουσιώσας Σιβύλλας ἐκάλουν. Quum tamen illa designatio, fatidicis quibuslibet apta, non tamen ad omnes pervenerit (multæ enim, ut Peleades, Phemonoë, Phaënno, aliæque, teste Pausania, loc. cit., antiquitus eo nomine caruerunt), quæri potest cur his potius quam illis adhæserit proprium quasi nomen e communi factum. Haud facile judicium de ea re statui potest, quum vix quidquam definiri queat, quod inter fatidicas mulieres Sibyllis omnibus solisque conveniat.

Quippe temporibus, locis, natione, lingua diversissimæ feruntur. In antris ac speluncis nonnullæ quidem habitasse traduntur, Erythræa, Cumana, Sicula, fortasse Colophonia et Libyca; sed quid reliquæ? Claræ vulgo fuerunt virginitatis fama, eumque communem omnibus titulum facit Hieronymus, adv. Jovin. loc. cit. : « Quid referam, inquit, Sibyllas, Erythræam atque Cumanam et octo reliquas « (nam Varro decem fuisse autumat), quarum insigne virginitas est « et virginitatis præmium divinatio? » Sed eam tamen laudem sibi non vindicant Carmenta Evandri et Manto Tiresiæ mater, nisi dicas Sibyllis falso eas annumerari. Fuerint tamen omnes virgines : an non Peleades quoque et Phemonoë et Pythiæ omnes eodem jure Sibyllæ dici potuerunt?

Rectius aut certe speciosius excogitavit Petr. Petitus, de Sibyll., lib. III, cap. 1, sq., probante Fabricio, p. 237, Sibyllas proprie dictas fuisse quæ non tantum consulentibus responderent, sed divino instinctu per urbes discurrerent aut repente in aliquo populo exsisterent futurorum ultro prænuntiæ, sicut apud Hebræos sacri vates a Deo suscitati Prophetæ dicti sunt peculiari quadam appellatione, qua scilicet a divinis et hariolis distinguerentur.

Planior tamen et expeditior est sententia, quam cum plurimis auctorum testimoniis et cum factorum traditione constare videbimus, mulierem aliquam inter rudes ignarosque populos vaticiniis claram nomen illud a divini consilii intelligentia primam duxisse, sive per ambitionem assumptum, sive vulgi veneratione inditum, quod deinde per imitationem ad alias similes transierit, non tamen ad omnes, sed ad eas tantum quæ aliqua vel loci vel personæ convenientia antiquioris illius et omnium primæ Sibyllæ memoriam referre viderentur.

Quanquam tali disquisitioni ne locus quidem fuerit, si quod fuse et ingeniose disputavit proximis his annis vir doctissimus Rudolph. Henr. Klausen, in opere cui titulus *Æneas und die Penaten*, Hamb. et Goth. 1839, Sibylla nulla unquam mulier exstitit; sed primum eo nomine vocari cœpta est arcana quædam vox subterraneorum oraculorum, quæ juxta antiquam Pelasgorum religionem in sacris quibusdam antris e fontium scaturientium murmure, præsertim aspirante vento frementibusque arborum foliis, audiri credebatur : cujus vocis responsa a ministris sive hypophetis excepta versibusque reddita, deinde in corpus redacta, sub titulo Sibyllinorum carminum in vulgus discurrere cœperint : Klausen. opere citato passim, ac præsertim lib. II, p. 212, sqq. Quæ omnia (liceat nobis a viro egregio dissentire), primum repugnant veterum omnium sententiæ, qui etiam ubi de Sibyllarum

numero dubitabant, unam tamen aut plures hujus nominis mulieres agnoverunt. Deinde videtur forma ipsa nominis ad personam aliquam referri, non ad oraculum, quod sane σιβύλλιον, id est θεοβούλιον dictum fuisset, sicut θεοπρόπιον aliaque ejusmodi, non Σίβυλλα, id est Θεοβούλη. Sed ut hoc antiquæ ac rudi linguæ concedatur, unde tamen potuit ea vox in communem usum venire apud diversissimas regiones falso ubique sensu, nusquam vero? Videmus enim, ubicumque Sibyllæ memoria servata est, mulierem creditam hanc esse, non vocem. Quod si, ut Klausenio visum est, pertinent omnia quæ de Sibyllis traduntur ad Æneam aut Æneadas, qui vulgatas in sua regione fabulas per Græciæ et Italiæ litora disseminaverint, ita ut ibi plerumque de Sibyllis, ubi de Trojanis, servatæ traditiones exstiterint, hoc ipsum Klausenii sententiæ magis adversatur quam favet. Sequitur enim, Trojanis temporibus, et prius quam Æneadæ procul a patria cursitarent, viguisse apud eos opinionem de Sibylla tanquam muliere aliqua, non voce tantum aut oraculo; illam nempe ipsam opinionem quæ a Klausenio falsi insimulatur. Et quam sit communis rudioribus populis fides ista fatidicæ in mulieribus scientiæ, quid opus est multis disserere, quum antiquitus apud Hebræos, Græcos, Latinos, Gallos, Germanos, hodieque apud silvestres et incultas gentes, et pudet dicere, etiam apud nostrum vulgus, superstitionis hujus vestigia reperiantur? Ignoscatur itaque nobis, qui in universum mythos et allegorias parum sectamur, si in hoc etiam argumento traditionem antiquam recentibus conjecturis præponimus.

Sed ut aliquam vixisse Sibyllam et semper creditum et minime dubium videtur, ita pluresne vixerint, et si plures, quo numero et quibus locis, inter auctores diversis omnino sententiis agitatur. Quorum locos integros, ipsis verbis, in hujus Excursus appendice proponemus; in ipsa autem tractatione articulatim divisos componere inter se et, ubi licebit, conciliare conabimur. Atque utinam pervenissent ad nos Sopatri sophistæ ἐκλογαὶ διάφοροι, quorum libro sexto, docente Photio in Biblioth. cod. CLXI, caput inerat de hoc ipso argumento compositum: Καὶ περὶ γυναικῶν μαντικῶν ἀναγράφει, τίνες τε καὶ ὅθεν αἱ καλούμεναι Σίβυλλαι. Porro scribebat ille circa sextum sæculum, ut Fabricio visum, docetque Photius eum pleraque sua, speciatim quæ de Sibyllis scripserat, a Rufo accepisse: Καὶ ταῦτα μὲν ὡς ἀπὸ τῶν Ῥούφου, quem Rufum secundo sæculo vixisse et Herodis Attici discipulum fuisse tradunt. Nec dubium pleraque ex eodem Rufi libro vel e Sopatri excerptis ducta esse, quæ passim apud insequentes scriptores et apud Scholiastas de eo argumento leguntur, a Varroniana seu Lactantiana traditione diversa. Vix tamen credimus,

vel illis ducibus, facile nos ex isto labyrintho egressuros fuisse : tantæ sunt ambages discordium inter se testimoniorum.

Tacitus, Annal. VI, § 12, et Augustinus, contra Faust. lib. XIII, cap. 1, dubitant, una an aliquot Sibyllæ fuerint.

Martianus Capella, de Nupt. Phil. lib. II, p. 40, ed. 1599, plures fuisse negat quam duas, Erythræam nempe, quæ Cumana dicta sit, et Phrygiam, quam eamdem facit cum aliorum Mermessia.

Solinus, cap. 2, numero tres agnoscit, Delphicam, Erythræam, Cumanam.

Ausonius in Grypho, v. 85, tres etiam, sed omissa designatione, et forsan Italicas tantum innuens.

Philetas Ephesius apud Schol. Aristoph. ad Aves, v. 962, tres ipse quoque, unam quæ se Apollinis sororem dixerit (Delphicam putamus intelligi), alteram Erythræam, tertiam Sardianam; et eadem fere habet, ex eodem loco profecta, Tzetzes ad Lycophr. v. 1279, nisi quod Cumanam pro Delphica inepte posuit.

Pausanias, loco supra cit., quatuor agnoscere videtur, Marpessiam nempe seu potius Mermessiam, quam eamdem censet cum Erythræa, Samia, Colophonia et Delphica; Cumanam deinde, secundo loco, ac postremo Hebræam, quam cum Babylonia et Ægyptia a quibusdam confundi docet.

Ælianus, Var. Hist. lib. XII, cap. 35, diserte quatuor laudat, Erythræam, Samiam, Ægyptiam, Sardianam, quibus tamen a nonnullis sex addi fatetur, interque eas Cumanam et Judæam.

Clemens Alex., Strom. lib. I, p. 399, ed. Ox., non jam paucas, sed plurimas agnoscit, τῶν Σιβυλλῶν τὸ πλῆθος, earumque novem nomina recenset.

Sed diu antea Varro, citatus a Lactantio, lib. I, cap. 6, loco jam laud., accuratum Sibyllarum catalogum ediderat, quas decem numerabat hoc ordine :

1° Persicam;
2° Libyssam;
3° Delphicam;
4° Cimmeriam;
5° Erythræam;
6° Samiam;
7° Cumanam;
8° Hellespontiam;
9° Phrygiam;
10° Tiburtinam.

Cujus tanti viri auctoritatem post Lactantium secuti sunt apud La-

tinos Hieronymus et Isidorus, locis supra citatis; apud Græcos Anonymus ad nostra Sibyllina olim præfatus, et qui Anonymum vel se invicem exscripsere, Scholiasta Platonis ad Phædrum, p. 60, ed. Ruhnk.; Photius in Amphilochiis, quæst. 160; Suidas, ubi de decem Sibyllis agit (nam alibi plures et undecumque corrasas sine ordine aut discrimine tradit); denique Suidæ compilator et breviator pseudo-Hesychius Milesius. Hi omnes, ut ex eodem hausta fonte, ita plane eadem referunt. Græci tantum pro Persica Sibylla Chaldæam reposuerunt, quam a Persica distingui vetant Anonymus et Suidas; iidem Cimmeriam, ut quæ in Italia vixisset, Italicam dixerunt, cumque Carmenta Evandri matre perperam confuderunt. Nec multum ab iis discedit auctor Chronici Paschalis, t. I, p. 201, ed. Bonn., quamvis non decem, sed jam duodecim agnoscat. Quum enim Erythræam præcipuo honore seorsim a ceteris laudaverit, deinde alias undecim recenset, Varroniano ordine, nisi quod Hebræam ante Persicam, ideoque ab ea distinctam, prima in fronte, religionis causa, ponit; Libycam gradu inferiore, incertum cur, ante Samiam collocat; Rhodiam in Erythrææ supra translatæ locum sufficit. De reliquis nihil mutat.

Eudociam consulto omisimus, quæ postquam, p. 374, tres tantum Sibyllas cum Phileta Ephesio, seu potius cum Scholiasta Aristophanis, agnoverat, deinde septem numerare videtur aliunde desumptas aperteque ex iisdem, quibus Suidas, auctoribus, sed mire perturbatas: primam nempe Erythræam, quam et Siculam et Sardianam vocari ait; post hanc, Elissam, fortasse eamdem cum ceterorum Libyssa seu Libyca; deinde Thessalam, nomine Manto; quartam, cui nomen Sarbis seu Sarysis fuerit, vel juxta quosdam Cassandra seu Taraxandra; Cumæam post illas; hinc Thesprotidem, eamdem, ut putamus, quam alii Epiroticam vocant; Chaldæam ultimam, quæ et Hebræa dicta sit. Facile est in illa rerum ac nominum confusione, Varroniani catalogi, sed per Græcos compilatores transmissi ab iisque misere discerpti, amputati, interpolati, membra quædam, seu potius lacinias et pannos agnoscere.

Sit igitur in hoc argumento Varronis ea laus, quod plus quam priores omnes unus profecit, et sequentibus prope universis facem prætulit, et nobis recentioribus documentorum copiam tradidit sane pretiosissimam. Patet enim virum totius fere antiquitatis doctissimum eumdemque sagacissimum, non perfunctorie ad hanc tractandam materiam accessisse, sed græcas latinasque traditiones in corpus redegisse, temporumque etiam ordinem in illis disponendis, quantum potuit, servasse. Nec nos alium ducem in ea re sequi aut ab eo usquam

discedere voluissemus. Sed, re diu perpensa, cognovimus tandem non posse commode ad Varronis catalogum aptari omnia quæ de Sibyllis dicenda essent, quoniam in hac, qua nunc gaudemus, criticæ eruditionis luce, non idem nobis propositum, quod olim Varroni, sequendum erat.

Varro quippe Sibyllas ipsas, quales et quot fere fingebantur, revera olim vixisse pro certo statuens, singularum ætatem et historiam ex obviis passim testimoniis expiscari ac suum cuique ordinem assignare conatus est. Ita Persicam omnium primam fecit, quod apud Nicanorem, nisi fallimur, legisset pertinere eam ad remotissima Chaldæorum tempora, cum quibus antiquitate certare Græci nunquam ausi sunt; secundam Libycam, quod eam fama esset apud quosdam, uti nos Pausanias docuit, ante Græcas omnes cecinisse; tertiam Delphicam, quod eadem traditio Delphicam Herophilen ætate proximam Libycæ faceret; et sic porro. Nos autem, etiamsi Sibylla olim vel Sibyllæ aliquæ alicubi terrarum vixerint, scimus nullam historicam fidem in iis quærendam esse quæ de illis mulieribus narrantur; fabulosa omnia vel fabulis mixta esse, neque ullum pretium habere præter ipsam antiquitatem : cognitu quippe dignum esse, quid humana gens olim crediderit, etiam falsum prorsus et inane.

Ergo non tam Sibyllarum ipsarum quam vulgatarum de iis traditionum historiam investigabimus. Harum vero origines in iis præsertim locis quæremus qui cognomen unicuique Sibyllæ dederunt, quis scit an et sedem olim et domicilium? Illos igitur omnes locos, viatorum modo, peragrabimus : cumque verisimile sit traditiones plerumque a proximis ad proximas migrasse regiones, in ipsarum reliquiis conquirendis pari via, id est, geographico quodam ordine progrediemur. Ita postquam primæ Sibyllæ, seu primæ Sibyllinæ traditionis, incunabula quæsierimus, inde profecti per omnes oras, ubicumque nomen illud Sibyllæ consederit, ejus vestigia legemus, atque ita continuo circuitu a Græcis Sibyllis ad Italicas, deinde ad barbaras iter cum lectore faciemus.

CAP. I. *Antiquissima de Sibyllis testimonia.*

Petentibus Sibyllinæ traditionis primam sedem, necesse est initium quærendi facere ab antiquissimis de ea testimoniis. Porro licet supra dixerimus ipsum Sibyllæ nomen in Græcia perantiquum esse, qui tamen ejus diserte meminerit, primum invenimus Heraclitum a

Plutarcho citatum, de Pyth. Orac. t. VII, p. 561, ed. Reisk., loco insigni, quem etiam Klausenius, epigraphes instar, suæ de Sibyllis dissertationi præfixit : Σίβυλλα δὲ μαινομένῳ στόματι, καθ' Ἡράκλειτον, ἀγέλαστα καὶ ἀκαλλώπιστα καὶ ἀμύριστα φθεγγομένη χιλίων ἐτῶν ἐξικνεῖται τῇ φωνῇ διὰ τὸν θεόν. Quo tamen loco temere abuti nolimus : non enim ipsa Heracliti verba a Plutarcho proferri vel ex ipsa dialecto nimis attica manifestum est. Quare et ἀγέλαστα, et quæ sequuntur epitheta, et mille annorum mentionem, ac denique omnia Plutarchi esse credimus, præter duas voces μαινομένῳ στόματι, quæ sola archaïcum dicendi genus redolent et quadam apud antiquos videntur auctoritate valuisse. Eo quippe referendum quod Cicero de Sibyllæ suæ versibus scribit, de Divin. lib. II, § 54, « quos illa furens fudisse dicitur; » quodque ipsa de se canere fingitur Sibylla apud Phlegontem, de Longæv., cap. 4 :

Μαινομένη μὲν ἐνὶ θνητοῖς καὶ ἄπιστα λέγουσα.

Confer et Sibyllinorum nostrorum lib. III, v. 814, sqq. :

Φήσουσι Σίβυλλαν
Μαινομένην, ψεύστειραν· ἐπὴν δὲ γένηται ἅπαντα,
Τηνίκα μου μνήμην ποιήσετε, κοὐκέτι μ' οὐδεὶς
Μαινομένην φήσεις.

Quapropter ex allato Heracliti apud Plut. testimonio, nihil aliud colligi velimus nisi, Heracliti tempore, sexto ante Christum sæculo desinente, Sibyllam non modo jam innotuisse, sed et fama inclytam fuisse, tanquam divino quodam œstro futura vaticinantem.

Non aliud est Heracliti testimonium a Clemente Alexandrino prolatum, Strom. lib. I, p. 358, ed. Ox. : Ἡράκλειτος οὐκ ἀνθρωπίνως φησὶν, ἀλλὰ σὺν θεῷ μᾶλλον Σιβύλλῃ πεφάνθαι. Verba enim σὺν θεῷ idem valent quod apud Plutarchum διὰ τὸν θεόν, eaque videtur Clemens cum reliquis hujus fragmenti non tam ex Heraclito desumpsisse quam ex ipso Plutarcho, cujus, ut alias quoque monstrabitur, frequens nimis compilator est.

Proximus post Heraclitum testis occurrit Aristophanes, qui quum ad Sibyllina oracula sæpe respiciat (confer nostrum Exc. II), Sibyllæ ipsius bis meminit in Pace, v. 1095 :

Οὐ μετέχω τούτων· οὐ γὰρ ταῦτ' εἶπε Σίβυλλα,

et paulo infra, v. 1116 :

Τὴν Σίβυλλαν ἔσθιε,

utrumque ludicre dictum, et nobis alias diligentius excutiendum; unde tamen tuto colligas vulgatam Athenis tum fuisse non Sibyllinorum modo, sed et ipsius Sibyllæ famam.

Quod vero Heraclitus et Aristophanes Sibyllam singulari numero,

non plurali Sibyllas vocent, inducimur jam ut putemus non plures, sed unam ab iis agnitam fuisse. Nec aliter Plato in Theage, p. 124, ed. Steph.: Εἴποις ἂν οὖν μοι τίνα ἐπωνυμίαν ἔχει Βάκις τε καὶ Σίβυλλα, et in Phædro, p. 244: Καὶ ἐὰν δὴ λέγωμεν Σίβυλλαν τε καὶ ἄλλους. Ac neque aliter sensisse videtur Aristoteles, quamvis Problem. sect. 30, quæst. 1, p. 817, ed. Vall., ita scribat: Ὅθεν [ἐκ τῆς μελαγχολίας] Σίβυλλαι καὶ Βάκιδες καὶ οἱ ἔνθεοι γίνονται πάντες: nam pluralis ibi numerus pro singulari poni potuit. At libro de Mirab., p. 1158, de antro loquens Cumanæ Sibyllæ quam Erythris oriundam facit: Θάλαμος, inquit, κατάγειος Σιβύλλης τῆς χρησμολόγου, ubi, si plures Sibyllas cognovisset, vix articulo τῆς usus esset, ac vix occasionem omisisset, quum de una ageret, aliquid de ceteris tradendi. Utut sit, putamus usque ad Alexandri fere tempora, recepta vulgo opinione, unam a Græcis agnitam fuisse Sibyllam, Athenis saltem; quanquam et alibi quoque, siquidem Heraclitum Ephesium modo ita loquentem audivimus.

CAP. II. *De Sibylla Erythræa.*

Quærendum nunc quid illi veteres de unica sua Sibylla senserint, et quoniam plures postea numeratas esse diximus, quænam ex iis insigni illa fama antiquitus prædita fuerit. Non alia sane quam Erythræa, seu quæ Erythræa credebatur. Docet id satis aperte Aristoteles, loc. cit., qui ne plures Sibyllas agnosceret, quum de Cumana loqueretur, non dubitavit ipsam ex Asia in Italiam adducere, Ἐρυθραίαν οὖσαν. Nec aliter sentiebat Plato, si Scholiastæ fides ad Phædri locum supra citatum: Ἐπεὶ αὐτή γε ἡ Ἐρυθραία, περὶ ἧς νῦν λέγει [ὁ Πλάτων], κ. τ. λ. Cicero etiam, de Divin. I, § 18, fatidicos numerans, ita scribit: « Epimenides Cres, Bacis Bœotius et Sibylla Erythræa, » manifesto ad Atticorum et, quem assidue imitatur, Platonis opinionem respiciens. Confer Plutarchi locos, de Pythiæ orac. passim, ac de sera Numinis vind., ubi Sibyllam semper unam eamque semper Erythræam videtur agnoscere. Cujus opinionis origo non diu nec longe quærenda est.

Fuisse enim illis temporibus oracula quædam Sibyllina vel tanquam Sibyllina hominum manibus crebro versata, modo ex Heraclito atque Aristophane didicimus. Horum vero quæ nobilissima fuerunt, carmine quodam continebantur antiquitus vulgato, cujus reliquiæ nonnullæ ad nos pervenerunt, breviter nunc et raptim indicandæ, priusquam a nobis in Excursu II fusius exponantur. Carmen erat sub mulieris nomine scriptum, quam vetus traditio Sibyllam credi

jubebat. Erat Delphis inscriptum hoc exordio, apud Clementem, Strom. lib. I, p. 384, ed. Ox.:

Ὦ Δελφοὶ, θεράποντες ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος,
Ἦλθον ἐγὼ χρήσουσα Διὸς νόον αἰγιόχοιο,
Αὐτοκασιγνήτῳ κεχολωμένη Ἀπόλλωνι.

In fine se, postquam decem generationes vivendo æquasset, sagittis confossum iri prædicebat ab ipso Apolline, divinandi artem invidente, ac ne sic quidem post mortem a vaticiniis cessaturam. Locus est apud Phlegontem, de Longævis, cap. 4:

Ἀλλὰ τί δὴ πανόδυρτος, κ. τ. λ.

Sed in decursu carminis patriam Erythras agnoscebat, citante Pausania, Phoc. cap. 12:

Εἰμὶ δ' ἐγὼ γεγαυῖα μέσον θνητοῦ τε θεᾶς τε,
Νύμφης δ' ἀθανάτης, πατρὸς δ' αὖ κητοφάγοιο,
Μητρόθεν Ἰδογενὴς, πατρὶς δέ μοί ἐστιν Ἐρυθρή.

Sic quidem vulgata erat lectio, aliis licet acerrime contradicentibus, ultimumque hemistichium diverse interpretantibus, nempe de Mermesso, Troadis urbe, non de Erythris Ioniæ: qua de lite quæcumque demum sententia mox ferenda sit (confer infra, cap. 3), certum est ita locum hunc, ut diximus, a plerisque lectum et intellectum fuisse, atque inde antiqua traditione apud Græcos vulgo receptum, ut auctorem carminis illius Sibyllam Erythris, Asiæ urbe, ortam crederent. Hinc et Sibylla Erythræa vulgo dicta, et carmen ipsum Erythræum passim a nobis vocabitur.

Nec tamen diffitemur originem illam ex Erythris, sive quis Mermesso malit, ex Asia certe minore ductam, male cum carminis exordio convenire, in quo Sibylla videtur ex Helicone potius descendere quam ex altero continente advehi. Item quod Apollinem fratrem vocat,

Αὐτοκασιγνήτῳ κεχολωμένη Ἀπόλλωνι,

non bene cohæret cum illa parentum mentione:

Νύμφης δ' ἀθανάτης, πατρὸς δ' αὖ κητοφάγοιο.

Itaque primum intuenti succurrit duo ibi inesse carmina, alterum Delphicum, alterum Erythræum, atque inde duas Sibyllas, non unam esse agnoscendam. Sed Pausanias de hac re disertissimus est: Καλεῖ δὲ οὐκ Ἡροφίλην μόνον, ἀλλὰ καὶ Ἄρτεμιν ἐν τοῖς ἔπεσιν αὐτὴν, καὶ Ἀπόλλωνος γυνὴ γαμετὴ, τότε δὲ ἀδελφὴ, καὶ αὖθις θυγάτηρ φησὶν εἶναι... ἑτέρωθι δὲ εἶπε τῶν χρησμῶν ὡς μητρὸς μὲν ἀθανάτης, κ. τ. λ. Unam igitur mulierem agnoscit, nunc Herophilam se vocantem, nunc Artemin seu Dianam; et modo se Apollinis uxorem, modo sororem, modo filiam prædicantem; rursus aliis parentibus genitam, nihil ad Apollinem pertinentibus, Nympha nempe illa et piscatore, κητοφάγῳ: quæ

omnia non aliter inter se conciliare tentat Pausanias, quam dum illam sensibus emotam divinitus insanire facit : Ταῦτα μὲν δὴ μαινομένη τε καὶ ἐκ θεοῦ κάτοχος πεποίηκεν. Heraclides quoque Ponticus apud Clementem, l. cit., exordium illud, ὦ Δελφοί, diserte Phrygiæ seu Mermessiæ, quæ aliis est Erythræa, tribuit. Rursus vero Proclus in Timæum, lib. V, p. 791, ed. Schneid., versum illum :

Εἰμὶ δ' ἐγὼ μέσση τε θεῶν μέσση τ' ἀνθρώπων,

(sic enim legit), eidem Sibyllæ tribuit quam passim Erythræam vocat, quæ nempe de sua morte ac de vaticiniis post mortem non cessaturis epilogum hujus carminis cecinerit. Nec Proclus igitur, nec Clemens, nec Pausanias, duo carmina vel duas Sibyllas agnoverunt, ut necesse sit hæc omnia ad unum carmen Erythræum referre, atque ad unam Sibyllam, quam vulgo Erythræam vocabant ac credebant. Confer quæ de vera ejus mulieris origine disputabuntur infra, cap. 3.

Hinc maxima Erythrææ, etiam postquam numerus Sibyllarum crevit, inter ceteras fama. Nam, ut fieri solet, utque suis locis ostendemus, plures deinde urbes per æmulationem aut quamdam locorum opportunitatem, eo inductæ sunt ut suas quoque Sibyllas sibi habere vellent. Præcipuus tamen Erythrææ mansit honor, quod apertissime proclamat Lactantius, loco jam laudato sæpeque laudando, lib. I, cap. 6, his verbis : « Erythræa, quæ celebrior inter « ceteras, ac nobilior habetur, » et idem de Ira Dei, cap. 22 : « Si- « byllas, inquit, plurimi et maximi auctores tradiderunt... Hi omnes « præcipuam et nobilem præter ceteras Erythræam fuisse commemorant. » Nec minus expresse Scholiasta Platonis ad Phædrum : Πᾶσαι μὲν οὖν μαντικαί· ἡ δὲ Ἐρυθραία, ἡ καὶ Ἐρωφίλη [sic pro Ἡροφίλη] καλουμένη, τῶν ἄλλων ἐξαίρετος. Itaque nihil mirum si ceterarum quoque Sibyllarum famam huic uni feminæ vindicare quidam conati sunt, atque ideo cum ipsa diversas quasdam confuderunt, ut Aristoteles aperte Cumanam, loc. cit., Pausanias Marpessiam seu Mermessiam suam aliasque nonnullas, nemo vero plures quam Suidas vel quisquis Suidæ fuit auctor ita scribendi : Σίβυλλα... Ἐρυθραία. Τινὲς δὲ αὐτὴν Σικελὴν, ἄλλοι Σαρδανὴν [seu potius Σαρδιανὴν], ἄλλοι Γεργιθίαν, ἄλλοι δὲ Ῥοδίαν, ἄλλοι δὲ Λίβυσσαν, ἄλλοι Λευκανὴν [id est, Cumanam e Lucania], ἄλλοι Σαμίαν ἐδόξασαν.

In illa nominum et locorum confusione difficile sæpe est definire quid Erythrææ proprium, quid ad ipsam ab aliis male translatum sit. Quod si præterea reputes eorum quæ de Erythræa narrantur fontes fuisse diversissimos, primum ipsius Erythræi carminis pauca et ambigua testimonia, deinde Cyclicorum aliorumque commenta poetarum, ortas denique Erythris et in aliis æmulis urbibus tradi-

tiones, facile ignosces multum circa illam feminam dissentientibus auctoribus. Ut puta, quamvis de magna ejus antiquitate omnino constet (ita Strabo, lib. XIV, p. 645 : Ἐκ δ' Ἐρυθρῶν Σίβυλλά ἐστιν ἔνθους καὶ μαντικὴ γυνὴ τῶν ἀρχαίων τις, et lib. XVII, p. 814, τῇ παλαιᾷ Σιβύλλῃ τῇ Ἐρυθραίᾳ), de ipsa tamen, qua vixerit, ætate minime inter se auctores conveniunt. Joannes quidem Malalas, Chron. p. 97, ed. Bonn., Trois illam temporibus assignat qui pater Ili fuit, propinquam igitur faciens Trojæ ipsius initiis : eoque fortasse pertinet Clementis Alexandrini sententia, Orpheo priorem illam vixisse affirmantis, Stromat. I, p. 139, loc. cit. Argonautis certe supparem quidam finxerunt (et sic diserte Suidas, v. Ἴλιον), duce fortasse Acesandro, qui in libro de Libya docebat certasse ipsam cantu in funebribus Peliæ ludis atque inde victricem rediisse, Plut. Sympos. lib. V, p. 685, ed. Reisk. Alii Trojano bello coævam : quippe « Græcis Iliam petentibus vatici-« natam et perituram esse Trojam et Homerum mendacia scripturum, » Apollodoro teste apud Varronem seu Lactantium, loc. cit.; quorum partem habet Pausanias quoque, loc. cit. : Καὶ Ἑλένην τε προεδήλωσεν ἐν τοῖς χρησμοῖς, κ. τ. λ. Trojanis etiam, capta patria, fugam molientibus, responsa dedisse ferebatur, de quibus nos, cap. sq.

Ac, nisi fallimur, plurimis antiquorum placuerat ea sententia, ad quam procul dubio respexit, licet aliter ipse sentiens, divus Augustinus de Civ. D., lib. XVIII, cap. 23, ubi ait : « Nonnulli sane Ery-« thræam Sibyllam non Romuli, sed belli Trojani tempore fuisse scri-« pserunt. » In illum quoque gregem compellendi videntur quicumque Homerum, tanquam Sibyllina suffuratum, plagii insimulare ausi sunt, quod et in nostris hodiernis libris non veretur ipsa Sibylla aperte de se jactare, lib. III, v. 423, sqq. :

Γράψει τὰ κατ' Ἴλιον, οὐ μὲν ἀληθῶς,
Ἀλλὰ σαφῶς· ἔπεσιν γὰρ ἐμοῖς, κ. τ. λ.

Et huc referri potest Eustathius ad Iliad. υ, 299, vaticinium Homeri de Æneadis regnaturis a Sibylla petitum docens : Τοῦτο δὲ λέγεται διὰ τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν, ἥν, φασιν, εἰκὸς εἰδέναι τὸν ποιητὴν ἐκ τῶν τῆς Σιβύλλης χρησμῶν. Magna hæc laus, aliquid Homero vel invitam commodasse. Quidni autem eam laudem Sibyllæ impertissent, quam Orpheo quoque et Musæo tribuit Clemens, Strom. VI, p. 738. Sed eamdem alii ad alias quoque Sibyllas retulerunt, ut ad Cumanam Julius Firmicus, Mathes. lib. V, p. 77, Homerum vocans, « divinum « in Iliade Cumæi carminis interpretem; » ad Delphicam Diodorus Siculus, et Solino teste, Bocchus, ambo infra citandi, cap. 5. De Erythræa tamen prius eum rumorem subortum esse credimus, quod in Erythræo, de quo supra, carmine versus Homerici nonnulli re-

perirentur; nec sane de Iliacis rebus melior ulla magistra ab Homero eligi potuisset quam quæ Trojanis temporibus vixisse ferebatur.

Quidam, fabulis minus indulgentes, ad vicina magis et notiora tempora Erythræam hanc retraxerunt, ut Plutarchus circa millesimum ante se annum vixisse eam arbitratus (confer ipsum locum supra, cap. 1), id est, circa Homeri tempora. Nec multum abludit Bocchus apud Solinum, loc. cit., Delphicam quidem Sibyllam Homero antiquiorem faciens, Erythræam vero Delphica juniorem. « Hanc, inquit « [Delphicam] Herophile Erythræa annis aliquot intercedentibus in« secuta est. » Ast alii, inque iis christiani plerique Patres, primis olympiadibus, id est, octavo ante Christum sæculo vel septimo incipiente, scripsisse contendebant : qua in sententia Eusebius fuit, et qui eum secuti sunt, Cyrillus adv. Jul., Hieronymus, Augustinus, auctor Chronici Paschalis, aliique, sub primis Romæ regibus ætatem ejus mulieris cum aliquo, sed parvo, regum vel annorum discrimine collocantes. Nec dissentit Suidas ita scribens : Γέγονε δὲ τοῖς χρόνοις τῆς Τρωϊκῆς ἁλώσεως μετὰ υπγ' ἔτη, aliud enim sensit quam dicere videtur, corruptis et intricatis verbis. Eudocia certe : Μετὰ τὴν Τρωϊκὴν ἅλωσιν ἔτη υπγ', post Trojam captam annis CDLXXXIII, quod fere cadit in annum ant. Chr. 700, haud procul ab Eusebii mente.

Atqui sententiarum circa eam rem diversitas facile expediri potest, si intelligantur auctores alii ad ipsius Sibyllæ ætatem, alii ad carmen tantum respexisse, quod octavo vel septimo sæculo, atque ideo sub regum initia scriptum esse, monstrabimus infra, cap 3. Sed primævam de Sibylla traditionem antiquiorem iis sæculis fuisse necesse est, quippe a Cyclicis poetis non temere excogitatam, sed ex priore fama servatam; unde vix potest Homericis temporibus recentior haberi, et fortasse altius multo referenda est nec longe infra Trojani belli ætatem, qua Sibyllam Erythræam vixisse multi, ut diximus, perhibebant. Quod si verum est, poeticis illam needum historicis temporibus assignari oportet.

Ut vero de ejus ætate discrepant docti, ita de nomine videntur inter se convenire, quod omnibus fere est Herophila sive Herophile, a Plutarcho certe receptum et quasi proclamatum his verbis, de Pyth. orac. p. 578 : Ἡροφίλην δὲ τὴν Ἐρυθραίαν, μαντικὴν γενομένην, Σίβυλλαν προσηγόρευσαν. Sed et antea Tibullus, Varronem haud dubie secutus, lib. II, eleg. 5, v. 68, et postea Pausanias, Clemens, Solinus, Isidorus, Hermias in Phædrum, Scholiasta ad Platonem, Anonymus apud Suidam, hoc nomen habent, quanquam interdum male scriptum Ἐριφίλη, ut apud Hermiam, interdum Ἐρωφίλη, ut apud Schol. Plat., aperto librariorum vitio, quum originem nominis ex Erythræo carmine repe-

tendam moueat satis expresse Pausanias, loc. cit. : Καλεῖ δὲ οὐχ Ἡροφίλην μόνον... ἐν τοῖς ἔπεσιν αὐτήν, unde solum nomen admittendum Ἡροφίλη, quod solum in metra recipi potuit.

At enim, juxta illud ipsum testimonium non Herophilam tantum, sed et Artemin seu Dianam passim vocabat se in eo carmine Sibylla : Οὐχ Ἡροφίλην μόνον, ἀλλὰ καὶ Ἄρτεμιν. Ita sane : verum hoc poetica licentia factum, vel furentis instinctu, sicut ibi se modo sororem Apollinis, modo filiam, modo uxorem canebat, figurate hæc omnia, teste Pausania supra cit. Itaque nomen Ἡροφίλη, utpote quod minime translatum haberi posset, jure prævaluit.

Unum videmus ab omnibus dissentire Martianum Capellam, loc. cit., qui incertum quo auctore, nomen aliud affert : « Symmachiam, inquit, « Hippotensis filiam, quæ Erythræa [an potius Erythris?] « progenita, etiam Cumis est vaticinata. » Sed totum ejus de Sibyllis locum mire corruptum et perversum esse fatendum est. Ipsa vox *Hippotensis*, si a græco auctore desumpta est, aperte vitium sonat: Ἱππότης fortasse græce scriptum fuerit, satis notum nomen in Heraclidarum historia apud Apollodorum et Pausaniam, sed nihil ad Sibyllam. Est quoque Hippotas, Æoli pater sive avus, de quo nos aliquid ad Cumanam. De Symmachiæ nomine nihil succurrit, nisi allegoricum videri et a recentioribus excogitatum.

Reliqua quæ de ejus mulieris ortu tradebantur, quamvis ambigua magis et controversa, paucis hic exponenda sunt. Erythris natam Erythræi acriter contendebant, idque quum opinione communi et vulgato Sibyllæ cognomine, tum præsertim Erythræi carminis hemistichio firmabant : Πατρὶς δέ μοί ἐστιν Ἐρυθρή, licet aliis, ut jam dictum est et fusius in proximo capite dicetur, reclamantibus. Ex ejusdem carminis fide Nympham illi matrem assignabant, eamque in umbrosis montium vallibus, quæ ionice Ἴδαι vocantur, habitantem, unde Sibylla, se ipsa teste, μητρόθεν Ἰδογενής. Patrem quoque, ipsa ibidem confitente, producebant piscatorem quemdam, seu pastorem ad mare habitantem ibique piscibus captis victitantem, κητοφάγον. At nomen parentum, silente carmine, vel ipsi reticebant, vel quale libuisset confingebant. Patrem Pausanias, celato auctoris sui nomine, Theodorum vocat; de matre nihil addit, nisi cognomine Idæam dici : Θεοδώρου δὲ ἐπιχωρίου ποιμένος καὶ Νύμφης παῖδα εἶναι· Ἰδαίαν δὲ ἐπίκλησιν γενέσθαι τῇ Νύμφῃ, secutus, ut videtur, vel communem apud Erythræos traditionem, vel Hermippum, Berytium videlicet grammaticum, qui sub Hadriano scripserat, citatum de ea re apud Suidam, v. Σίβυλλα Ἐρυθραία· ὡς δὲ Ἕρμιππος, Θεοδώρου. Sed et alia parentum nomina ab eodem Suida traduntur, quæ fortasse ab aliis Sibyllis detorta male

huc confluxerunt, nempe Ἀπόλλωνος καὶ Λαμείας [lege Λαμίας, et confer nos infra, cap. 5], κατὰ δέ τινας Ἀριστοκράτους καὶ Ὑδώλης [ignota nomina, sed Ὑδώλη satis recte in nympham cadit], ὡς δὲ ἄλλοι, Κριναγόρου. Ultimum apud Suidam additur quod jam diximus : ὡς δὲ Ἕρμιππος, Θεοδώρου, quod, ut magis vulgatum, fortasse primo loco erat ponendum; atque id nomen alias apud eumdem recurrit, v. Ἡροφίλα, sed ibi de Sibyllæ Tarquinianæ patre : adeo compilator, an sibi constet, parum curat.

Mira de hujus infantia narrantur : quippe vix matris alvo egressam, statim locutam esse, rerum nomina percalluisse, imo versus fudisse, et parvo tempore in justam mulieris adultæ formam crevisse : quæ unde sumpta, nescimus ; memorata tamen a gravi auctore invenimus, Hermia, ad Platonis Phædrum, lib. II, loco jam laudato : Λέγουσι δὲ αὐτὴν εὐθὺς προελθοῦσαν προειπεῖν ἐξ ὀνόματος ἕκαστα, καὶ ἔμμετρα φθέγξασθαι, καὶ ἐν βραχεῖ χρόνῳ τέλειον εἶδος ἀνθρώπου λαβεῖν. Eadem pæne et indidem petita, similibus verbis expressit Scholiasta Platonis ad h. loc. Multum vero Neoplatonicis placuisse illud de Sibylla commentum hinc auguramur, quod post Hermiam, et ex ipsius fortasse fide, bis eodem respexit Proclus in Tim., lib. IV, p. 288, ed. Schneid. : Αἱ γὰρ Ἀπολλωνιακαὶ ψυχαί.... αὐταὶ ἑαυτὰς ἐκφαίνουσιν ἀφ' ἧς ἥκουσι τάξεως, ὥσπερ καὶ ἡ Σίβυλλα κατ' αὐτὴν τὴν ἀποκύησιν χρησμῳδήσασα, et lib. V, p. 791 ; Εἶδε γάρ τοι Σίβυλλα προελθοῦσα εἰς φῶς καὶ τὴν τάξιν ἑαυτῆς, καὶ ὡς ἐκ θεῶν ἥκει δεδήλωκεν. Εἰμὶ δ' ἐγὼ μέση τε θεῶν εἰποῦσα μέση τ' ἀνθρώπων. Confer eumdem ibid., p. 792. Quæ paulo aliter et ultra modum exaggerata narrat Nicetas Choniata, lib. III, p. 577, ed. Bonn. : Καθὰ καὶ περὶ Σιβύλλης φασὶν, ὡς ἅμα τῆς μητρῴας νηδύος ἐξέθορε, καὶ ἅμα περὶ τῆς τοῦ παντὸς ἐφιλοσόφει συστάσεως, ubi vides philosopham e poetria factam, notabili profectu.

Mireris igitur tam nobilem tamque claram mulierem nihil insigne tota vita fecisse, nisi futura prædixisse. Id quidem non uno loco, sed in diversis terrarum oris, quandoquidem Delphis cecinisse vulgo credebatur, multisque aliis in Asiæ Græciæque urbibus, si Pausaniæ fides, et Cumis, si Aristoteli supra citato. Sed in illis tot discursibus, de quibus plura nos cap. sq., non accidit illi quod plerisque peregrinantibus, ut ex multis itineribus multa narranda secum referret.

Si Constantino imperatori credas, seu potius Eusebio in oratione ad Sanctos, canebat ipsa Erythræa teneram se adhuc et invitam in templo Apollini consecratam a parentibus fuisse, atque ibi diadema gestasse, tripodem ambiisse, oraculo ministrasse, quod tamen Delphicæ seu Thebanæ Sibyllæ magis quam Erythrææ convenire videtur, ipso pæne fatente oratore, quum addit : Κατὰ τὰ αὐτὰ τοῖς ἱστορουμένοις

περὶ τῆς Δάφνης, et omnia ab ipso confusa sus deque agi, manifestius fiet infra, cap. 5.

Quod si de Pythico ejus ministerio nihil certi apud antiquiores et meliores auctores reperitur, tamen, quocumque nomine et loco, Apollini sacram fuisse, nemo unquam veterum dubitavit; idque satis elucebat quum ex ipso carmine, tum ex illa plusquam humana divinandi scientia; unde unanimi totius antiquitatis consensu vel primum vel insignem locum tenuit inter eas animas quas Proclus Apollineas, vulgus divinas vocat. Itaque jam olim fortassis Heraclitus, certe Plutarchus et Clemens supra citati, σὺν θεῷ vel διὰ τὸν θεόν cecinisse illam professi sunt. Eadem Straboni est, lib. XIV, p. 645, ἔνθους καὶ μαντικὴ γυνή. Plinius, lib. VII, § 33 : « Divinitas, inquit, et quædam cælitum societas nobilissima ex feminis in Sibylla fuit. » Ipsi sancti Patres divinum plerique instinctum illi feminæ concesserunt, quæ tam præclara de Christo vaticinata esset, qua de re plura nos in Excursu IV. Eaque tam recepta de illa fuit existimatio, ut ἐνθουσιᾶν et σιβυλλαίνειν idem κατὰ γλῶσσαν significasse, supra e Diodoro Siculo, lib. IV, § 66, didicerimus.

Unum præcipue in ejus Sibyllæ vita notandum est, tribui ei ab aliquot auctoribus organi cujusdam musici inventionem, cujus forma triquetra, chordæ quatuor, nomen σαμβύκη fuit. Disertum est Suidæ testimonium : Λέγεται δὲ καὶ τρίγωνον εἶδος λύρας αὐτὴν πρώτην εὑρεῖν. Sed nec minus disertum et multo sane antiquius Scamonis ab Athenæo citati, lib. XIV, p. 637, licet organi istius non inventionem, sed primum usum Sibyllæ tribuat, omisso quidem Erythrææ cognomine, facile tamen intelligendo : Τῇ σαμβύκῃ πρώτην φησὶ χρήσασθαι Σίβυλλαν Σκάμων ὁ προειρημένος· ὀνομασθῆναι δ' αὐτὴν εὑρεθεῖσαν ὑπὸ Σάμβυκός τινος. Scripserat ille Scamo, patria Mitylenæus, ætatis incertæ, περὶ εὑρημάτων, laudatus et a Clemente Alex., Strom. lib. I, p. 364, ed. Ox. Is Σάμβυκος inventoris nomen, an a se ipso excogitatum? temere huc invexit; nec alia causa videtur cur σαμβύκη Sibyllæ alicui tributa sit, quam Σαμβήθης nomen Chaldææ Sibyllæ impositum, de quo vide nos infra, cap. 15. Ceterum Juba et Euphorion, ipso Athenæo teste, Syris aut Phœnicibus ejusdem lyræ inventionem tribuerant; aliquis vero Ibyco poetæ, apud Suidam, v. Ἴβυκος. Rectissime omnium Strabo, lib. X, p. 471, barbari instrumenti barbarum esse nomen profitetur. Syriacum Scaliger credidit, annuente Casaubono ad Strabonis loc. cit. Plura de eo organo apud Athen., p. 633, unde et chordarum numerus discitur. Formam ipsius antiqua manu cælatam reperisse sibi visus erat Sponius, Miscell. p. 21, iconemque ejus protulit, rursus expressam a Perizonio ad Ælian., lib III, cap. 32.

Hæc pauca de hujus Sibyllæ rebus gestis comperimus. Nam quæ de ejus cum Apolline amoribus et simultatibus requiri fortasse possent ab aliquo lectore, melius alio videntur quam ad hanc pertinere. Quanquam non negamus primum istius fabulæ rudimentum ex Erythræi carminis exordio desumi potuisse, in quod Sibylla inducitur succensens Apollini, non addita causa, ideoque conjecturis relicta. Maxime tamen consentaneum, succensuisse illam, quod a Jovis consiliis humano generi revelandis prohiberetur. Quod enim primum irata facit, id videtur sibi negatum impatienter tulisse :

Ἦλθον ἐγὼ χρήσουσα Διὸς νόον αἰγιόχοιο,
Αὐτοκασιγνήτῳ κεχολωμένη Ἀπόλλωνι.

Nec aliam ob causam invidia motus Apollo sua in illam tela conjecturus sub carminis finem prædicitur :

Καὶ τότε μοι φθονέσας Λητοῦς ἐρικυδέος υἱὸς
Μαντοσύνης...

Nihil hic de amoribus, et ipsa vox αὐτοκασιγνήτῳ valde repugnat. Sed poetæ recentiores et, ut opinamur, Latini potissimum, omnia perverterunt, qui notam Cassandræ historiam, divinandi artem ab Apolline amasio suffurantis (Æschyl., Agam., v. 1213, sqq.; Lycophr. V, v. 348, sqq. et 1454, sqq.), in Sibyllam transtulerunt nunc Erythræam, nunc Cumanam, pro cujusque scriptoris arbitrio. De Cassandra alias cum Sibylla confusa, aliquid nos infra, sub proximi capitis finem, quum ad veterem Trojanam ventum erit; de Apollinis autem frustratis amoribus plura dicemus ad Cumanam.

Contra diutissime ævum produxisse Erythræam, opinio fuit antiquitus ab omnibus recepta, nec sine quadam specie quod ea non e poetæ ludentis ingenio repente prodiisse, sed ipsius Sibyllæ testimonio niti videretur. Quippe in Erythræi carminis epilogo ipsa se profitebatur novem generationes hominum vel implevisse vel impleturam esse :

Ἐννέα μὲν γενεαῖς χαλεπὸν κατὰ γῆρας ἔχουσα.

Quæ annorum supputatio quocumque demum modo fiat, manifestum est singularem quamdam vitæ mensuram designari, quæ communes hominum ætates vel novem cumulet vel minimum tres. Unde, vel deducta poeticæ amplificationis parte, longissimam senectutem intelligi necesse est. Sed aliam illam fabulam de corpore ita demum annis confecto ut in meram vocem abiret, quæ de Cumana vulgo fertur, nusquam de Erythræa reperimus, contrariam quippe carminis epilogo, in quo canit se Apollinis sagittis confossum iri.

Quod si omnes de Erythræa traditiones ex illo carmine fluxissent,

nulla esset de ejus Sibyllæ morte controversia, quum ipsa Apollinem interfectorem versibus suis designet :

> Καὶ τότε μοι φθονέσας Λητοῦς ἐρικυδέος υἱὸς
> Μαντοσύνης, παθέων δὲ κατοικτίσσας ὀλοὸν κῆρ,
> Ψυχὴν ἐκλύσει, κ. τ. λ.

ubi nota duplicem Apollinis affectum, invidiam quippe, ut vatis; misericordiam, ut fratris. Invidiæ autem in Deo vate aliud exemplum habemus, quod Linum quoque sagittis confixisse tradatur a Diogene Laert. I, § 4; Philochoro apud Eustath. ad Il. σ, 570, etc. Sed hoc fortasse, ut alia multa in Erythræo carmine, furori Sibyllino imputabatur, neque in communem traditionem abierat.

Utique de ejus morte reticere solent auctores : nam quæ Servius habet ad Æneid. VI, 321, voluit ipse ad Cumanam magis referri. Sed post mortem mira rursus consecuta tradebantur, quæ videmus a gravibus etiam auctoribus repeti : nempe ipsam ne mortuam quidem a vaticiniis cessare, sed animam in aera diffusam ominibus adhuc homines edocere; corporis autem insepulti reliquiis pastas volucres aliasve animantes, vel quæ subortum ex ejus tabe gramen comedissent, auguriis auspiciisque futura præsagire cœpisse. Hæc quidem ex ipsius testimonio, quippe de se talia profitentis apud Plut., de Pyth. orac. loc. cit. : Ὡς οὐδὲ ἀποθανοῦσα λήξει τῆς μαντικῆς.... τῷ δὲ ἀέρι τὸ πνεῦμα συγκραθὲν ἐν φήμαις ἀεὶ φορήσεται καὶ κληδόσιν· ἐκ δὲ τοῦ σώματος μεταβαλόντος ἐν τῇ γῇ πόας καὶ ὕλης ἀναφυομένης, βοσκήσεται ταύτην ἱερὰ θρέμματα, χρόα τε παντοδαπὰς ἴσχοντας καὶ μορφὰς καὶ ποιότητας ἐπὶ τῶν σπλάγχνων, ἀφ' ὧν αἱ προδηλώσεις ἀνθρώποις τοῦ μέλλοντος. Quæ omnia transcripsit e Plutarcho Clemens Alex. Strom., lib. I, p. 358, ed. Ox. Sed palam ex Erythræi carminis epilogo sumpta sunt hæc :

> Ἔνθ' ἄρα μοι ψυχὴ μὲν ἐς ἠέρα πωτηθεῖσα,
> Πνεύματι συγκραθεῖσα, βροτῶν εἰς οὔατα πέμψει
> Κληδόνας, κ. τ. λ.

et cetera, quæ ex ipso carmine requiras apud Phlegontem, non modo ea tradentem, sed et vulgatioribus verbis interpretantem, de Longæv. cap. 4. Legentur etiam inter fragmenta Sibyllina apud nos infra, post Exc. II, cum annotatione proditura.

Aliud de Sibylla mortua vulgatum fuit, quod in epilogo hodie quidem non legitur et a Phlegonte commentante omissum est; potuit tamen, imo fortasse debuit in quibusdam carminis exemplaribus olim inesse : nempe receptæ in cælum vatis hujus faciem impressam in lunæ disco manere. Quod, ineptum licet ac puerile, Plutarchus tamen bis memorat, semel de Pyth. orac. loc. cit. ubi de carminibus Sibyllæ loquitur, ἐν οἷς ὕμνησεν ἑαυτήν, ὡς οὐδὲ ἀποθανοῦσα λήξει μαν-

τικῆς, ἀλλ' αὐτὴ μὲν ἐν τῇ σελήνῃ περίεισι, τὸ καλούμενον φαινόμενον γενομένη πρόσωπον· iterum de sera Numinis vindicta, t. VIII, p. 240, ed. Reisk.: Ἤκουε παριὼν φωνὴν ὀξεῖαν γυναικὸς ἐν μέτρῳ φράζουσαν ἄλλα τέ τινα καὶ χρόνον (ὡς ἔοικε) τῆς ἐκείνου τελευτῆς. Ἔλεγε δὲ ὁ δαίμων τὴν φωνὴν εἶναι Σιβύλλης· ᾄδειν γὰρ αὐτὴν ἐν τῷ προσώπῳ τῆς σελήνης περιφερομένην. Nec dubitamus eadem aut valde similia lecta olim fuisse in ejusdem Plutarchi libro de Facie in orbe Lunæ, cujus initium nunc deperditum fortasse Sibyllinos de ea re versus ipsos continebat. Eamdem certe fabulam e Plutarcho attulit Clemens Alex., loc. supra cit.: ad quam respexerat etiam Diogenes Antonius apud Photium, Bibl. cod. CLXVI, auctor ceteroquin ignotus, nec tam antiquus quam Photio placuit, qui in sua fabulosa ad Thulen insulam peregrinatione finxerat Carmanem quemdam, egregium sane divinatorem, quum in lunam pervenisset, Sibyllæ ibi degenti artem monstrasse vaticinandi: Εἶτα καὶ ὡς ἡ Σίβυλλα τὴν μαντικὴν ἀπὸ Καρμάνου ἀνέλαβεν.

Præter eas vero fabulas quæ ex ipso Erythræo carmine quasi sponte manabant, alias diximus de Sibylla sparsas fuisse, quas non jam illi carmini, sed meræ traditioni imputari necesse est. Harum quidem minime ambigi potest quin magna pars Erythræis debeatur. Videbant enim e Sibyllæ fama multum in ejus patriam seu veram seu fictam redundare. Itaque de ea speciatim egisse scimus Apollodorum Erythræum, qui suam illam civem jactabat, Lact. I, 6, loco sæpe cit. et de Ira Dei, cap. 22; item philosophum haud ignobilem, Aristonem Chium, Lact. de Ira Dei, ibid., haud dubie propter insulæ suæ cum vicinis Erythris cognationem: quorum ex utriusque libris fortasse ad nos pervenerunt vulgatæ apud Erythræos fabulæ.

Sed non libris tantum et sermonibus Sibyllam sibi suam vindicare conati sunt Erythræi: est enim non unus istius civitatis numus hodie superstes, in quo reperias Sibyllæ memoriam sive effigie ipsa mulieris, sive prophetico aliquo signo repræsentatam, ut puta sphingis, apud Mionn., n° 534; mulieris in curru vectæ subjunctis grypibus, ibid. n° 557; capitis muliebris coronati et ex altera parte facis ardentis, apud Klausenium, tab. I, n° 12.

Atque, ut in tali re fieri solet, monumenta etiam monstrabantur quæ ad antiquam de Sibylla traditionem pertinerent, ut illud in Coryco monte spelæum, ubi nascentis vatis incunabula fuisse narrabant, Pausania teste, Phocic. cap. 12: Κώρυκόν τε καλούμενον ὄρος καὶ ἐν τῷ ὄρει σπήλαιον ἀποφαίνουσι, τεχθῆναι τὴν Ἡροφίλην ἐν αὐτῷ λέγοντες. Ut etiam, procul dubio, cippus ille quem in Erythræo litore suo quoque tempore spectari docet auctor sive interpolator Chronici Paschalis, t. I, p. 202, loco jam cit.: Σίβυλλα ἡ Ἐρυθραία ἡ προλεγομένη ἦν

ἀπὸ πολίχνης Ἐρυθρίας καλουμένης [ὁ locorum et nominum fata!] ἀντικρὺ Χίου, ἡ καὶ ἐποποιὸς οὖσα, ἧς καὶ στήλη ἐστὶν ἐν τῇ αὐτῇ Ἐρυθρίᾳ ἔχρι τοῦ νῦν κατὰ τὴν στερεὰν ἀντικρὺ Χίου.

Sed et in monumentis prorsus ab hoc argumento alienis invenimus ab ejusdem urbis incolis factam Sibyllæ mentionem, ut in publici quondam fontis inscriptione Erythris reperta a doctissimo et nobis amicissimo viro Phil. Lebas, inedita hactenus, brevi autem proditura in tertio ejus per Græciam et Asiam peregrinationum volumine :

Ἀγαθῇ τύχῃ.

Νύμφαις Ναϊάσιν, ἀγλαὸν γένος ἔνθα Σιβύλλης,
Εἰρήνης ἄρξας Εὐτυχιανὸς τὸ πάροιθε,
[Καὶ] δαπάναις ἑτοίμοις ἀγορανόμος φιλότειμος,
Ἄμφω δ' εὐψύχως σὺν Εὐτυχιανῷ παιδὶ πανηγυριάρχῃ,
Ἐκ προσόδων ἰδίων τῇ πατρίδι τὸ ὕδωρ·
Φαίδρυνέν τε γραφαῖς ἐπικοσμήσας τὸ [δοχεῖον],
Μνημόσυνον τοῦτο τοῖσιν ἐπεσσομένοις.

Eutychianus ergo quidam agoranomus sive ædilis, olim vero irenarcha, cum filio ejusdem nominis, gaudente panegyriarchæ titulo, fontem hunc decoraverant nymphisque sacraverant prope Sibyllæ incunabula, ἀγλαὸν γένος ἔνθα Σιβύλλης : nempe, nisi fallimur, ornamenta quædam sculpta pictaque addiderant fonti jam antea traditione Sibyllina insigni, et fortasse Nymphæ illi sacrato, quæ Sibyllæ mater fuisse ferebatur. In tertio versu καί hodie non legitur, latens in lapidis erosi margine; male vero ἑτοίμοις secunda brevi scriptum est, ob ejus vocis similitudinem cum ἐτύμοις; contra in ἀγορανόμος tertia male producitur, accentu vicem quantitatis gerente, nisi poeta scriptum voluerat ἀγορανόμος ὡς φιλότ. vel ἀγορανομέων φιλοτίμως vel quidvis aliud. In quarto filii Eutychiani nomen confecto jam elogio intrusum est, patris fortasse voluntate, haud dubie contra poetæ mentem, cujus omnino rumpit numeros. In sexto δοχεῖον e nostra est conjectura, ubi lapis αὐλεῖον habere videbatur fissuræ vitio. In ultimo legi præstaret τούτου, id est, αὐτοῦ τοῦ κοσμήσαντος.

Utique ætatem inscriptionis jam declivem, quarti, ut opinamur, sæculi, ostendunt quum dictionis et metri incuria, tum etiam pentametri versus hexametris temere admixti, cujus licentiæ multa sunt in titulis, sed nec antiquissimis nec optimis, exempla (confer et quæ olim notavimus ad Sibyllina nostra, lib. I, v. 146). Patet autem scriptum hunc ante fuisse quam ethnicæ religionis publicus usus aboleretur, id est, ante quinti sæculi initia, etsi vix ante tertium aut quartum. Diu ergo et usque ad extrema gentilitatis tempora mansit apud Erythræos Sibyllæ veneratio, et quidem tanquam Nymphæ alicujus

aut Nymphis cognatæ cumque earum cultu sociatæ, quando videmus in primo versu nomen utrumque Nympharum et Sibyllæ conjungi.

Hæc sunt quæ nos de Erythræa Sibylla comperimus : quibus tamen deesse aliquid videretur, nisi et Sibyllæ alterius, quæ junior Erythræa vocari potest, memoriam adderemus. Fuit enim Erythris, Alexandri magni temporibus, mulier quædam Athenaïs nomine, quæ quum vaticinandi fiduciam præsumpsisset, Sibyllæ fama in iis locis vivente tantum adjuta est ut, quum illius antiquioris vestigia in eadem urbe premeret, prope ipsa pro Sibylla haberetur. Mentio ejus fit apud Strabonem, lib. XIV, p. 645, loco jam cit. : Κατ' Ἀλέξανδρον δὲ ἄλλη ἦν τὸν αὐτὸν τρόπον μαντικὴ, καλουμένη Ἀθηναῒς, ἐκ τῆς αὐτῆς πόλεως. Sumpta hæc e Callisthenis historia Alexandri nunc deperdita : nam idem Strabo, lib. XVII, p. 814, post vaticinia quædam de Alexandro ex illius historici fide relata, rursus ejusdem mulieris, tanquam a Callisthene laudatæ, meminit his verbis : Περὶ δὲ τῆς εὐγενείας [τοῦ Ἀλεξάνδρου] καὶ τὴν Ἐρυθραίαν Ἀθηναΐδα φησὶν ἀνειπεῖν [ὁ Καλλισθένης]· καὶ γὰρ ταύτην ὁμοίαν γενέσθαι τῇ παλαιᾷ Σιβύλλῃ τῇ Ἐρυθραίᾳ. Unde patet ambitiosam istam vatem de Alexandro carmen encomiasticum cecinisse, quod græca adulatione exceptum statimque pro Sibyllino habitum sit. Invenimus apud Plutarch., Symp. V, probl. 2, Erythræam aliam poetriam Aristomachen, quæ carminis præmium in Isthmiis ludis meruisse dicitur; et alibi apud eumdem Erythræam Hesychiam, sacerdotem sive antistitem Minervæ, bello Peloponnesiaco supparem, de Pyth. Orac. p. 586; sed neutram ad Sibyllas pertinentem. Omissis igitur istis mulieribus, atque ipsa Athenaïde, præter Strabonem nemini nota, redeundum jam ad priorem illam Sibyllam quam hactenus Erythræam cum vulgo nominavimus; utrum vero Mermessiam potius dici oportuerit, tempus est nunc inquirere.

CAP. III. *De Sibylla Mermessia, sive ut alii scripsere, Marpessia, sive Gergithia, sive Hellespontia, sive Phrygia, sive Trojana, rursusque de Erythræa sæpe cum illa confusa, et obiter de Phrygia alia Ancyrana, ac de Trojana antiquiore.*

Servata tam diligenter ab Erythræis Sibyllæ memoria non tamen effecit ut ea laude, quam singularem affectabant, securi fruerentur. Quo enim se tanquam præcipuo munimento tuebantur, locus iste fuit ex Erythræo sic vocato carmine a Pausania supra citatus :

Εἰμὶ δ' ἐγὼ γεγαυῖα μέσον θνητῆς τε θεᾶς τε,

Νύμφης δ' ἀθανάτης, πατρὸς δ' αὖ κητοφάγοιο,
Μητρόθεν Ἰδογενής, πατρὶς δέ μοί ἐστιν Ἐρυθρή.

Ecce autem, docente ipso Pausania, hujus testimonii sensum textumque longe diversum trahebant ad se Marpessii, Erythræorum æmuli; unum nempe versum, tanquam ab Erythræis male suppressum, in fine restituentes, ut is tenor esset:

Μητρόθεν Ἰδογενής, πατρὶς δέ μοί ἐστιν ἐρυθρὴ
Μαρπησσὸς, μητρὸς ἱερὴ, ποταμὸς δ' Ἀϊδωνεύς.

Fuit Marpessus, si Pausaniæ fides, urbs olim in Ida Trojana non incelebris, ejus autem scriptoris tempore semirutus vicus ac prope desertus, distans a Gergithe parvo intervallo, ab Alexandria Troade stadiis fere CCXL (i. e. leucis nostratibus geographicis circiter decem), aridi soli ac rubentis, juxta fluvium Aïdoneum, sic ab inferna cognatione dictum, quod terra bis mersus atque emersus, postremo penitus absorberetur. Sed urbis nomen apud Steph. Byz. Μερμησσός (alia est apud eumdem Μυρμισσός, circa Lampsacum); nec dubium cum Marpesso Pausaniæ eamdem esse Mermessum, de qua Stephanus: Μερμησσὸς, πόλις Τρωϊκὴ, ἀφ' ἧς ἡ Ἐρυθραία Σίβυλλα· ἦν δὲ ἡ πόλις ἐρυθρὰ τῷ χρώματι, prorsus ut Pausanias: Ὑπέρυθρος δὲ πᾶσα περὶ τὴν Μάρπησσον γῆ, καὶ δεινῶς ἐστιν αὐχμώδης. Uterque rubrum soli colorem designat, uterque Sibyllæ natalem locum. Quis non eamdem urbem agnoscat, imo non utriusque testimonii communem suspicetur originem? Nam accentus quidem minime nos morari debet, apud Pausaniam certe mutandus, quum et Λυρνησσός et Παρνησσός et Ὑμησσός (Atticis Ὑμηττός) et omnia similia acui soleant. Varro quoque Mermessum seu Marmessum (quæ fortasse latina forma fuit), non Marpessum scripserat: nam apud Lactantium, Varroniana referentem, Div. Inst. lib. I, loco sæpe cit., ubi vulgo legitur: « Hellespontiam in agro Trojano natam, vico Marpesso, circa oppidum Gergithium, » consentiunt veteres omnes codices in lectione *Marmesso*. Adde quod Græci, quicumque Lactantium secuti sunt, Anonymus ad Sibyllina, Scholiasta ad Platonis Phædrum, Photius, Suidas, omnes Μαρμίσσῳ vel Μαρμύσσῳ, id est haud dubie, Μαρμήσσῳ, constanter exhibent. Apud Tibullum, lib. II, eleg. 5, v. 67, ubi est: « Quidquid Marpessia dixit, » vacillant edd. et codd. inter lectiones duas *Marpesia* et *Mermessia*, quarum posterior præferenda. Martianus Capella, de Nupt. Philos., lib. II, loc. jam. cit., Sibyllam quam Trojanam vocat, « Marmensi filiam » facit, ubi aperte legendum *Marmessi* vel *Mermessi*. Videtur ergo de vero urbis nomine vel Pausanias errasse, vel qui eum transcripserunt, et pariter in Sibyllino versu legendum esse Μερμησσός. Anvillio tamen magis placuit, in Asiæ minoris tabula, *Marpessus*,

quod miramur. Numus certe citatur a Berkelio ad Steph, Byz. cum inscriptione ΜΕΡΜΗΣΣΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛ, sub Tiberio cusus. At enim ejusne loci numus, qui Pausaniæ temporibus ἐρείπια tantum ostendebat et vicum sexaginta incolis habitatum? Potuit iste locus adhuc sub Tiberio dignitatem aliquam retinere, quis scit an terræ motu interiturus, qualia multa sub illis temporibus in Asia præsertim acciderunt? Suspicamur vero numum ipsum non Mermessi cusum, sed Alexandriæ in Troade, quæ civitas magna florensque antiquam illam ac pæne obliteratam Mermessum pro metropoli coleret. Ipsa enim Alexandria ab Antigono condita incolas ex ista Troadis parte acceperat, translatis in nova mœnia civibus ex urbe Scepsi, teste Strabone, lib. XIII, p. 607, eque vicinis haud dubie locis, quorum in numero Mermessus fuit.

Ac, nisi fallimur, tota illa cum Erythræis controversia mota est non a Mermessiis, obscuri vici vel urbis decrepitæ incolis, sed a vicinis Alexandrinis, id quod statim innuit Pausanias : Τὴν δὲ Ἡροφίλην οἱ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ, κ. τ. λ. Non igitur prius ea lis exarsisse nobis videtur quam primo vel altero post Alexandrum sæculo, quum Alexandria primum, ut diximus, ab Antigono fundata, deinde a Lysimacho aucta, cœpit annorum progressu primarium in Troade locum obtinere, Strab., ibid., p. 593.

Agatur ergo causa inter Erythræos et Alexandrinos; et quoniam summa litis verti videtur in Sibyllinorum carminum ancipiti fragmento, ipsum hoc testimonium, accuratius perpensum et ad examen vocatum, quæramus utris potius sit apponendum.

Favet Erythræis quod Erythræ ad mare sint, quo minus mireris Sibyllam piscatoris filiam se dixisse vel hominis ad mare degentis ibique piscibus vitam sustentantis, ἀνδρὸς κητοφάγοιο : quem virum Erythræi, teste Pausania, Theodorum vocabant; et in Coryco monte speluncam ostendebant, in qua natam affirmabant Sibyllam. Sed objici potest Mermessum ipsam non adeo multis a mari distare stadiis, præsertim qua Antandro vicina est, neque aliter a litore separari quam productis Idæ montis radicibus, de quibus Virgilius, Æn. III, v. 5 :

Classemque sub ipsa
Antandro, et Phrygiæ molimur montibus Idæ.

Et huc referendum quod statim in Sibyllino loco sequitur : Μητρόθεν Ἰδογενής. Potuit enim Nympha, in Idæ saltibus habitans, sæpe ad ipsum mare vagando pervenire. Hinc Sibylla simul piscatoris filia, simul ex Ida oriunda, Ἰδογενής, dici potuit. Sed confugiunt Erythræi ad antiquam vocis ἴδη significationem, qua locos omnes frondosos olim designatos fuisse contendunt, τῶν χωρίων τὰ δασέα ὑπὸ τῶν ἀνθρώ-

πων Ἴδας τότε ὀνομάζεσθαι, Pausan. loc. cit. : quod et verum est et Herodoteis exemplis confirmatum. Ut autem hoc facile Erythræis concedimus, ita, nobis judicibus, quisquis hunc locum totum attentius relegerit, agnoscet prioribus quidem versibus designatam esse parentis utriusque conditionem, nunc vero mentionem patriæ desiderari, quæ in voce ἰδογενὴς nulla sit, si ἴδη pro saltu aut nemore accipiatur.

At est in altero hemistichio : Πατρὶς δέ μοί ἐστιν Ἐρυθρή. Recte sane : nec de singulari forma pluralis loco usitata litigabimus, quoniam sic quoque eam urbem vocat Stephanus de Urbibus, et auctor Sibyllinorum a nobis editorum, lib. III, v. 813 :

Ἐξ Ἐρυθρῆς γεγαυῖαν.

Tamen, observante Klausenio, in hoc præsentis hemistichii segmento, πατρὶς Ἐρυθρή, aliquid inest ambigui quod poetæ placere vix potuit, habenti præsertim ad manum : Πατρὶς δέ μοί εἰσιν Ἐρυθραί, salvo sic metro et planiore sensu.

Contra qui ἐρυθρὴ Μερμησσός legunt, sensum exhibent non modo apertum, sed, uti jam e Pausania ac Stephano Byzantio didicimus, loci naturæ convenientem, qui rubri fuit coloris. Præterea optime Sibyllæ natalis locus definitur his verbis :

Μητρόθεν Ἰδογενής, πατρὶς δέ μοί ἐστιν ἐρυθρὴ
Μερμησσός, μητρὸς ἱερή, ποταμὸς δ' Ἀϊδωνεύς.

Vides Idam montem, vides urbem Mermessum, sacram Idææ nymphæ, quæ Sibyllæ mater dicitur et fortasse cognominis urbi suæ fuit, unde Martianus Capella, loc. supra cit., Sibyllam suam Trojanam Marmensi (lege, *Mermessi*) filiam vocabat. Aïdonei quoque fluvii mentio recte huc videtur afferri, quum et ad locum designandum prosit, et arcanam quamdam religionem Sibyllæ incunabulis addat. Carminis igitur verba, vel si sola considerentur, rectius a Mermessiorum quam ab Erythræorum patronis constitui atque exponi videntur.

Age tamen quæramus nunc, utra lectio melius conveniat cum priscis locorum traditionibus. Jam primum ante ipsam Alexandrinorum urbem in Troade conditam, vel circa hujus urbis initia, reperimus Hellespontiæ cujusdam Sibyllæ memoriam apud auctorem in Asia minori viventem, Heraclidem Ponticum, Aristotelis auditorem, qui de ea Sibylla auctor Varroni fuerat, teste Lactantio, loc. cit. Plane consentit Clemens Alexandrinus, Strom. lib. I, Heraclidem affirmans Sibyllarum Erythrææ et Phrygiæ meminisse : Μέμνηται, inquit, τούτων Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἐν τῷ περὶ Χρηστηρίων. Ubi nota librum ipsum Heraclidis a Clemente designari, amissum quidem hodie, nec omnino tamen ignotum : citatur enim a Tzetze ad Hesiodi Scutum, v. 70, notante Menagio ad Diog. Laert. Meminerat ergo Hera-

clides, in suo de Oraculis libro, Erythrææ Sibyllæ et Phrygiæ. Porro nulla videtur esse causa cur non Phrygiam illam eamdem esse putemus quam Hellespontiam Varro ex ejusdem auctoris fide vocavit, quam Pausanias Mermesso oriundam, forsitan eodem teste, fecit. Sed eam apparet ab Heraclide sic esse memoratam, tanquam ab Erythræa diversam, unde suspicamur tetigisse jam tum Heraclidem de illarum Sibyllarum origine controversiam, quæ postea ab Alexandrinis Troadis cum Erythræis litigandi causa fuit.

Conferatur nunc Dionysius Halicarnasseus, Antiq. lib. I, § 55, ed. Reisk. Is oracula commemorans Æneæ proficiscenti data, de sue fœta, de mensis comedendis, aliaque ex Virgilii præsertim Æneide satis nota, sic ait : Ἦν γάρ τι θέσφατον αὐτοῖς, ὡς μέν τινες λέγουσιν ἐν Δωδώνῃ γενόμενον, ὡς δ' ἕτεροι γράφουσιν, ἐν Ἐρυθραῖς σχεδίῳ τῆς Ἴδης, ἔνθα ᾤκει Σίβυλλα ἐπιχωρία Νύμφη χρησμῳδὸς, ἣ αὐτοῖς ἔφρασε, πλεῖν ἐπὶ δυσμῶν, κ. τ. λ. En satis apertam mentionem Sibyllæ nostræ Mermessiæ, nisi quod urbi ejus patriæ, ceterum optime situ suo designatæ facileque agnoscendæ, nomen Erythrarum pro Mermesso huc illatum est, incertum qua auctoritate et fortasse nulla, sed quo facilius Erythrææ nomen notissimum et clarissimum ad illam Sibyllam transferretur. Auctores tamen aliquos sequi se declarat Dionysius, quum addit : ὡς δ' ἕτεροι γράφουσιν, et fortasse hoc quoque ab Heraclide supra citato acceperat. Sed Heraclidi non videmus quinam auctores esse potuerint, nisi Cyclici poetæ, qui soli fabulam illam vel poetica libertate comminisci, vel ex aliqua in Troade servata traditione referre in suos versus potuerunt.

At Virgilius, qui multa a Cyclicis mutuari solet, de responso Sibyllino Trojanis in sua terra dato prorsus reticet; nec mirum, quum totam illam propheticam mythologiam ad aliam Sibyllam Romanis notiorem, Cumanam nempe, transferre vellet. Ceterum non ignorabat id quod prorsus Dionysianæ traditioni convenit, Trojanos, excisa patria, non statim ex Asia profugisse, sed in Idæ saltibus altis et natura munitis opportunum fugæ tempus exspectasse, ubi Sibyllam Mermessiam consulere facile potuerunt. Atque illos ibi hyemem totam commoratos fingit, Æn. III, v. 5, sqq. :

Classemque sub ipsa
Antandro et Phrygiæ molimur montibus Idæ.
.... Vix prima inceperat æstas,
Et pater Anchises dare ventis vela jubebat.

Alii aliter : nam Palæphatus laudatus a Servio ad Æn. l. cit., trium annorum moram concesserat. Quin et Strabo, lib. XIII, p. 608, reliquum omne vitæ spatium Æneam in Troade, ἐν τῇ Τροίᾳ, regnasse

innuit, posterosque ibi regni successores habuisse saltem ad Homeri tempora, unde notum apud poetam vaticinium, Iliad. υ, 307 :

Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδων, τοί κεν μετόπισθεν ἔσονται,

de quo confer multa disputantes interpretes, Heynium in primis ad Æneidem, disquis. II, de rerum in Æn. tractatarum inventione.

Certum est e Strabone, lib. cit. p. 607, diu apud Scepsin urbem in Troade, regii generis dignitatem retinuisse qui se Ascanii posteros dicerent; et Demetrius Scepsius (Strab. ibid.) patriam suam Æneæ regiam fuisse, scriptum reliquerat, urbem nempe Palæ-Scepsin, quæ haud multum a Mermesso distabat : Οἴεται δ' ὁ Σκήψιος καὶ βασίλειον Αἰνείου γεγονέναι τὴν Σκῆψιν. Gergithas quoque seu Gergithios, Mermesso proximos, Teucrorum reliquias diserte vocat Herodotus, lib. V, § 122 : Γέργιθας τοὺς ὑπολειφθέντας τῶν ἀρχαίων Τευκρῶν, et lib. VII, § 43, Γέργιθας Τευκρούς : quorum diversam originem, sed ineptam et stultam, videre est a Clearcho Solense proditam, apud Athenæum, lib. VI, § 68. Antiquissima fuit illa civitas, quam noli cum aliis ejusdem nominis ejusdemque fortasse originis confundere apud Strabonem et Athenæum; numosque suos reliquit cum titulo ΣΚΗΨΙΩΝ vel ΣΚΑΨΙΩΝ, apud Mionn. t. II, p. 668 sq., in quorum uno, n° 505, effigies prostat Æneæ cum pio onere fugientis. Vivebant ergo, ut diximus, circa ea loca Trojanæ traditiones, quas ab Homero et Cyclicis diligenter conquisitas fuisse palam demonstrat magna apud antiquos poetas Trojanæ topographiæ scientia.

Enim totam illam Homericam et Cyclicam poesim in Asia minore ortam, et elementis partim Ionicis, partim Æolicis conflatam esse, vel ipsa dialectorum confusio satis docet. Ad Æolicam vero pertinere originem ea quæ de Sibylla narrantur vel ipsum ejus nomen satis, ut supra ostendimus, indicat. Et quidem possessam olim ab Æolibus fuisse totam illam regionem quæ circa montis Idæ radices patet, omnium doctorum firmat opinio, freta præsertim Herodoti testimonio, lib. V, loco supra citato : Εἷλε μὲν Αἰολέας πάντας, ὅσοι τὴν Ἰλιάδα νέμονται, εἷλε δὲ Γέργιθας, κ. τ. λ.

In iis ergo locis vel circa ea loca initium habuisse credimus quum ipsum Sibyllæ nomen, tum illam de Sibylla Mermessia traditionem quæ postea in epicum Cyclum transiit, tum etiam Sibyllina ipsa carmina vel pro Sibyllinis vulgata. Quippe vir aliquis ex ea regione, poeta non malus, apertam a Cyclicis viam ingressus, oracula illa composuerit, quæ deinde cum ipsa Sibyllæ memoria ad Erythræos et in totam Græciam transierint.

Septimo vel, ut primum, octavo sæculo scripta illa fuisse censemus,

quod Cyclica poemata paulo ante, circa nonum præcipue vel octavum, prodiisse constet, quodque Ionica poesis in ignotis Æolidos oppidulis atque in ipsis Idæ montis radicibus vix considere potuerit nisi aliquanto post Homerica tempora, quum jam illud poeseos genus in reliquis Asiæ coloniis florere ac vigere cœpisset.

Atenim, quæret aliquis, qui fit ut Trojanas Æolicasque traditiones Erythræi potissimum ad se detorserint, Iones genere et a Troade longo distantes intervallo? Non aliam forsan ob causam, quam propter ambiguum tenorem illius, de quo diximus, dimidii versus :

Πατρὶς δέ μοί ἐστιν ἐρυθρή.

Sed et indicia quædam collegit doctissimus Klausenius frequentis olim inter Erythras et Troadem commercii : Parion in Troade, Erythræorum coloniam, Strab. lib. XIII, p. 588, et Pausan. Bœot. § 27, initio; Cybeliam pagum prope Erythras, Strab. lib. XIV, p. 645 ; antiquum apud Erythræos cultum Herculis Idæi, de quo Pausanias, Bœot. § 27, sub finem, et Achaïc. § 5. De Pario notandum, etsi Strabo communem eam coloniam tribus populis faciat, Milesiis, Erythræis, Pariis, præcipuam tamen partem Erythræorum fuisse, quum scribat Pausanias : Ἑλλησποντίων Παριανοὶ τὸ μὲν ἀνέκαθεν ἐξ Ἰωνίας καὶ Ἐρυθρῶν ἀπῳκισμένοι, omissis ceterarum civitatum nominibus. Satis hoc arguit crebras Erythræorum in Troadem migrationes illis temporibus factas, nempe circa septimum vel octavum sæculum, tum quum Erythræ, sicut omnes Ionicæ coloniæ, commercio florerent; Troas vero, et omnis illa pars Asiæ quæ ad Idam montem sita est, nullis dum magnis urbibus celebrata, quamvis solo fertili amœnoque cœlo, obscura et ignobilis, mercatum nullum nisi per advenas exerceret. Facile igitur fuit Erythræis loca frequentantibus in quibus Sibyllinæ vigebant traditiones, inde illas domum reportare cum vulgatis ibidem Sibyllinis carminibus; deinde sibi eas traditiones eaque carmina vindicare, sponte eo ducente Sibyllini ipsius carminis ancipiti hemistichio :

Πατρὶς δέ μοί ἐστιν ἐρυθρή.

Multo sane minus intelligat aliquis, voluisse Mermessios ignobiles et inopes laudem illam Erythræis nobilibus ac divitibus præripere. Et promptius erat versum unum e codicibus manuscriptis delere quam spurium inserere. Præterea Erythræi, commercio et navigationibus dediti, facile opiniones suas propagabant apud Ionicas præsertim gentes, quarum ipsæ fuerunt Athenæ, unde rursus in reliquam Græciam et in Græciæ colonias refundebantur. Iisdem causis factum est ut Sibyllinorum carminum codices ii qui Erythræis faverent, id est, qui ab Erythræis adulterati fuissent, pæne soli inter hominum manus

ubique, nisi forte in Troade, versarentur. Nam Mermessus, quæ cives paucos, pauciores sane videtur habuisse librarios.

In summa prorsus assentiendum Pausaniæ versum illum, de quo ambigitur, ideoque totam litem Marpessiis suis, id est, Mermessiis adjudicanti. Hinc recte ad Marpessiam seu Mermessiam Sibyllam nonnulla retulit Pausanias quæ vulgo de Erythræa narrabantur. Hinc ipsam recte Herophilen vocavit, proprio Erythrææ nomine, tribuitque ei vaticinia quæ Græcis Trojam venientibus data feruntur: Καὶ Ἑλένην τε προεδήλωσεν ἐν τοῖς χρησμοῖς ὡς ἐπ' ὀλέθρῳ τῆς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης τραφήσοιτο ἐν Σπάρτῃ, καὶ ὡς Ἴλιον ἁλώσεται δι' αὐτὴν ὑπὸ Ἑλλήνων, ubi eadem fere agnoscis quæ ex Apollodoro, patria Erythræo, ideoque suspecto nobis auctore, ad Erythræam Sibyllam retulerat Varro apud Lactantium, loco sæpe cit.: illam quippe « Græcis Ilium « petentibus vaticinatam et perituram esse Trojam et Homerum men« dacia scripturum, » nisi quod ultima verba: « et Homerum men« dacia scripturum, » desunt apud Pausaniam, possuntque videri defuisse apud Varronem et addita esse a Lactantio, respiciente scilicet ad nostrorum Sibyllinorum librum III, v. 419, sqq. Sed quum istam libri tertii partem non videatur cognovisse Lactantius, præstat credere hæc quoque de Homeri mendaciis in vetere Erythræo carmine, sicut in nostris libris, obvia fuisse; eoque fortasse respiciebat Bocchus a nobis citatus, cap. 2, rursusque citandus infra, cap. 5.

Pergit Pausanias, et fata mulieris ita describit: Τὴν δὲ Ἡροφίλην οἱ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ ταύτην νεωκόρον τε τοῦ Ἀπόλλωνος γενέσθαι τοῦ Σμινθέως, καὶ ἐπὶ τῷ ὀνείρατι τῷ Ἑκάβης χρῆσαί φασιν αὐτὴν, ἃ δὴ καὶ ἐπιτελεσθέντα ἴσμεν. Αὕτη ἡ Σίβυλλα ᾤκησε μὲν τὸ πολὺ τοῦ βίου ἐν Σάμῳ, ἀφίκετο δὲ καὶ ἐς Κλάρον τὴν Κολοφωνίων, καὶ ἐς Δῆλόν τε καὶ ἐς Δελφούς. Τὸ μέντοι χρεὼν αὐτὴν ἐπέλαβεν ἐν τῇ Τρωάδι. Καί οἱ τὸ μνῆμα ἐν τῷ ἄλσει τοῦ Σμινθέως ἐστὶ, καὶ ἐλεγεῖον ἐπὶ στήλης, κ. τ. λ.

Multa ad hunc locum observari possunt. Ac 1° quæ de Sibylla in Apollinis Sminthei templo ministrante narrat Pausanias, non tanquam ex se, sed ex Alexandrinorum fide tradit; quorum revera plurimum interfuit huic insistere traditioni, sive antiquæ, sive ab ipsis confictæ, propter summam in Troade venerationem Dei qui in templo Smintheo Alexandriæ proximo colebatur, unde in ejus urbis numis frequens Apollinis effigies occurrit, et quidem cum ipso dei nomine ΖΜΙΘΕΩΣ, apud Mionn., t. II, p. 639, sq., et in supplem. non semel; rarius ΖΜΙΝΘΕΩΣ, ibid., n° 60. Sacrum illud Apollinis nomen in Troade præsertim, ubi pluribus locis colebatur, Strab., lib. XIII, p. 604 et 613, jamque apud Homerum legitur sub hac forma, Σμινθεῦ, Iliad. I, 39. Quanquam Smintheum Alexandrinorum testatur Strabo, p. 613,

non fuisse Homericam illam Chrysæ sacerdotis sedem, alibi quippe quærendam circa Theben Troadis in Adramytteno litore, unde postea et Deus et templum et ipsum urbis Chrysæ nomen propius Alexandriam circa Hamaxitum translata fuerint omnia. Sed id vel ignorabant vel negabant Alexandrini, Smintheumque suum summæ antiquitatis religione stipabant. Porro nulla Sibyllæ aptior sedes excogitari cupientibus poterat quam locus tandiu Apollinis cultu celebratus; neque aptius ullum munus quam ipsum Phœbi ministerium in eam mulierem cadebat, quæ se in carminibus suis, docente ipso Pausania et fragmentis carminum testantibus, nunc sororem Phœbi, nunc filiam, nunc uxorem cecinerat.

2° De somnio Hecubæ verum est quod scribit Noster, omnibus illud esse notum, ἃ πάντες ἴσμεν. Sed ejus somnii interpretationem alii aliis tribuerunt : Æsaco Priami filio Lycophron, Alex. v. 224 (ubi Tzetzen vide), et Apollodorus Atheniensis, Bibl. III, cap. 12; Apollini, Cicero vel incertus apud eum poeta, de Divin., lib. I, § 21; divinis et hariolis ignarum quibus, Hyginus, fab. 91, item Dictys Cret. lib. III, cap. 26, et Scholiasta minor ad Iliad. γ, 325; Cassandræ Priami filiæ, Euripides, Androm., v. 296, sqq., aliique recentiores, sed falso, uti patet. Qui enim potuit Cassandra fratris interesse natalibus, quæ junior eo diserte traditur in Apollodori Bibliotheca, lib. III, cap. 12 (p. 334, Heyne), concinente choro mythologorum? Adde quod Cassandræ Priamidi nulla vaticinandi facultas ab Homero tribuitur (cf. Iliad. ν, 366; ω, 699, et Odyss. λ, 421), eaque laus illi feminæ ab Euripide primum afflicta videtur in usum tragicæ scenæ, unde ad poetas recentiores transiit. Rectior opinio Pausaniæ, quæ Sibyllam Mermessiam huc adducit, de qua tanquam artis fatidicæ peritissima constantem fuisse famam in Troade diximus. Huc etiam referri potest quod Suidas ait, Phrygiam Sibyllam, quam ipse incertum cur Sarbin aut Sarysin vocat, ab aliis Cassandram seu Taraxandram vocari. Profectum enim hoc videtur ex aliqua Sibyllæ cum Cassandra confusione propter illam somnii interpretationem. Κασάνδρα quidem et Ταραξάνδρα, sicut apud Lycophronem Ἀλεξάνδρα, unum idemque videtur esse Cassandræ nomen, leviter inflexum, ita ut e diversis etymis idem pæne sensus efficiatur, παρὰ τὸ καινύναι, ἢ τὸ ταράττειν, ἢ τὸ ἀλεξεῖν. Sed de isto Suidæ loco rursus infra locus erit dicendi.

3° Addit Pausanias Sibyllam suam diu Sami vixisse, deinde Clari, Deli ac Delphis cecinisse, nempe ut eamdem hanc cum Samia, Colophonia, Delphica, cumque Deliorum carminum auctore faciat; sed de his omnibus, quæ opportuna videbuntur, proximis capitibus disseremus. Illud interim miramur non venisse Nostro in mentem, quo

magis Sibyllas omnes in unam conflaret, ut Erythras quoque hanc perduceret et Cumas. Sed fortasse noluit Erythræis quidquam concedere; et de Cumis, fortasse ne Sibyllam in Italia detineret, maluit recentiores auctores sequi quam Aristotelem, qui multo ante Erythræam suam, ut diximus, Cumas adduxerat.

4° Quæ de Sibyllæ in Troadem reditu ejusque ibi morte et sepultura tradit Pausanias, manifestum est ab ipso accommodata esse ad reliquam fabulam de Mermessiæ peregrinationibus. Dignum tamen fide quod statim addit de cippo ejus memoriæ sacrato, quem in Apollinis Sminthei luco monstrari ad sua usque tempora docet. Ita enim locum graphice describit, ut spectasse ipse videatur. Unde colligas de Smintheo Alexandrino agi, non de illo antiquiore et Homerico, de quo Strabo supra citatus, pag. 28, sq. Nam vetus Chrysa vetusque Smintheum, teste ipso Strabone, prorsus jam scriptoris illius temporibus abolita erant, locique ipsius facies in solitudinem versa : Ἠρήμωται δὲ τὸ χωρίον τελέως. Veremur autem ne in Smintheo Alexandriæ vicino monumentum Sibyllæ non aliud fuerit quam recens aliquod et, ut videtur, ab Alexandrinis positum ob suam cum Erythræis controversiam; in cujus tamen descriptione paululum commorandum est. Juxta erant, tradente Pausania, Nympharum imagines, et fons grata Nymphis sedes, recte omnia ad Sibyllæ sepulturam accommodata, quæ se mediam inter homines ac deos, Nymphæ filiam prædicaverat :

Εἰμὶ δ' ἐγὼ γεγαυῖα μέσον θνητοῦ τε θεᾶς τε,
Νύμφης δ' ἀθανάτης, κ. τ. λ.

Et ipsam quidem a Dionysio Halic. Nympham, non tantum Nymphæ filiam, vocari supra vidimus : Ἔνθα ᾤκει Σίβυλλα ἐπιχωρία Νύμφη χρησμῳδός. Additum monumento simulacrum Hermæ, quo nempe fatidicæ mulieris eloquentia designaretur. Elogium stelæ inscriptum hujusmodi :

Ἁδ' ἐγὼ ἁ Φοίβοιο σαφηγορίς εἰμι Σίβυλλα,
Τῷδ' ὑπὸ λαϊνέῳ σήματι πυθομένη,
Παρθένος αὐδάεσσα τὸ πρὶν, νῦν δ' αἰὲν ἄναυδος,
Μοίρᾳ ὑπὸ στιβαρῇ τήνδε λαχοῦσα πέδην.
Ἀλλὰ πέλας Νύμφαισι καὶ Ἑρμῇ τῷδ' ὑπόκειμαι,
Μοῖραν ἔχουσ' Ἑκάτῳ τῆς τότ' ἀνακτορίης.

In hoc epitaphio si voluit poeta simulatione antiquitatis fucum facere lectoribus, incaute egit. Nam in ultimo sane versu τότ' adverbium antiquiorem aliquanto Sibyllam quam ipsum monumentum facit. Præterea veteris æolismi speciem frustra ibi quæras : dorismo potius et ionismo male mixti sunt versus, ceterum satis boni et elegantes. Primus habet inauditam vocem σαφηγορίς, pro qua fortasse σαφηγόρος le-

gendum, ut χρησμηγόρος in Sibyllinorum nostrorum libro IV, v. 4 :

Οὐ ψευδοῦς Φοίβου χρησμηγόρος,

versu fortasse ad hujus epitaphii imitationem conficto. Infra pro πυθομένη, forsitan placebit alicui magis κευθομένη, quo delectamur. In ultimo pentametro μοῖραν, pro χάριν positum, rectum putamus, ægre tamen, quod bis eadem vox in duobus distichis legatur. Cetera plana sunt. Quod si et inscriptionis et cippi ætas e stylo divinanda sit, videbitur propter dictionem, confusis licet dialectis, haud inelegantem et satis ἀρχαιοπινῆ, recentior vix haberi posse primis post Alexandrum temporibus. Referenda ergo ad Alexandriæ Troadis initia vel ad originem motæ litis adversus Erythræos, quos et vicissim talem cippum honori Sibyllæ suæ sacrasse supra diximus, cap. 2, p. 20.

Atque hic de Mermessia Sibylla finis esset dicendi, nisi varia ejus apud auctores nomina recensenda superessent.

Marpessiam diximus a Pausania corrupte dici. Erythræa cur a plerisque falso credita sit, abunde monstravimus.

Eadem Gergithia vocatur a Stephano de Urbibus, allato Phlegontis testimonio : Γέργις, inquit, πόλις Τροίας... ὁ πολίτης Γεργίθιος, τὸ θηλυκὸν Γεργιθία, ἀφ' οὗ Γεργιθία ἡ χρησμολόγος Σίβυλλα, ἥτις καὶ τετύπωτο ἐν τῷ νομίσματι τῶν Γεργιθίων αὐτή τε καὶ ἡ Σφίγξ, ὡς Φλέγων ἐν 'Ολυμπιάδων πρώτῃ. Ἐν δὲ τῷ ἱερῷ τοῦ Γεργιθίου Ἀπόλλωνος, Σιβύλλης φασὶν εἶναι τάφον. Inter Erythrææ Sibyllæ cognomina dederat Suidas quoque Γεργιθίαν. Nec mirum, quum Mermessus et Gergis (confer supra pag. 26) vicina omnino loca fuerint, et Gergis Mermesso frequentior ac notior, unde Varro apud Lact. loco sæpe cit. : « In vico, inquit, Mermesso, circa oppidum Gergithium. » Græci autem qui eum transcripserunt : Ἐν κώμῃ Μαρμίσῳ, περὶ τὴν πολίχνην Γεργίθιον [alii male Γεργιτίονα vel Γεργιτίωνα], ἥτις ἐνορία Τρωάδος ἐτύγχανεν. De moneta Gergithiorum secure possumus Stephano et Phlegonti astipulari, si verus est numus citatus atque delineatus apud Dumers., Cabin. All. pl. XII, 10, et Klausen., op. cit. tab. I, n° 11, hinc mulieris caput exhibens lauro redimitum, inde Sphingem sedentem alatam cum titulo ΓΕΡ. Similis est alter, an forte idem? sed hic cum Apollinis, si qua fides, capite margaritis torquato, apud Mionn. Suppl. t. V, p. 359, n° 496. Neutrum vidimus, probaverunt doctiores, et tamen suspicio subest erroris e fraude nati. Confer Fabricium, t. I, p. 229, ed. Harl. Quod autem dicitur Phlegon hujus rei meminisse ἐν 'Ολυμπιάδων πρώτῃ, non possumus latinum interpretem sequi sic vertentem : « In prima Olympiade » ; manifesto enim legendum πρώτῳ, et intelligendus Phlegontis Olympiadum liber primus, unde ne conjectura quidem divinari licet,

quid de illius Sibyllæ ætate senserit Phlegon, auctor ceteroqui doctus magis quam criticus. Additur in Apollinis Gergithii templo sepulcrum monstrari Sibyllæ, ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Γεργιθίου Ἀπόλλωνος· sed veremur ne confusis perperam locis ac nominibus sepultura illa eadem sit quam a Pausania teste oculato designatam vidimus in Apollinis Sminthei luco, ἐν τῷ ἄλσει τοῦ Σμινθέως.

Hellespontiam Varro vocat apud Lactantium, loc. cit., Heraclidem secutus auctorem, et jure, quia omnis illa regio, qua Troas includitur, antiquitus et apud Homerum Phrygiæ annexa, apud recentiores sæpe Phrygia ad Hellespontum dici solet.

Phrygiam igitur recte quoque eam mulierem vocavit Clemens Alexandrinus, ex eodem Heraclide : recte ille quidem, sed ambigue, quoniam alias Phrygias Sibyllas videmus ab auctoribus designari ; quarum primo loco ponenda est Varronis Ancyrana, recensentis apud Lact., loc. sæpe laud., « nonam Phrygiam quæ vaticinata sit « Ancyræ, » ubi tamen auctoris nomen vel a Varrone non additum vel a Lactantio suppressum est. De qua Sibylla quum nihil certi usquam tradatur, nos quoque nihil habemus notandum, nisi Ancyranos, Troadi vicinos, fortasse partem ipsos quoque Trojanarum traditionum sibi vindicare voluisse ; nonus tamen locus illi Sibyllæ a Varrone assignatus diversam eam a Mermessia longeque recentiorem facere videtur. Eadem fortasse fuerit, de qua Suidas et cum eo Eudocia : Σίβυλλα Φρυγία ἡ κληθεῖσα ὑπό τινων Σάρβις, ubi pro Σάρβις codex unus Σαρύσις habet : utrumque certe barbarum nomen et fortasse Phrygium, nisi sub utroque delitescit Chaldææ Sibyllæ nomen Σάββη, de quo plura nos infra, cap. 14. Sed quum Suidas et Eudocia statim addant Cassandram eamdem seu Taraxandram a quibusdam vocari, cavendum ne qua ibi subsit nominum et rerum confusio, qualem notavimus paulo ante, pag. 29.

Trojanam vero, non jam Hellespontiam aut Phrygiam, vocat aperte Martianus Capella, loc. supra cit., eamdem quæ nobis Mermessia est : « Erophilam Trojanam, » inquit, « Marmensi filiam, » ubi corrupta quidem omnia, clara tamen et manifesta, si legas : « Herophilam Tro- « janam Mermessi filiam. » Videtur enim Martianus, uti supra diximus, p. 24, non Mermessum urbem, sed Nympham aliquam intellexisse, quæ Mermessi coleretur, sub eodem fortasse quo urbs ipsa nomine. Ac Trojanæ quidem cognomen in Mermessia Sibylla facile nobis placeret, primum quod Mermessus in Troade fuit ; deinde quod Sibyllam Erythræam, quæ verius Mermessia est, Trojanis rebus interfuisse a multis traditum scimus. Sed melius convenire videtur appellatio hæc antiquiori cuidam Sibyllæ, cujus meminit Ar-

rianus ab Eustathio citatus ad Iliad. 6, 814 : Ἀῤῥιανός φησιν ὅτι Δάρδανος ἐκ Σάμου τῆς Θρακίας ἐλθὼν τὰς τοῦ Τεύκρου βασιλέως θυγατέρας ἔγημε Νησὼ καὶ Βάτειαν, καὶ ἐκ μὲν τῆς Νησοῦς ἦν αὐτῷ θυγάτηρ Σίβυλλα ἡ μάντις, ἀφ' ἧς καὶ ἄλλαι γυναῖκες ὅσαι ἐγένοντο μαντικαὶ, οὐχ ὡς πρὸς αἵματος αὐτῇ οὖσαι, ἀλλὰ διὰ τὴν θεοφορίαν τυχοῦσαι τῆς ἐπικλήσεως. En tibi sane Trojana Sibylla a Mermessia diversissima, sive parentes utriusque sive ætatem spectes. Antiquissima sane : quippe ipsis Trojæ initiis pæne suppar. Ad quam respexisse videntur qui Sibyllam Erythræam Trois, regis Trojani, temporibus assignaverunt, ut Joannes Malalas, citatus a nobis supra, cap. 2. Sed nec recentem fuisse illam de Sibylla Nesus filia traditionem, vel unus ostendit Lycophron apud quem Cassandra periphrastice sic vocatur, v. 1464, sq. :

Μελαγκραίρας κόπις

Νησοῦς θυγατρὸς,

id est, simia sive æmula Melancræræ, Nesus filiæ. Habemus igitur hic Sibyllam a Cassandra distinctam, eaque antiquiorem, et ad prima Trojæ tempora pertinentem. Habemus etiam nomen ejus Melancræram, quod Arriano sive Eustathio deerat. Sed nomen a poeta confictum videtur ex Aristotelis loco supra citato, in quo tamen Sibyllæ nomen Μελάγχραινα est, non Μελάγκραιρα, sive aliam Aristotelis lectionem præsto habuit Lycophron, sive ipsam poetica licentia mutavit; potuerunt etiam ambo, philosophus nempe et poeta, diversos auctores sequi, vel diversas habere scripturas unius auctoris, quem suspicamur e Cyclicis aliquem fuisse ; sin minus, ex antiquissimis seu poetis seu mythographis. Apud Lycophronem certe lectio minime dubia est, quam firmat interpres ejus poetæ Tzetzes ad h. l., etiam Melancræræ nominis etymologiam afferens, παρὰ τὸ μελαίνειν τὴν φράσιν καὶ τοὺς χρησμούς, sed illam ineptam prorsus ac vix per se notatu dignam.

Magis notanda est ultima apud Arrianum sententia, omnes nempe Sibyllas ab illa Trojana antiquissima nomen ducere : quod potuit, imo debuit audacter asserere quicumque primus Trojanam Sibyllam Mermessia antiquiorem excogitavit. Mermessiam tamen primam apud suos ita vocatam fuisse, atque inde id nomen ad Cyclicos poetas transisse, ex iis quæ supra disputavimus, longe verisimilius est. Nam de Libyca Sibylla, illum quoque præcipuæ antiquitatis honorem apud quosdam sortita, dicemus infra quod sentimus.

CAP IV. *De Sibyllis Colophonia, Samia, Sardiana, Rhodia, et obiter de Deliorum Sibylla.*

Pausanias suam, ut diximus, Marpessiam seu verius Mermessiam Sibyllam, quæ aliis Erythræa est, ut eamdem non cum Erythræa tantum, sed etiam cum aliis haud incelebribus faceret, per Asiæ Græciæque oras cursitasse finxit, inque iis locis commoratam esse qui postea Sibyllinas traditiones retinuerunt. Nos non tam Sibyllam quam Pausaniam secuti, ita tamen ut a duce nostro interdum discedamus, earum traditionum vestigia per Asiæ primum litora quæremus.

Clari primum seu Colophone subsistemus, ubi nos Colophoniæ Sibyllæ nomen detinet, de qua tamen perpauca sunt testimonia veterum, unum Lycophronis, apud quem Cassandra vocatur, v. 1464, Κλάρου μιμαλλών, id est, interprete Tzetze, Claria baccha seu prophetis, imo potius Clariæ seu Colophoniæ simillima. Alterum, sed obliquum, Pausaniæ, l. cit., Marpessiam suam Sibyllam Claron deducentis: Ἀφίκετο δὲ καὶ ἐς Κλάρον τῶν Κολοφωνίων, nempe ut ipsa cum Colophonia confundatur. Tertium brevissimum omnium, una quippe voce contentum, Clementis Alex., Stromat. I, p. 399, ed. Ox., ubi inter Sibyllarum nomina, et quidem inter Samiam et Cumanam, Colophoniæ quoque meminit: Quartum denique, sed illud paulo expressius, Suidæ: Σίβυλλα Κολοφωνία, ἥτις ἐκλήθη Λάμπουσα, ἀπόγονος Κάλχαντος, καὶ αὕτη μαντείας καὶ χρησμοὺς· δι' ἐπῶν καὶ ἄλλα. Videntur ergo sub illius Sibyllæ nomine oracula quædam in lucem edita fuisse, eaque, Sibyllino more, epicis scripta versibus, δι' ἐπῶν. Nomen mulieri Lampusa. Sed ipsa quæ fuisse crederetur, penitus ignoraremus, nisi unum hoc indicium, ἀπόγονος Κάλχαντος, in rectam nos viam deduceret. Nam Lampusæ quidem nomen aliunde est ignotum. Sed Calchantem, post bellum Trojanum, Claron venisse, ibi cum Mopso, Mantus filio, Tiresiæ nepote, vaticiniis certasse, victumque ab eo præ dolore vitam finiisse, notum est e Strabone, lib. XIV, p. 642, sq.; Tzetze ad Lycophr. v. 427, 989; Servio ad Eclog. VI, 72; quibus præluxerant Hesiodus, teste Strabone, loc. cit., et Euphorion Chalcidicus, Servio teste. Potuit ergo Calchantis proles in ea urbe remanere atque ibi vaticiniis inclarescere; quæ autem proles a Suida dicitur, ἀπόγονος, filia videtur intelligenda, quemadmodum alibi Manto Tiresiæ ἀπόγονος ab eodem vocabitur infra, cap. 5. Utique ista Lampusa, si Colophone vaticinata est, proprio instinctu id fecit, ut Sibylla, non alieno, tanquam ministra vel hypophetis Clarii oraculi, quod et a paternis inimicis conditum erat, et ministram feminam nullam habuit, sed Tacito

teste, Annal., lib. II, § 54, ministros tantum, seu sacerdotes, seu prophetas; qui quidem aqua e sacro fonte hausta divinos spiritus concipiebant, Macrob., Saturn. lib. I, cap. 18; Iamblich., de Myst. III, § 11; quorum primum fuisse Mopsum, Mantus filium, persuadet tenor ipse narratæ supra fabulæ. Sed mirum est Sibyllam Colophoniis Lampusam potius Calchantis fuisse, quam Manto Tiresiæ, quæ inter Sibyllas a quibusdam numerata est, tum quum sub Daphnes nomine in Apollinis Delphici templo ministraret; iterum confer cap. 5. Sibyllam ii fortasse nullam nisi virginem, agnosci posse crediderunt.

Colophone Samon facilis est trajectus; itaque Sibyllam suam Sami quoque habitasse, et quidem maximam ævi sui partem ibi degisse, finxit Pausanias, loc. cit. : Αὕτη ἡ Σίβυλλα ᾤκησε μὲν τὸ πολὺ τοῦ βίου ἐν Σάμῳ. Sed id minus speciose : nam Marpessia seu Mermessia, de qua Pausanias, quacumque demum ratione ejus ætas constituatur, antiquior valde habenda est quam hæc Samia, quæ non jam ad fabulosa seu poetica, sed ad historica, ut nunc vulgo loquuntur, tempora pertinet; unde Lactantius, ex Varronis fide, sextam hanc ordine refert, « de qua scribat Eratosthenes in antiquis annalibus Samiorum « reperisse se scriptum. » Quod si verum est, et si quid de ea tanquam coætanea, scriptum erat in annalibus Samiorum, quum ii annales vix possint antiquiores septimo sæculo fuisse propter scripturæ magnam tum imperitiam et difficultatem, vixisse ea mulier haud multo prius videtur, florentibus Samiorum rebus ante Persarum dominationem : ita ut recte ætatem ejus definiat Eusebius Tulli Hostilii Romanorum regis temporibus, quam quidem viri doctissimi sententiam de more suo retinuerunt, nihil aut parum in temporum aut regum designatione differentes, Hieronymus in Chronicis; Augustinus, de Civitate Dei, lib. XVIII, cap. 24; apud Græcos præter Syncellum, etiam Cedrenus aliique chronographi. In Cedreno id notandum, bis apud illum Sibyllam hanc et quidem ad diversa tempora referri, semel enim ad Josiæ, id est, Tulli Hostilii, ἐφ' ὧν καὶ Σίβυλλα ἡ Σαμωναία ἐγνωρίζετο, iterum ad Cyri, id est, Tarquinii Superbi tempora; κατὰ τούτους τοὺς χρόνους ἡ Σίβυλλα ἡ ἐν Σάμῳ ἐγνωρίζετο. Sed posteriore loco ad Tarquinianam videtur potius quam ad Samiam respexisse.

Eusebius, horum omnium dux, quo se auctore tueretur, minime dixit. Varro tamen, ex Lactantii fide supra citatus, favet Eusebii sententiæ, dum Samiam mediam facit inter Erythræam et Romanam.

Ceterorum testimonia nihil ad rem faciunt, qui plerique ipsa tantum Lactantii verba vel latine vel græce transcripserunt, ut latine Isidorus, græce autem Photius cum Scholiasta Platonis, et Suidas v. Σίβυλλαι, et Anonymus præfatus ad nostra Sibyllina. Notandum

tamen in quibusdam Sibyllæ proprium nomen addi, uti supra additum a Cedreno vidimus, Σίβυλλα ἡ Σαμωναία, et sic fere apud Isidorum, Origin., lib. VIII, cap. 8 : « Sexta Samia, quæ Samonota dicta est a Samo insula, unde fuit cognominata. » Unum apud utrumque nomen videtur Samonæa et Samonota, barbarum tamen utrobique, et unde sumptum frustra quærimus; nam quæ apud Isidorum sequuntur : « a Samo insula, etc., » facile quivis pro interpolatis habebit. Cogitaremus de Phemonoë, quod Cumanæ Sibyllæ nomen est Servio ad Æn. III, v. 445, vel de Sambetha, quod Chaldææ nomen Suidæ, nisi nos consensus ille duorum scriptorum in uno verbo, quamvis corrupto, moraretur. Magis græcum et probabilius nomen est Φυτώ, quod alii Græci Lactantianis a se translatis addiderunt : Ἡ κυρίῳ ὀνόματι καλουμένη Φυτώ, vel ἧς τὸ κύριον Φυτώ φασιν, hoc tamen etiam incertum quo auctore, nisi, ut nobis quidem videtur, Clemente Alexandrino. Is enim inter diversa Sibyllarum nomina, Strom. I, p. 399, loc. cit., Φυτώ quoque habet; quanquam non de Samia, paulo ante ab ipso memorata, sed de alia ignota, frustra ibi proponente Sylburgio lectionem diversam, Πυθώ, nec improbante, quod miramur, Fabricio, Bibl. gr. t. I, p. 230, ed. Harl.

Ceterum licet hæc Samia inter celeberrimas, imo, juxta Ælianum, Var. Hist. XII, cap. 35, inter solas quatuor genuinas habenda sit, uno tamen verbo designata reperitur, quum apud ipsum, tum apud Clementem Alexandrinum, Strom. I, loco supra cit. Hyginus quoque sive pseudo-Hyginus, fab. 128, verbo tenus illam nominat, insuper cum Cumana male confusam : « Sibylla, inquit, Samia, alii « Cymæam dixerunt. »

Quod autem eam diximus ad historica tempora pertinere, non Eratosthenis tantum auctoritate nititur, sed etiam ac multo magis Valerii Maximi loco, licet obscuro satis et controverso, qui sic legitur, lib. I, cap. 5, § 9 : « Samii Prienensibus auxilium adversus « Caras implorantibus, arrogantia instincti, pro classe et exercitu « cymbulam eis derisus gratia miserunt. Quam illi velut divinitus da- « tum præsidium interpretati, libenter receptam, vera fatorum præ- « dictione, victoriæ ducem habuerunt. » Sic veteres omnes codd. et edd., ubi tamen docti viri pro *cymbulam* legendum *Sibyllam* præsenserant : et ecce firmat hanc lectionem epitome Valerii Flacci per Julium Paridem facta, recens autem in lucem edita curis eminentiss. card. Maii, Vet. scriptt. t. III, epitomæ vero lib. I, cap. 5, extr. : « Samii Prienensibus auxilium adversus Cares petentibus in derisu « Sibyllam miserunt, hanc pro exercitu et classe offerentes; qua duce « usi Prienenses bellum consummaverunt. » Recte omnia : sola enim,

Sibylla, fatorum vera prædictione, dux victoriæ esse potuit, non cymbula aliqua vel scapha, quæ nec prædicta fuerat neque ullo modo quidquam prædicere valebat. Quæ etsi fingatur ante navale agmen ominis causa propulsa a Prienensibus fuisse, vix tamen sine summa loquendi temeritate « dux victoriæ » dici potuit. Sibylla potius, per contemptum missa, per religionem accepta, idem beneficii Prienensibus attulerit quod sub eadem fere tempora vel haud multo ante Tyrtæus Lacedæmoniis, e ludibrio salutem. Erant vero tum florentes admodum res Samiorum, qui in illo ipso bello Messeniaco, cui Tyrtæus interfuit, Lacedæmoniis auxilia miserunt. Ac tum profecto non ipsi solum, sed et Prienenses et Cares libertate fruebantur, uti ex ipsa narratione apparet; ergo id factum ante Persarum dominationem; ergo vel septimo sæculo vel ad summum sexto incipiente; quæ omnia de Samiæ Sibyllæ ætate conjecturis nostris quantum faveant, nemo non videt.

Ex his etiam patet non posse, quod quidam male suspicati sunt, Samiæ Sibyllæ tribui hunc versum :

'Eξ 'Ιάδος χώρης ἥξει [σοφὸς] 'Ιταλίδῃσιν,

quem versum aperte de Pythagora Samio scriptum, mira quadam impudentia, tanquam pertinentem prophetiam ad Hermodorum Ephesium philosophum, citat et commentatur adulatorie pseudo-Heraclitus, epist. ult. (confer ipsum locum et quæ de eo notabuntur in app. ad Exc. II). Sibyllam quippe Samiam Pythagora longe antiquiorem fuisse, neque de illo quidquam cogitare potuisse, certissimum est. Nec tamen quærendo invenimus quam ad aliam Sibyllam referamus hoc oraculum. An vero, ut totam ad Hermodorum epistolam, ita hunc quoque versum confictum putabimus, sive ab ipso epistolographo, sive a priore aliquo falsario?

Et quoniam de Asiaticis Sibyllis sermonem instituimus, miramur unam a Pausania omissam esse, quam Ælianus cum Samia inter quatuor notissimas recensuit, loc. supra cit.; Philetas vero Ephesius apud Scholiastam Aristoph. ad Aves, 962, inter suas tres (confer supra, p. 5): Sardianam nempe, quam non a Sardinia, ut plerique docti putaverunt, sed a Sardibus Lydiæ ita cognominatam, facile demonstrari potest. Ethnicum quippe Sardiniæ Σαρδῷος est recepto usu, rarius multo Σαρδώνιος vel Σαρδωνικός : nam Σαρδόνιος de risu tantum accipitur, incerto etymo. Sardium autem civis Σαρδιανός, teste Stephano; atque ita Ælianus aperte Σαρδιανήν hanc Sibyllam vocat; nec aliter Σαρδιανήν Suidas, inter Sibyllas quæ cum Erythræa confundi solent. At Eudocia, ceterum Æliani verba prope transcribens, Σαρδανήν habet; ita sane, sed manifesto librarii vitio. Clare igitur

sonat epitheton hujus Sibyllæ : sed de ipsa, præter cognomen, nihil in allatis auctoribus reperimus ; nec aliunde subsidium sperari poterat, nisi feliciter adfuissent Nicolai Damasceni fragmenta a Peirescio servata, in quibus hæc leguntur, p. 454, ed. pr. : "Οτι Κῦρος, ὁ Περσῶν βασιλεὺς, ἦν φιλοσοφίας, εἰ καί τις ἄλλος, ἔμπειρος.... ὃς καὶ μετεπέμψατο Σίβυλλαν ἐξ Ἐφέσου τὴν Ἡροφίλαν [sic] καλουμένην χρησμῳδόν, et infra, p. 458 : Κροίσου δὲ ἐπιβαίνοντος αὐτῇ [τῇ πυρᾷ], ἡ Σίβυλλα ὤφθη ἀπό τινος ὑψηλοῦ χωρίου καταβαίνουσα, ἵνα καὶ αὐτὴ ἴδῃ τὰ γινόμενα. Ταχὺ δὲ θροῦς ἦλθε διὰ τοῦ ὁμίλου, ὅτι ἡ χρησμῳδὸς ἥκει, καὶ ἐν προσδοκίᾳ πάντες ἐγένοντο, εἴ τι πρὸς τὰ παρόντα θειάσειε. Καὶ μετ' οὐ πολὺ ἔντονόν τι φθεγξαμένη βοᾷ,

Ὦ μέλεοι, τί σπεύδεθ' ἃ μὴ θέμις· οὐ γὰρ ἐάσει
Ζεὺς ὕπατος, Φοῖβός τε, καὶ ὁ κλυτὸς Ἀμφιάραος.
Ἀλλά γ' ἐμῶν ἐπέων πείθεσθ' ἀψευδέσι χρησμοῖς,
Μὴ κακὸν οἶτον ὄλοισθε παρὲκ Θεοῦ ἀφραίνοντες.

Κῦρος δ' ἀκούσας ἐκέλευσε τὸν χρησμὸν διενεγκεῖν τοῖς Πέρσαις, ὡς ἐξευλαβηθεῖεν ἁμαρτάνειν. Οἱ δὲ δι' ὑποψίας γίνονται, ὡς κατεσκευασμένης, ἵνα σώζοιτο Κροῖσος. Ὁ δ' ἤδη ἐπὶ τῆς πυρᾶς καθῆστο, κ. τ. λ. Cyrus igitur, si Nicolao fides, audita Sibyllæ fama, Epheso eam acciverat : quæ quum, ut videtur, regis Persæ castra sequeretur, cumque eo Sardes captas ingressa esset, Crœso jam pyram fatalem scandenti succurrere voluit, dato confestim oraculo, non passuros istud supplicium deos superos. Sed Cyro ad exercitum referente, Persis oraculo fidem detrectantibus, abiturus erat miser in flammas, nisi repente imber de cælo lapsus rogum exstinxisset, Cyroque tempus et occasionem dedisset ignoscendi victo regi. Hæc Nicolaus Damascenus, accepta videlicet ab antiquiore scriptore, unde non dubitamus Sibyllæ Sardianæ nomen ortum esse et famam. Quanquam Ephesia potius dicenda erat, quippe Epheso accersita : sed ne Ephesia quidem ; nam Samia verius, quippe Samiæ pæne suppar et satis vicina. Ipsam tamen non cum Samia, sed cum Erythræa antiquiore a quibusdam confusam esse monet Herophilæ nomen a Damasceno inditum. Utique Pausanias, qui Erythræam et Mermessiam et Samiam unam esse voluit, quique suam ideo Sibyllam per varias Asiæ urbes circumduxit, facile ipsam poterat e Samo insula, ubi diu fingit commoratam, Ephesum quoque atque inde Sardes adducere : sed de Sardiana Sibylla non videtur Pausanias quidquam vel audivisse vel curasse.

Item potuisset ille, cum sua comite fatidica, Rhodum appellere, siquidem Rhodiam quoque Sibyllam a quibusdam memoratam invenimus, sed a recentioribus tantum, nempe in Chronico Paschali, loco de Sibyllis jam laudato, et apud Suidam, ubi, sed uno verbo, cum

ceteris recognoscitur, quæ cum Erythræa confundi solent. Nobis quidem Rhodiæ alicujus in album Sibyllarum transferendæ non alia videtur fuisse causa quam celeberrimum oraculum, tanquam Sibyllinum a Pausania notatum, Corinth. cap. 7, init., quod ipsis verbis in Sibyllinis nostris legitur bis, lib. IV, v. 101, et VIII, v. 160 :

Ἔσται καὶ Ῥοδίοις κακὸν ἔσχατον, ἀλλὰ μέγιστον.

Confer etiam septimi nostri libri exordium :

Ὦ Ῥόδε, δειλαίη σὺ, κ. τ. λ.

Sed jam in Græciam Europæam cum Pausania transibimus, atque obiter Delum, quo et Sibyllam suam appulisse ait, Phoc. loc. sæpe cit. : Ἀφίκετο δὲ..... καὶ εἰς Δῆλον, et paulo ante dixerat hymnos quosdam ejus mulieris in Apollinis honorem scriptos a Deliis memorari : Δήλιοι δὲ καὶ ὕμνων μέμνηνται τῆς γυναικὸς ἐς Ἀπόλλωνα, ubi μέμνηνται, *memorant*, idem fere sibi vult quod κέκτηνται, *possident*, *apud se habent.* Sed habituri non erant, nisi a Sibylla allatos. Esto tamen, ut cuique maxime libuerit. Certe hymnos illos ab oraculis diversos aperte significat Pausanias : nam quum de oraculis, χρησμοῖς, modo dixisset, ita pergit : Δήλιοι δὲ καὶ ὕμνων, κ. τ. λ. Præterea hymni isti in Apollinis gratiam scripti commune nihil habere potuerunt cum Erythræo ad Delphos carmine, quo Sibylla suam cum Apolline fratre simultatem jam ab initio canebat :

Αὐτοκασιγνήτῳ κεχολωμένη Ἀπόλλωνι.

Itaque similes istos fuisse judicamus iis quos sub Homeri nomine legimus, εἰς Ἀπόλλωνα, quorum etiam primus recte apud recentiores editores inscribitur, εἰς Ἀπόλλωνα Δήλιον. Callimachi etiam hymnos habemus non in Apollinem tantum, sed et in Delum, εἰς Δῆλον, ut minime incredibile videatur, Delios magnam congeriem talium carminum, in honorem insulæ suæ numinisque sui scriptorum, archivis inclusam habuisse, inque iis nonnulla Sibyllæ nomen præferentia seu pro Sibyllinis habita. Ac fortasse vel ideo quod vaticiniis insignem locum habitarent, Sibyllinæ etiam laudis aliquid vindicare sibi cupiverunt, quod illis nec Pausanias invidit nec nos detrahere ullo modo velimus.

CAP. V. *De Delphica Sibylla, obiterque de Maliaca seu Lamiaca, ac de Thessala alia seu potius Thebana, Tiresiæ filia.*

A Delo protinus Delphos, tanquam iter monstrante Apolline, imo eodem Pausania duce, qui Sibyllam suam Marpessiam seu Mermessiam eo quoque vexit, Phoc. loc. cit. : Ἀφίκετο δὲ... καὶ ἐς Δελ-

φούς, eamque ibi canentem ostendit ex petra quadam : Πέτρα δέ ἐστιν ἀνίσχουσα ὑπὲρ τῆς γῆς· ἐπὶ ταύτῃ Δελφοὶ στᾶσάν φασιν ᾆσαι τοὺς χρησμοὺς ὄνομα Ἡροφίλην, κ. τ. λ., et paulo post : Ὁπότε δὲ ἀφίκοιτο [ἐς Δελφοὺς], ἐπὶ ταύτης ἱσταμένη τῆς πέτρας ᾖδε. Eam porro traditionem de petra ac de Sibylla in ea canente, Delphis invenerat Plutarchus quoque, de Pyth. t. VII, p. 566, ed. Reisk. : Ἐπειδὴ γὰρ ἔστημεν κατὰ τὴν πέτραν γενόμενοι τὴν κατὰ τὸ βουλευτήριον, ἐφ' ἧς λέγεται καὶ καθίζεσθαι τὴν πρώτην Σίβυλλαν, κ. τ. λ. Quem locum pæne totidem syllabis exscriptum reperias apud Clementem Alex., Strom. I, p. 358, ed. Ox. Minime ergo dubium est quin apud Delphos traditio manserit de Sibylla quadam ibi commorata atque ibi vaticinata ; unde Delphicæ Sibyllæ fama, cujus Varro apud Lactantium meminit, et quidem ut omnium antiquissimæ juxta Persicam et Libycam, auctore etiam gravi citato : « Tertiam, inquit, Delphida, de qua Chrysippus lo- « quitur in eo libro quem de Divinatione composuit. » Consentit Bocchus apud Solinum, cap. 2 : « Delphicam autem Sibyllam ante « Trojana bella vaticinatam Bocchus autumat... Hanc Eriphyle « [lege, Herophile] Erythræa annis aliquot intercedentibus insecuta « est. » Non hoc de suo Bocchus ; sed, ut videtur, Chrysippum vel fortasse Varronem secutus auctorem. Idem quoque sentiebat Philetas Ephesius apud Scholiastam Aristoph., ad Aves, 961, tres numerans Sibyllas, earumque primam Delphicam, secundam Erythræam : Σίβυλλαι τρεῖς ἐγένοντο, ὧν ἡ μέν ἐστιν, ὡς διὰ τῆς ποιήσεώς φησιν, Ἀπόλλωνος ἀδελφή· δευτέρα δὲ Ἐρυθραία, κ. τ. λ. Delphicam ille non nominat, sed Apollinis sororem ; quo vero spectaverit, intelligi potest ex his Suidæ verbis : Σίβυλλα Δελφὶς, ἣν καὶ Ἄρτεμιν προσηγόρευσαν. Γέγονε δὲ αὐτὴ πρὸ τῶν Τρωϊκῶν, καὶ ἔγραψε χρησμοὺς δι' ἐπῶν. Ceterorum auctorum atque ipsius Suidæ locos omittimus, in quibus aperte Varronis seu Lactantii verba illa, quæ supra dedimus, vel latine transcripta sunt vel græce versa. Ex his enim quæ diximus, satis patet multos fuisse qui Delphicam quamdam Sibyllam Erythræa antiquiorem et Græcarum ordine primam agnoscerent.

Verum ex iis nemo est paulo gravior qui Delphicam istam Sibyllam, Delphis claram, in ea ipsa urbe natam affirmaverit. Vix enim numerandus Isidorus Hispalensis, loco de Sibyllis jam cit., ubi Lactantianis verbis a se transcriptis temere hoc de suo addit : « Tertia, inquit, Delphica in templo Apollinis genita. » Item græcus quisque Lactantii expilator : Τρίτη Δελφὶς, ἡ ἐν Δελφοῖς τεχθεῖσα, sed hoc injussu Lactantii et sine certo auctore.

Quid ergo ceteri? Magna inter eos controversia de Sibyllæ hujus origine. Ac Delphorum quidem plerique ex Helicone eam dedu-

cebant, ibi a Musis nutritam, teste Plutarcho, loc. cit.: Τὴν πρώτην Σίβυλλαν ἐκ τοῦ Ἑλικῶνος παραγενομένην ὑπὸ τῶν Μουσῶν τραφεῖσαν. Unde hoc petitum? Ita nimirum suadebat montis Heliconis vicinia. Verum et ita censere debuit quisquis Erythræum carmen huic Delphicæ tribuebat, propter illud ipsum exordium :

Ὦ Δελφοί, θεράποντες ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος,
Ἦλθον ἐγὼ...
Αὐτοκασιγνήτῳ κεχολωμένη Ἀπόλλωνι.

Nam, ut soror vocaretur Apollinis, decebat illam in ipso Musarum domicilio vel ortam vel saltem educatam fuisse, ὑπὸ τῶν Μουσῶν τραφεῖσαν. Et sic profecto Trojanis rebus longe anterior illa fiebat. Tum vero quærendum restabat, quomodo origo ista conveniret Heliconia cum Erythræi carminis versibus quibus se Sibylla Erythris natam profitebatur (confer supra, cap. 2, p. 10). Sed fortasse Delphi versus istos vel eraserant vel obelisco notaverant; vel Sibyllam suam putabant Erythris quidem ortam, casu vero deinde in Helicona translatam, ubi cum Musis educata, haud absurde sane poterat et soror et filia et amasia dici Apollinis, nisi quod Erythræa sic potius quam Delphica dicenda erat.

At ne Delphi quidem in eam persuasionem omnes conveniebant, teste ipso Plutarcho, loc. cit.: Ἔνιοι δέ φασιν εἰς Μαλεῶνα ἀφικέσθαι Λαμίας οὖσαν θυγατέρα τῆς Ποσειδῶνος, quod ab interpretibus plerisque accipitur de longinqua satis origine hujus Sibyllæ, quæ scilicet e Libya ad Maleam promontorium appulisset atque inde Delphos accessisset. Verum multa huic interpretationi adversantur. Primum nec Libyæ nec Libycæ Sibyllæ mentio hic ulla fit a Plutarcho, nulla certe disertis verbis. Deinde, quod apud ipsum legunt, Μαλεῶνα, barbarum est vocabulum; nec potuit errare Plutarchus in promontorii notissimi nomine, præsertim qui ipsius aperte meminerit in Arati Vita, t. V, p. 525. Præterea verbum ἀφικέσθαι sane hoc loco frigidum est de trajectu maritimo; nec locus hic totus ita scriptus facilis nobis videtur intellectu, imo prorsus, ut opinamur, sensu caret, quum Libyæ prius nulla mentio facta fuerit, nisi quis dicat nomen ipsum Λαμίας habere in se inclusam Libyæ mentionem, quod non liquet. Verum hæc omnia vix sunt disputationi relicta, quum apud Clementem Alexandrinum hæc ipsa Plutarchi verba compilantem diversa longe lectio exstet, Stromat. lib. I, p. 358, ed. Ox.: Ἔνιοι δέ φασιν ἐκ Μαλιαίων ἀφικέσθαι, Λαμίας οὖσαν θυγατέρα τῆς Σιδῶνος [male pro Ποσειδῶνος]. Qua in re absit ut Clementis auctoritatem nimium extollere velimus, a quo Plutarcheum hunc locum properantius transcriptum esse patet vel ex ejus hallucinatione circa Serapio-

nem, quem pro dialogi persona gratis a Plutarcho excogitata scriptorem fecit antiquum et gravem. Sed tamen ille Plutarchum ob oculos habebat, et exemplaribus utebatur pæne ipsi auctori coævis, e quibus lectionem eruit ἐκ Μαλιαίων, quæ nobis idem valet quod ἐκ Μαλιέων. Nempe Μαλιεῖς isti seu Μηλιεῖς (prior magis dorica, altera magis attica forma, utraque in communi dialecto promiscua; sed in numis ΜΑΛΙΕΩΝ legitur apud Mionn., tom. II, pag. 18), fuerunt isti sane Thessaliæ populi ad Maliacum ipsis cognominem sinum, quorum urbs princeps Lamia, bello Lamiaco clara (in numis ΛΑΜΙΕΩΝ, ibid., p. 13), de qua Stephanus Byzantius: Λαμία, inquit, πόλις Μηλιέων, οἱ μὲν ἀπὸ Λάμου τοῦ Ἡρακλέους φασὶν, οἱ δὲ ἀπὸ Λαμίας γυναικὸς, ἣ ἐβασίλευσε Τραχινίων. En igitur tibi Lamia, urbis præcipuæ apud Malienses conditrix, Trachiniorum regina, qui olim in Thessalia fuerunt Maliensibus contermini. De hujus mulieris ortu nihil Stephanus. Sed Neptunum scimus in Thessalia præcipue cultum fuisse, ob insignem equarum Thessalicarum famam, maximeque, quod res ipsa probat, in ea Thessaliæ parte quæ ad mare vergit. Quid ergo aptius excogitari potuit quam Lamiam hanc Neptuno filiam dari? Eaque matre Sibyllam esse natam nemini mirum videri poterat, quum Thessalia sagarum et divinarum patria vulgo crederetur; Trachiniæ autem mulieres etiam inter Thessalos magicis artibus eminerent. Fuerit ergo Neptunus, Plutarcho auctore, Lamiæ pater: at quis Sibyllæ? Suidam hic indicem habemus, qui de Sibylla quadam non satis definita, sed vel eo magis conjecturis obnoxia, hæc habet: Σίβυλλα Ἀπόλλωνος καὶ Λαμείας [sic]. Porro vix alia potest hæc esse quam nostra. Lamia enim Libyca, cujus historiam alibi tangemus, non Apollinis amasia, sed Jovis pellex fuit. Restat ut Lamia Thessala intelligatur, quam ex Apolline Sibyllam peperisse, prorsus consentaneum est. Fuerunt ergo, docente Plutarcho, qui Sibyllam Delphicam iis parentibus, ea patria ortam crederent, Thessalam, si res ita se haberet, dicendam potius quam Delphicam. Verum ipsi rursus viderint quomodo cum opinione sua conciliare velint Erythræum carmen, in quo Sibylla Apollinem fratrem, non patrem, jam ab exordio canebat, et in epilogo ejus se sagittis confossum iri prædicebat: quanquam notavimus in decursu carminis eamdem θυγατέρα quoque vel τέκνον se dicere Apollinis, figurate tamen et improprie, Pausania teste, loc. cit. Utique traditio illa de Lamia Maliensi, Delphicæ Sibyllæ matre, ansam videtur Euripidi aliisque præbuisse, ut Sibyllam eamdem longe alia matre ortam fingerent, Lamia nempe Libystide, quæ præter nomen cum Thessala commune nihil habuit. Atque inde Pausanias Libycam Sibyllam Delphos adduxit, Mermessia sua atque

ideo Græcis omnibus Sibyllis antiquiorem. Sed nos de hac re plura, quum de Sibylla Libyssa agetur infra, cap. 12.

Tertia inde mulier locum inter Sibyllas postulat, quæ, quamvis a nemine fortasse Delphica dicta, Delphis vixisse ferebatur. Hanc Suidas, incertum quomodo, Thessalam facit, quum Thebana potius seu Bœota dicenda esset, quippe non alia quam ipsa Manto seu Daphne, Tiresiæ filia, apud mythologos clara, de qua Suidæ verba hæc sunt : Σίβυλλα Θετταλή, ἡ καὶ κληθεῖσα Μαντώ, ἀπόγονος Τειρεσίου, ubi ἀπόγονος est θυγάτηρ, sicut in alio ejusdem loco auctoris supra apud nos, pag. 34. Manto igitur Sibyllis annumeratam fuisse ex hoc Suidæ testimonio discimus. Eam autem magnam sui famam Delphis reliquisse jam alias ostendimus, atque ideo nihil vetuit quin Delphica Sibylla a quibusdam vocaretur. Locos auctorum præcipuos huc afferemus, ac Pausaniæ primum, Achaic. cap. 3 : Θερσάνδρου δὲ τοῦ Πολυνείκους καὶ Ἀργείων ἑλόντων Θήβας, ἄλλοι τε αἰχμαλώτων καὶ ἡ Μαντὼ τῷ Ἀπόλλωνι ἐκομίσθησαν ἐς Δελφούς. Narrat ergo, Thebis captis, Manto captivam ab Epigonis abductam esse Delphos et Apollini consecratam. Eadem, licet pluribus verbis habet Apollodorus, Biblioth. lib. III, cap. 7 : Ἀργεῖοι εἰσίασιν εἰς τὴν πόλιν, καὶ συναθροίζουσι τὴν λείαν, καὶ καθαιροῦσι τὰ τείχη. Τῆς λείας μέρος εἰς Δελφοὺς πέμπουσιν Ἀπόλλωνι καὶ τὴν Τειρεσίου θυγατέρα Μαντώ. Ηὔξαντο γὰρ αὐτῷ, Θήβας ἑλόντες, τὸ κάλλιστον τῶν λαφύρων ἀναθήσειν. Atque eadem fere habet Scholiasta Apollonii Rhodii ad lib. I, v. 308, indicata etiam fabulæ origine, nempe ex antiqua Cyclicorum Thebaïde, primævo illo tot græcarum fabularum fonte : Οἱ δὲ τὴν Θηβαΐδα γεγραφότες φασὶν ὅτι ὑπὸ τῶν Ἐπιγόνων ἀκροθίνιον ἐτέθη Μαντώ, ἡ Τειρεσίου θυγάτηρ, εἰς Δελφοὺς πεμφθεῖσα. Qui et statim addit ex iisdem, ut videtur, auctoribus, reliquam hujus mulieris historiam : Καὶ κατὰ χρησμὸν Ἀπόλλωνος ἐξερχομένη, περιέπεσε Ῥακίῳ τῷ Λέβητος υἱῷ, Μυκηναίῳ τὸ γένος, καὶ γημαμένη αὐτῷ (τοῦτο γὰρ περιεῖχε τὸ λόγιον, γαμεῖσθαι, ᾧ ἂν συναντήσειεν) συναπῆλθεν ἐκείνῳ εἰς Κολοφῶνα, κ. τ. λ., nempe egressam illam aliquando, Apollinis jussu, e Delphorum templo, nupsisse Rhacio cuidam, Lebetis filio, Mycenæo, et cum illo viro migrasse Colophona in Asiam, etc., etc. Hæc ille : cum quo Pausanias consentit, Achaïc. c. 3 et Bœot. c. 33, nisi quod Rhacium patria Cretensem facit, non Mycenensem, et Colophone cum Cretensibus colonis sedes jam habentem priusquam Manto ad eam terram appelleret. Idem docet, Achaïc. ibid., ex eo connubio ortum esse Mopsum, eumdem nempe quem vaticiniis cum Calchante certasse diximus supra, cap. 4. Servius ad Æn. X, 198, in Italiam quoque, post mortem patris, venisse Manto affirmat ex sententia Virgilii, qui et Tiberi amni nupsisse docet et filium ex eo pepe-

risse Ochum Mantuæ conditorem. Sed ea omnia persequi, quod ex auctoribus supra citatis aliisque facile est, longius nos ab instituto traheret, qui Manto Delphis vaticinantem reliquimus. Ultimum igitur testimonium afferemus Diodori Siculi, de Tiresiæ filia Delphis sacrata, eadem pæne, sed mutato nomine, narrantis, Biblioth. lib. IV, § 66 : Ἐπειθ' οἱ μὲν Ἐπίγονοι τὴν πόλιν ἑλόντες διήρπασαν, καὶ τῆς Τειρεσίου θυγατρὸς Δάφνης ἐγκρατεῖς γενόμενοι, ταύτην μὲν ἀνέθεσαν εἰς Δελφοὺς κατά τινα εὐχὴν, ἀκροθίνιον τῷ θεῷ. Αὕτη δὲ τὴν μαντικὴν τοῦ πατρὸς εἰδυῖα, πολὺ μᾶλλον ἐν τοῖς Δελφοῖς διατρίψασα, τὴν τέχνην ἐπηύξησε. Φύσει δὲ θαυμαστῇ κεχορηγημένη χρησμοὺς ἔγραψε παντοδαποὺς διαφόρους ταῖς παρασκευαῖς· παρ' ἧς φασι καὶ τὸν ποιητὴν Ὅμηρον πολλὰ τῶν ἐπῶν σφετερισάμενον κοσμῆσαι τὴν ἰδίαν ποίησιν. Ἐνθεαζούσης δ' αὐτῆς πολλάκις καὶ χρησμοὺς ἀποφαινομένης, φασὶν ἐπικληθῆναι Σίβυλλαν· τὸ γὰρ ἐνθεάζειν κατὰ γλῶσσαν ὑπάρχειν σιβυλλαίνειν. Porro in his Diodori verbis tria sunt præcipue notanda : primum Daphnes nomen mulieri inditum; deinde Sibyllæ cognomen additum ; denique libros ejus memoratos, quod a nullo hactenus auctore de ea Sibylla factum videramus.

De nomine mirum est sane Diodorum a vulgata traditione differre. Ipsi tamen astipulari videtur Eusebius seu quisquis alius Constantino magno scriba fuit in ejus principis Oratione ad Sanctos, § 18. Is enim, de Sibylla quadam agens, quam Erythræam et nostrorum sibi finxit Sibyllinorum auctorem, postquam dixit eam invitam in templo Apollinis consecratam fuisse, κατὰ τὰ αὐτὰ, inquit, τοῖς ἱστορουμένοις περὶ τῆς Δάφνης. Ubi respicere videtur sive ad Diodori locum supra citatum, seu saltem ad eamdem fabulam, idemque mulieris nomen, incertum cujus auctoris fide traditum, quum ceteri plerique uno consensu Manto eam vocent, et sic in antiquissima Thebaïde juxta Scholiastam supra citatum; sic quoque apud Euripidem, teste Clemente Alexandrino, Stromat. p. 399, ed. Ox.; sic ab aliis supra citatis. Quare qui primus Daphnes nomen huc attulit, videtur Tiresiæ filiam, Delphis vaticinantem, confudisse cum antiquissima Pythia Daphne, quæ prima oraculo Delphico ministrasse dicitur, Pausan. Phoc. § 5, nisi fingas, ingressam templum Delphicum, ultro mutasse Manto nomen suum in honorem antiquioris illius, et sic Daphnen repente factam esse. Sed hoc plane sine auctore.

Alterum est notandum, Tiresiæ filiam a Diodoro Siculo haud secus quam a Suida Sibyllam dici, quum tamen et virginitatis laudem, Sibyllis communem (vide supra, pag. 3), non semper retinuerit Mopsi mater, et quandiu oraculi Delphici ministerio addicta mansit, Pythia potius dicenda fuerit quam Sibylla. Pythias certe cum Sibyllis confundi vetat non modo loquendi mos receptus, sed et rerum ratio,

quod Pythiæ Dei nomine, Sibyllæ suo futura prædicant. Etsi poetæ latini multa Sibyllis, quæ melius Pythiæ conveniant, affingere solent, ut cortinam Propertius, lib. IV, eleg. 1, v. 49; δαφνηφαγίαν, Tibullus, lib. II, eleg. 5, v. 63. Sunt hæc poetis condonanda, præsertim si Erythræa tale aliquid de se ipsa cecinerat Pythiæque habitum induerat, ut est apud Constantinum, eodem fere quo supra loco : Ἡ Ἐρυθραία, inquit, Σίϐυλλα, φάσκουσα ἑαυτὴν.... γενέσθαι ἱέρειαν τοῦ Ἀπόλλωνος, διάδημα ἐπίσης τῷ θρησκευομένῳ ὑπ' αὐτῆς θεῷ φοροῦσα, καὶ τὸν τρίποδα περὶ ὃν ὁ ὄφις εἰλεῖτο περιέπουσα. Nempe fuisse se sacerdotem Apollinis, coronam Dei sui gestasse, tripodem serpente convolutum ambiisse, quo de loco quid sentiamus, infra dicemus. Si hæc de se dixit Erythræa, Pythiam se fecit, non Sibyllam, aliisque idem de se tradituris viam paravit. Quanquam ista fortasse venia Diodoro nihil opus est, qui sacratam quidem in templo Apollinis captivam docet; non tamen addit Pythiæ vices ibi gessisse, sed patriæ tantum arti ibi vacasse : Αὐτὴ δὲ τὴν μαντικὴν τοῦ πατρὸς εἰδυῖα, κ. τ. λ., ita ut ex illa Delphici templi habitatione peritior tantum evaserit : Πολὺ μᾶλλον ἐν Δελφοῖς διατρίψασα τὴν τέχνην ἐπηύξησεν.

Libros denique a Tiresiæ filia scriptos memorat Diodorus, loc. cit. Hoc quidem ineptum, libros ullos Epigonorum tempore scriptos existimari. Credas tamen Diodorum vel per se istos libros apprime nosse vel certi aliquid de iis audiisse, qui ita scribat : Φύσει δὲ θαυμαστῇ κεχορηγημένη, χρησμοὺς ἔγραψε παντοδαποὺς διαφόρους ταῖς παρασκευαῖς, libros, inquit, oraculorum apparatu diversos, παντοδαποὺς ταῖς παρασκευαῖς. Quod interim dubitari potest quomodo sit accipiendum. Potest enim de metro intelligi, ut Delphicæ Sibyllæ carmina partim epicis, partim lyricis numeris composita fuerint. Sic quidem Sibyllæ alicui lyricos versus, μέλη, assignat Suidas, v. Σίϐυλλα Ἀπόλλωνος. Sed mirum hoc valdeque singulare, quum et oraculorum et hymnorum antiquissimorum epicam fuisse formam, nemini sit dubium. Certe Delphicæ suæ Sibyllæ epicos tantum, id est, hexametros versus tribuit idem Suidas, v. Σίϐυλλα Δελφίς, loco jam cit. : Καὶ ἔγραψεν, inquit, χρησμοὺς δι' ἐπῶν. Itaque præstat credere non metrum, sed operis formam, παρασκευήν, a Diodoro designari. Nec ipse alios quam hexametros et Homericos in animo habebat, quum statim adderet multos ab ea Sibylla versus Homero dereptos : Παρ' ἧς φασι καὶ τὸν ποιητὴν Ὅμηρον πολλὰ τῶν ἐπῶν σφετερίσασθαι. Quod et Bocchus apud Solinum affirmat de eadem Sibylla, « cujus versus plurimos operi suo Homerum inseruisse manifestat, » ait Solinus, cap. 2. Porro illud ipsum est plagii crimen quod ab aliis Erythrææ Sibyllæ intentatum monuimus supra, cap. 2, p. 12. Atque inde suspicari

licet totum hoc Diodori testimonium de Delphicæ Sibyllæ carminibus, confusa nominum memoria, ab Erythræa male ad hanc Sibyllam translatum esse.

Utique libros quosdam oraculorum sub Delphicæ Sibyllæ nomine fuisse venditatos, Diodoro et Suidæ facile concedi posset, nisi vero propius esset materiam errori præbuisse Erythræum ipsum carmen, videlicet propter illud exordium, Ὦ Δελφοὶ θεράποντες, κ. τ. λ. quod quidem et lectores aliquos et præcipue Delphos fallere potuit. Verum, uti supra multis ostensum est, cap. 2, p. 10, sq., nemo gravis auctor disertis verbis illud unquam exordium aut illud carmen Delphicæ Sibyllæ ab Erythræa diversæ tribuit: contra Heraclides Ponticus, et Clemens Alexandrinus, et Pausanias, inscriptum licet ad Delphos carmen, Phrygiæ seu Mermessiæ, quæ vulgo Erythræa dicitur, aperte tribuunt, et ibi nomen Ἀρτέμιδος a Sibylla figurate assumptum docent, neque istam appellationem uni Delphicæ convenire putant, quanquam id innuente Suida, de Sib. Delph. l. cit., sed non alia forsan auctoritate quam Clementis male intellecti. Ex his omnibus quid colligas, nisi de Delphicis carminibus, quamvis alicubi memoratis, nihil omnino certi ab antiquis afferri, viderique ea ab Erythræo vel ita dicto carmine non esse separanda.

Quod si unius carminis laus inter duas Sibyllas ambiguarum traditionum certamine distracta est, quidni potius credamus duas quoque Sibyllas ex una factas, neque aliunde manasse Delphicæ Sibyllæ famam quam ex illo ipso Erythræi carminis exordio:

Ὦ Δελφοὶ, θεράποντες ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος,
Ἦλθον ἐγώ.....

Quod ut sibi vindicarent Delphi, necessario diversas fabulas excogitaverunt, quibus fictæ suæ Sibyllæ historiam probabiliorem facerent, seu veteres quasdam traditiones accommodare isti commento conati sunt. Hinc alii nescio quam Maliacæ vatis mentionem huc traxerunt; alii Daphnen antiquissimam omnium Pythiarum, imo Pythiis ipsis anteriorem, cum Tiresiæ filia Manto, si non personis, nominibus certe confuderunt, ut ex utraque Sibyllam quamdam Delphicam efficerent. Sed verius est Erythræam Sibyllini carminis originem istis mendaciis male celari; atque ideo rursus ad Pausaniæ mentem accedimus, advehentis Delphos Sibyllam suam Marpessiam seu Mermessiam seu ceterorum Erythræam, id est, ut nos quidem interpretamur, Delphos usque prosequentis adulteratas alienis commentis Asiaticas de Sibylla traditiones.

CAP. VI. *De Macedonica Sibylla; item de Epirotica seu Thesprotica, obiterque de nonnullis Epiroticis vatibus feminis.*

Quoniam a Delphis in Thessaliam paulo ante transire nos coegit argumenti nostri ratio, promptum videtur ultra progredi et in Macedoniam transcendere, quo nos vocat Macedonicæ Sibyllæ nomen, nisi quod hæc aliunde ignota est, semel et uno verbo nuncupata a Clemente Alex., Strom. lib. VII, loco jam cit., ubi inter alias multas Sibyllas recensetur ἡ Μακέτις. Et forsan fuerint illic oracula quædam in laudem Alexandri Magni ejusve successorum sub Sibyllæ nomine servata, qualia fere in honorem Alexandri composuisse Athenaïdem Erythræam diximus supra, cap. 2, p. 21. Nisi forte Macedonica falso dicta non alia sit quam Athenaïs illa ipsa, Macedonum victorias singulari carmine vaticinata.

Sed satius est ad Epiroticam retrogredi Sibyllam, quæ apud Clementem Alexandrinum, loc. cit., ipsa quoque uno tantum verbo designatur, ἡ Θεσπρωτὶς; apud Suidam his paucis : Σίβυλλα Θεσπρωτὶς, καὶ ὁμοίως χρησμούς. Nec plura : quibus ut aliquid addatur, quærendum est nobis per totam Epirum, ecqua ibi sint femineæ vaticinationis indicia.

Primæ in illis tractibus fatidica arte inclaruerunt Peleæ seu Peleades, quas nemo nescit apud Dodonam oracula reddidisse, quasque Pausanias ait, Phoc., cap. 12, primas heroico versu esse usas, etiam ante Phemonoën, cui tamen paulo ante, c. 5, eumdem honorem detulerat. Ac Phemonoës quidem primum hexametrum habemus a Plutarcho servatum, de Pyth. resp. p. 584, ed. Reiske :

Συμφέρετε πτερά τ' οἰωνοὶ κηρόν τε μέλισσαι.

Peleadum vero duos versus citat Pausanias loco dicto, c. 12 :

Ζεὺς ἦν, Ζεὺς ἔστι, Ζεὺς ἔσσεται· ὦ μεγάλε Ζεῦ.
Γᾶ καρποὺς ἀνιεῖ· διὸ κλῄζετε ματέρα γαῖαν.

Rudes sane versus et ad priscam austeritatem compositos (plura de iis qui voluerit, adeat ipsos post nostrum Exc. II); quorum tamen alter recentiorem ætatem prodit vel una illa voce διό, quæ minime antiquum sonat minimeque poeticum. At Peleadum antiquissimam fuisse famam, non est quod negari possit, quarum a nomine manasse dicunt fabulam de palumbibus Dodonæis, nisi prorsus contrarium evenit, ipsæque a palumbibus olim in Dodonæa silva consultis nomen acceperunt. Nam πέλεια græce hujus avis nomen est. Alii dicunt πελείας vocatas esse propter canitiem, quod πέλειος, Molossorum dialecto, idem sit quod πολιός, *canus*, ita ut πέλειαι idem

sonet quod apud Strabonem, lib. VII, p. 329, γραῖαι, quo nomine designat ille Dodonæi oraculi ministras, duas olim, postea tres, ætate semper venerabiles.

Phaënno seu Phaënnis Epirotica propius ad Sibyllæ speciem accedit, quam etiam palam conjungit cum Sibylla Tzetzes, chil. VII, hist. 143, et IX, hist. 288; cum Sibylla autem et Orpheo et Homero, chil. X, hist. 302. Unde primum putes magnam fuisse ejus antiquitatem, quod contra est : nam Pausanias, Phoc. cap. 12, sæpe cit., Phaënnidem (sic illam vocat) vixisse docet Antiocho Sotere regnante, post Demetrii captivitatem : Ἀντιόχου γὰρ μετὰ τὸ ἁλῶναι Δημήτριον αὐτίκα εἰς τὴν ἀρχὴν καθισταμένου γέγονε Φαεννίς, id est, circa annum ante Christum 280, non, ut idem asserit paulo infra, cap. 15, una generatione ante Gallorum in Asiam trajectum, qui decennio post evenit, anno 270. Nec dissentit Zosimus, Phaëllo tamen istam vocans, lib. II, § 36, ubi ait confisum ejus feminæ oraculo Nicomedem adversus Prusiam patrem arma movisse (id factum circa annum 149) : neque enim recenti nec, ut putabat, sui causa edito oraculo deceptus est Nicomedes; sed quæ de Lysimacho Thraciæ rege scripta fuerant, ad Prusiam patrem suum spectare falso arbitratus est, sicut multo post ipse Zosimus, diverso prorsus errore, idem illud vaticinium ad Constantini tempora referebat ac de Constantinopoleos initiis interpretabatur. Verba ipsa carminis exstant et a nobis post Excursum II proferentur, ex quibus prophetantis mentem facile quivis agnoscet.

Ceterum Phaënnidem Pausaniæ et Phaënno Zosimi atque Tzetzæ (apud hunc codices quidam φαελλώ pro φαεννώ, male) eamdem esse mulierem satis evincunt tum nominis similitudo, tum ars divinandi utrique communis, tum eadem patria atque eadem ætas. Docet autem Pausanias filiam eam fuisse viri cujusdam inter Chaonas regnantis, ἀνδρὸς ἐν Χάοσι βασιλεύσαντος, nempe reguli alicujus, qui in Chaonia, parva illa Epiri regione, ubi Dodona fuit, honoribus regiis, licet tum sub potentium dominorum imperio, ac fortasse sacerdotio frueretur. Epiroticam fuisse certum est, nec minus certum, vaticiniis inclaruisse; sed pro Sibylla haberi Pausanias omnino vetat.

Ægre tamen adducimur ut Pausaniæ decreto pareamus, et Phaënnidem Sibyllino honore destituamus, quo præ multis aliis digna videtur. Quod si quis nos in eam partem volentes nolentes impellat, restabit ut Klausenium ducem sequamur, qui libro jam laudato, *Æn. und die Penat.*, p. 222, Epiroticam Sibyllam in alia Epiri parte quæsivit, nempe in ipsa Thesprotia, seu potius in Thesprotiæ et Chaoniæ confinibus, ubi Atticus ille Ciceronis ad Thyamin amnem

villam habuit, inque ea sacellum quoddam platanis obsitum, quod ipse Amaltheum vocari solebat, et Cicero ad illam villam respiciens, de Legg. II, § 3 : « Cave putes Attici nostri Amaltheo platanisque illis « quidquam esse præclarius. » In illo sacello simulacrum colebatur Amaltheæ tanquam deæ, unde Cic. ad Att., lib. I, epist. 13 : « Ego « enim te arbitror, cæsis apud Amaltheam tuam victimis, esse pro- « fectum. » Juxta videtur fuisse gymnasium seu museum, multa cura multisque impensis ab Attico exstructum, in quo virorum clarorum imagines ponendas curaverat cum epigrammatis in eorum laudem compositis, ad Att. lib. I, ep. 16, extr. Cujus loci descriptione admodum delectatus Cicero, simile aliquid in Arpinati suo molitus erat, ibid. Confer et lib. II, epist. 1 : « Amalthea mea te exspectat et « indiget tui. » Atque utinam nunc haberemus ea quæ vir summus in epist. supra cit., I, 16, ab amico efflagitabat : « Velim ad me scri- « bas, cujus modi sit Ἀμαλθεῖον tuum, quo ornatu, qua τοποθεσίᾳ, » præsertim vero illud quod addit : « Et quæ poemata, quasque historias de Ἀμαλθείᾳ habes, ad me mittas. » Ita enim profecto sciremus, quæ de illa Nympha fuissent Epiroticæ traditiones. Nunc conjecturis tantum locus est. Sed fuisse illam pro vate et Sibylla habitam, facile credimus, vel ideo quod ejus nomen translatum ad alias Sibyllas videmus, ut, quod mireris, ad Cumanam Tarquinii Sibyllam a Varrone apud Lact., lib. I, cap. 6, et ex Varronis haud dubie fide a Tibullo, lib. II, eleg. 5, locis jam laudatis, de quibus aliquid etiam infra, cap. 9.

CAP. VII. *De Sibylla Cumana, seu Cimmeria, seu Lucana, sive quorumdam Itala.*

Relictis jam Græciæ veræ tractibus, in magnam Græciam trajicimus, ubi nomen splendet Cumanæ Sibyllæ, jam Aristotelis temporibus nobilissimum, ipso docente, de Mirabil. p. 1158, ed. Vall. : Ἐν τῇ Κύμῃ τῇ περὶ τὴν Ἰταλίαν δείκνυταί τις, ὡς ἔοικε, θάλαμος κατάγειος Σιβύλλης τῆς χρησμολόγου, ἣν πολυχρονιωτάτην γενομένην παρθένον διαμεῖναί φασιν, οὖσαν μὲν Ἐρυθραίαν, ὑπό τινων δὲ τὴν Ἰταλίαν κατοικούντων Κυμαίαν, ὑπὸ δέ τινων Μελάγχραιναν καλουμένην.

In hoc philosophi testimonio agnoscis omnia jam fere quæ postea a poetis decantata sunt, antrum Sibyllæ apud Cumas, fatidicam ejusdem scientiam, vivacissimam senectutem et virginitatis pertinaciam. Quæ omnia e Cumanis traditionibus atque libris hausisse ma-

nifestus est Aristoteles; sed quo potissimum auctore, incertum, nisi forte Ephoro Cymæo, paulo ante ipsum scribente, qui propter communem originem res Cumanas diligentius inquisisse videtur; quem certe de Cumarum Italiæ situ ac de vicinis locis egisse testis est alicubi Strabo, lib. V, p. 244. Citat quoque de hac Sibylla Pausanias Hyperochum Cumanum, ætatis ignotæ scriptorem, sed qui certe dux non fuit Aristoteli, diversa satis ab eo tradenti. Sic enim Pausanias, Phocic. c. 12, loco sæpe cit.: Τὴν δὲ ἐπὶ ταύτῃ [τῇ Μαρπησσίᾳ ἤτοι Μερμησσίᾳ] χρησμοὺς κατὰ ταῦτα εἰποῦσαν ἐκ Κύμης τῆς ἐν Ὀπίκοις εἶναι, καλεῖσθαι δὲ αὐτὴν Δημώ, συνέγραψεν Ὑπέροχος ἀνὴρ Κυμαῖος. Χρησμῶν δὲ οἱ Κυμαῖοι τῆς γυναικὸς ταύτης οὐδένα εἶχον ἐπιδείξασθαι· λίθου δὲ ὑδρίαν ἐν Ἀπόλλωνος ἱερῷ δεικνύουσιν οὐ μεγάλην, τῆς Σιβύλλης ἐνταῦθα κεῖσθαι φάμενοι τὰ ὀστᾶ· ἐπεγράφη δὲ καὶ ὕστερον τῆς Δημοῦς. Vides hic multa ab Aristotelis narratione differre, præcipue nomen ipsum mulieris, quod recepta apud Cumanos traditione Δημώ fuisse, non Μελάγχραιναν, jam constat, Hyperocho teste indigena, nisi de nomine Cumani quoque hæsitabant; nam et Aristoteles Μελάγχραιναν vocari dicit non ab omnibus, sed a quibusdam, ὑπό τινων, et Hyperochus nomen Demo fatetur funebri loculo serius, ὕστερον, esse inscriptum, quod aliquid in se habet suspicionis. Miramur interim de antro, quod præcipue Cumis visebatur, nihil a Pausania traditum; loquitur tantum de Apollinis templo, quod antro proximum fuisse scimus: ex Hyperochi ergo narratione, qua procul dubio designata fuerat Sibyllæ sedes, pauca videtur et parce nimis excerpsisse Pausanias.

Contra de antro multus est Lycophron, idque videtur præcipuum e Cumanis traditionibus retinuisse, Alex., v. 1278, sqq.:

Ζωστηρίου τε κλιτὺν, ἔνθα παρθένου
Στυγνὸν Σιβύλλης ἐστὶν οἰκητήριον,
Γρώνῳ βερέθρῳ συγκατηρεφὲς στέγης,

ubi legendum συγκατηρεφὴς στέγῃ. Zosterium verbo Scholiastæ docent illum ipsum esse montem in quo et Apollinis templum et antrum Sibyllæ fuit, Tzetz. ad Lycophr., l. cit.: Ζωστήριον ὄρος Ἰταλίας, ἐν ᾧ ἱερὸν Ζωστηρίου Ἀπόλλωνος· φησὶ γοῦν ὅτι ἐνταῦθα διῆγεν ἡ Σίβυλλα (vulgo editum διῆγον αἱ Σίβυλλαι). De Apolline Zosterio non est hic locus disputandi: nomen ex Attica per Eubœam venerat, quæ prima Cymæorum patria fuit; inde Cumas in Italiam translatum. Confer de hac re in primis Steph. Byz., v. Ζωστήρ. Sed rursus nos ad Sibyllam.

Eadem fere illius vestigia servata in iisdem locis Romani repererant, uno fere post Lycophronem sæculo, ut e Nævii, Pisonis et ipsius Varronis testimoniis infra docebimus. Secutus hos auctores Virgilius, sexto præsertim Æneïdos libro, non solum ex antiquis illis

fabulis, sed etiam e locorum situ probe explorato, ad ornatum carminis sui contulit ea quæ omnes sciunt, excipienda deinceps magnamque partem transcribenda latinis poëtis recentioribus.

Multum sane ex illorum artificum ingeniis ad Cumanæ Sibyllæ famam ipsarumque Cumarum laudem accessit. Quam enim sæpe, quam religiose putas aditum esse antrum, tot poeticis miraculis clarum, a quo Romana fata petiverat Æneas, acceperatque post multa sæcula Tarquinius? Quum præsertim vicina omnia loca Romanorum opulentissimis villis celebrarentur, ac nemo sane paulo elegantior Baias lotum veniret, quin Avernum et Cumas et Sibyllam, Virgilio comite, inviseret. Cumis itaque plena erant omnia Sibyllæ memoria, unde in ejus urbis numis toties expressa Sibyllini capitis imago, Mionn., t. I, p. 114, et Supplem., t. I, p. 238, sq.; atque ibi pueris ipsis erat in ore, in ludis erat. Vidisse se Cumis narrat aliquis apud Petronium Arbitrum in Fragm. Tragur., p. 44, ed. 1671, Sibyllam in ampulla pendentem; « et quum illi pueri dicerent, Σίβυλλα, τί θέλεις; respondebat illa: ἀποθανεῖν θέλω. » Puerile quidem ac bene notum miraculum imagunculæ in aqua pendentis et ad ludibrium spectantium sursum deorsumve se moventis; quod vix memoratu dignum, nisi ad fabulam pertineret de extremis Sibyllæ fatis infra memorandam.

De Cumano autem antro servataque ibi habitationis Sibyllinæ memoria, testis nullus est locupletior Justino Martyre, qui loca ipsa viderat, et, ut viderat, accuratissime descripsit, Cohort., § 37, ed. Paris. 1742. Nam quum de Sibylla Chaldæa seu Babylonia dixisset, ad eamque referre vellet quæcumque de Sibyllis vulgo narrabantur: Ταύτην, inquit, ἐκ μὲν Βαβυλῶνος ὡρμῆσθαί φασι, εἰς δὲ τὰ μέρη τῆς Καμπανίας οὐκ οἶδ' ὅπως διαβᾶσαν ἐκεῖ τοὺς χρησμοὺς ἐξαγορεύειν ἔν τινι Κούμᾳ οὕτω λεγομένῃ πόλει, ἐξ σημείοις διεστώσῃ Βαΐων, ἔνθα τὰ θερμὰ τῆς Καμπανίας εἶναι συμβαίνει. Ἐθεασάμεθα δὲ ἐν τῇ πόλει γενόμενοι καί τινα τόπον ἐν ᾧ βασιλικὴν μεγίστην ἐξ ἑνὸς ἐξεσμένην λίθου ἔγνωμεν, πρᾶγμα μέγιστον καὶ παντὸς θαύματος ἄξιον, ἔνθα τοὺς χρησμοὺς αὐτὴν ἀπαγγέλλειν οἱ ὡς τὰ πάτρια παρειληφότες παρὰ τῶν ἑαυτῶν προγόνων ἔφασκον. Ἐν μέσῳ δὲ τῆς βασιλικῆς ἐπεδείκνυον ἡμῖν τρεῖς δεξαμενὰς ἐκ τοῦ αὐτοῦ ἐξεσμένας λίθου· ὧν πληρουμένων ὕδατος λούεσθαι αὐτὴν ἐν αὐταῖς ἔλεγον, καὶ στολὴν ἀναλαμβάνουσαν εἰς τὸν ἐνδότατον τῆς βασιλικῆς βαδίζειν οἶκον ἐκ τοῦ αὐτοῦ ἐξεσμένον λίθου, καὶ ἐν μέσῳ τοῦ οἴκου καθεζομένην ἐπὶ ὑψηλοῦ βήματος καὶ θρόνου, οὕτω τοὺς χρησμοὺς ἐξαγορεύειν. Hæc Justinus, quæ omnia vel ipsum se vidisse vel ab incolis didicisse testatur. Nec mirum: nam sexto etiam sæculo, post exstinctam fere gentium superstitionem, mansisse Cumis easdem de Sibylla ejusque antro traditiones, testis est Procopius, de Bell. Goth. lib. I, § 14, ed. Bonn.: Ἐν ταύτῃ, inquit, τῇ

Κύμῃ οἱ ἐπιχώριοι τὸ Σιβύλλης δεικνύουσι σπήλαιον, ἔνθα δὴ αὐτῆς τὸ μαντεῖον γεγενῆσθαί φασι. Plura etiam de ea re Agathias, lib. I, § 10 : Ἐν τῷ πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα τοῦ λόφου τετραμμένῳ ἀγκῶνι ἄντρον τι ὕπεστιν ἀμφηρεφές τε καὶ γλαφυρώτατον, ὡς ἄδυτά τε ἔχειν αὐτόματα καὶ κύτος εὐρὺ καὶ βαραθρῶδες. Ἐνταῦθα δὴ πάλαι φασὶ τὴν Σίβυλλαν τὴν πάνυ τὴν Ἰταλὴν ἐνδιαιτωμένην φοιβόληπτόν τε εἶναι καὶ ἔνθουν, καὶ προαγορεύειν τὰ ἐσόμενα τοῖς πυνθανομένοις. Λέγεται δέ ποτε καὶ Αἰνείαν τὸν Ἀγχίσου αὐτοῦ ἀφικόμενον, ἅπαντά οἱ τὴν Σίβυλλαν φάναι τὰ ὕστερον συνενεχθέντα. Quarum fabularum plerasque, favente locorum situ, apud indigenas hodieque manere, et viatoribus, volentibus necne, ogganniri sciunt, quicumque Cumas hodiernas adierunt. Quanquam vetus Sibyllæ antrum dirutum fuisse atque defossum terræ motu, anno 1539, et quod nunc monstrari solet, alterum esse diversum, licet antiquiori simile, monet Onuphrius de Sibyllis sub finem, fortasse de hac re non satis certus auctor : nos quidem vix credimus. Confer, si vacat, Heynii Excursum de Topogr. Cum. ad Æn. lib. VI.

Sed quantumvis in Sibyllæ suæ laudibus exsultaverint Cumani, sepulcrum quidem ejus advenis ostenderunt, non vero cunas. Et tamen videtur Hyperochus Cumanus apud Pausan., loc. cit., urbe sua oriundam illam facere, ἐκ Κύμης τῆς ἐν Ὀπικοῖς εἶναι. Sed docet Aristoteles, loc. cit., a quibusdam tantum Italiæ incolis id creditum, ὑπό τινων τὴν Ἰταλίαν κατοικούντων, quod ipse aperte negat, dum patria Erythræam fuisse fidenter asserit, οὖσαν μὲν Ἐρυθραίαν. Scilicet antiquiores Græci, quum Sibyllam unam agnoscerent, eamque, ut diximus, Erythræam, maluerunt ipsam per varias terrarum oras circumducere quam duplicem aut multiplicem facere. Videtur in ea sententia fuisse T. Livius, cujus de Sibylla unicum est testimonium, lib. I, § 7 : « Ante Sibyllæ in Italiam adventum. » Quin et Senatus ipse Romanus, siquidem, uti infra docebimus, amissos Romæ Sibyllinos libros conquiri jussit non Cumis tantum aut per Italicas provincias, sed Erythris quoque et in aliis Asiæ locis. Cur, nisi quod Cumanam Sibyllam ex istis tractibus venisse fama erat ? Adde fabellam de morte Sibyllæ infra proferendam. His omnibus movemur ut credamus, ante Virgilium saltem traditaque ab eo miracula, vulgatissimam ac pæne solam fuisse non in Græcia tantum, sed etiam in Italia, eam, quam Aristotelis diximus esse sententiam, qua Cumana Sibylla Erythris accersebatur. Hanc secutus est multo etiam post Virgilium Martianus Capella, de Nupt. Philol. lib. II, loc. jam cit. : « Sibylla, inquit, Erythræa quæque Cumana est, » et paulo infra : « Symmachiam eam quæ, Erythræa progenita, etiam Cumis est « vaticinata. » Et hanc interpres ipse Virgilii Servius in commenta-

rios retulit, ad Æn. VI, 321, quamvis nihil tale in poeta suo reperiret, ipse mox apud nos locuturus.

Ita illi veteres. Sed et e doctissimis recentiorum quosdam scimus isti sententiæ favisse. Nos vero quid? Non profecto Sibyllam ipsam, sed Cumanas de Sibylla traditiones ex iisdem Asiæ partibus adducemus, unde Erythræa carmina et famam Erythrææ Sibyllæ deduximus supra, cap. 3, nempe ex antiquæ Trojæ vicinia et Æolensium in eo tractu coloniis. Notavit enim Klausenius, op. cit., p. 237, licet in alium sensum hæc indicia detorquens, commune Cymæis cum Mermessiis Æolicum genus; notavit prope Larissam in agro Cymæo oppidulum seu Gergithium seu Gergithas, Troicam coloniam, testibus Athen. lib. VI, p. 256, et Strab. lib. XIII, p. 616. Cymæi vero, in Italiam translati, quum ibi Cumas vel condiderunt vel occupaverunt, nonnulla circa ea loca repererunt quæ ipsis Mermessiæ Sibyllæ memoriam renovare facile possent, speluncam nempe, et speluncæ proximum Apollinis templum, et vicinum Averni lacum pro infernis faucibus habitum, ideoque Aïdoneo flumini non absimilem, etc. Invenerant præsertim multo antiquiorem in iis locis oraculi illius Avernalis memoriam, quod ab Ulysse aditum Homerus narrat, ubi ex inferorum ostio quodam, Averno videlicet, evocabantur manes consulendi, tum quum tota illa regio adhuc Cimmeria vocabatur.

Nam ibi positos fuisse Homeri Cimmerios, unius diei navigatione ab insula Circea distantes, et jam antiquitus et usque ad hæc tempora creditum est. Quos quia rudis Homeri ætas ad extremum occasum sitos credebat, cælum ibi tenebris æternis coopertum finxerunt, Odyss. λ, v. 16, sqq. :

Ἔνθα δὲ Κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμός τε πόλις τε,
Ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι· οὐδέποτ' αὐτοὺς
Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν.

Senserat hoc jam olim Ephorus Cymæus, apud Strabonem, loco jam cit., lib. V, p. 244, sq. Conferendi apud Latinos Festus, v. *Cimmerii;* Servius, ad Æn. VI, 107; etiam Plinius, Hist. Nat. lib. III, § 9, ubi antiquum oppidum Cimmerium haud procul Averno constituit. Itaque veteres Latini Sibyllam nostram non *Cumanam*, sed *Cimmeriam* vocabant, unde Varro apud Lact., loc. cit., quartam inter Sibyllas recenset « Cimmeriam in Italia, quam Nævius in libris Belli « Punici, Piso Annalibus nominat. » Quid Piso, quid Nævius de illa scriptum reliquerint, si verba ipsa requiras, prorsus ignotum est; si rem, minime obscurum. Nam Nævius quidem, uti probe ejus editoribus visum, in fine libri sui secundi, quo Trojanorum in Italiam

adventum narraverat, Æneam ad illa loca Sibyllæ consulendæ causa duxerat, Virgilio prævius. Piso autem Calpurnius, Annalium scriptor clarissimus, more veterum historicorum a fabulis poeticis haud abhorrens, eamdem quam Nævius viam post illum ac diu ante Virgilium institerat, uti liquet ex insigni loco apud Aurelium Victorem vel quisquis auctor fuit libri de Origine Gent. Rom. § 10 : « Addunt præterea quidam Æneam, quum comperisset Sibyllam mortalibus futura præcinere in oppido quod vocatur Cimbarionis, venisse eo sciscitatum de statu fortunarum suarum; aditisque fatis, vetitum ne......... in Italia sepeliret Prochytam, cognatione sibi conjunctam, quam incolumem reliquerat. Et postquam ad classem rediit, reperitque mortuam, in insula proxima sepelisse, quæ nunc quoque eodem est nomine, ut scribunt Vulcatius et Acilius Piso. » Ubi quamvis cum Vulcatio, ignoto scriptore, citetur Acilius Piso, pariter ignotus, auctoritas tamen traditioni non deest : constat enim inter doctos legendum esse, disjunctis nominibus, *et Acilius et Piso,* ut simul designentur C. Acilius Glabrio, vetustissimus Annalium conditor, et L. Calpurnius Piso Frugi, de quo nunc agitur. Certissimum igitur est, Cimmeriam Nævii et Pisonis, a Varrone memoratam, non aliam esse quam Cumanam Virgilii et nostram.

Eamdem a Suida *Lucanam* vocari quod Cumæ in Opicis essent non procul Lucania; eamdem ab Agathia *Italam*, τὴν Σίβυλλαν τὴν πάνυ τὴν Ἰταλήν, minime dubium est. Cur autem Euboïca sæpe a poetis, Ovidio, Statio, Martiale, etc., et semel a Gratio Falisco, v. 35, Æolia nuncupetur, cuivis patet, reputanti Euboïcam primum originem, deinde Æolicam habitationem Cymæorum, a quibus Cumæ in Italia conditæ.

Sed mos invaluit ut Cumana potius diceretur ob urbis Cumarum et antri Cumani celebritatem. Quanquam Varro, qui eam cum Nævio Cimmeriam vocat, diversam ab ea Cumanam introducere voluit, quæ nempe Regi Tarquinio fatales Romanorum libros attulisset, quod prorsus fundamento carere monstrabimus capite proximo et in Excursu III, cap. 2. Virgilius quidem non est in hac re Varroni astipulatus, sed Cimmeriam Nævii Cumanam suam fecit, et libros sane Romanorum Sibyllinos ab ea scriptos finxit, ne nimium vulgatæ traditioni officeret, ipsam vero minime ausus est ad Tarquinii tempora perducere, quod nullo modo admitti poterat, uti pluribus in Exc. III demonstrabitur.

Cur vero Cumæam eam Virgilius ubique dicere maluerit quam Cumanam, ut Eclog. IV, v. 4 :

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas,

et Æneid. VI, v. 98:

Talibus ex adyto dictis Cumæa sibylla,

utrum vitandi cum Varrone mortuo certaminis causa, an quod græci nominis græcam formam elegantiorem putaverit; id nobis quidem minimi videtur esse momenti.

Sed quoniam ad eum poetam devenimus cui plurimum debet Cumanæ Sibyllæ fama, liceat nobis diutius cum ipso in hoc argumento versari, ne quid omittamus quod ad informandam hujus mulieris effigiem conferri possit.

Deïphoben eam proprio nomine dixit poeta, sua ne an alicujus auctoritate, prorsus incertum. Nam apud Aristotelem, uti vidimus, Melanchræna, apud Pausaniam, Demo eadem dicitur. Δηϊφόβη apud Græcos ecqua unquam mulier vocata sit, ignoramus, etsi Deïphobus, Priami filius, ex Homero et Virgilio satis notus est. Martianus Capella, loco jam cit., Symmachiam vocavit, Hippotensis filiam; Servius ad Æneid. III, 445, Phemonoën, quod in Virgilii interprete mireris. Quod vero in Chronico Paschali Cimmeria, quæ nobis Cumana est, Sibylla Adaë nominari videtur, Ἀδαή græce (an quæ doceri nihil egeat?) parum moramur, quoniam fortasse mera librariorum culpa scriptum est Ἀδαή pro Ἰταλή, ut sic legendum sit : Σίβυλλα ἡ Ἰταλὴ ἡ Κιμμερία.

Glaucum Sibyllæ suæ patrem affinxit idem poeta, laudatus ob hoc ab interpretibus, quod scilicet Glaucus inter maritimos deos vaticiniis insignis haberetur. Matrem reticuit, an de Circe fortasse cogitans, quam Glaucus amasse traditur apud Hygin. fab. 199. Et Circe quidem vicinam Cumis insulam, nunc continenti annexam, Circeios habitasse ferebatur. Glaucus, quamvis origine Bœotus, Hesperia litora frequens invisebat, siquidem non Circen modo in Latii ora, sed etiam in Siculo freto Scyllam adamasse creditus est. Itaque Sibyllinorum per nos editorum libro tertio, v. 813, sq., ubi vulgata lectio ita se habet :

Οἱ δέ με Κίρκης
Μητρὸς καὶ Γνωστοῖο πατρὸς φήσουσι Σίβυλλαν,

suspicati olim eramus pro Γνωστοῖο reponendum esse Γλαύκοιο, mera tamen et vix probabili conjectura. Martianus Capella, loc. supra cit., suæ, ut ibi vidimus, Symmachiæ Sibyllæ, quæ aliorum Erythræa est, patrem Hippotensem perhibuit, ignoto nomine : an Hippotam dicere voluit, Æoli patrem sive avum, quem sane in Æoliis insulis, Italiæ proximis, regnasse quid vetat? confer, si vacat, Eustathium ad Odyss. X, v. 2. Sed cum Martiano, nullius judicii homine, quis velit

serio rem agere? Et de hoc ipso loco alias jam conjecturas emisimus supra, cap. 2, pag. 14.

De patria nihil Virgilius, sive eam Cumis indigenam sibi finxit, sive id parum curavit. Paulo expressior Ovidius: nam teneræ adhuc puellæ necdum vaticinandi peritæ, nondum igitur Sibyllis consociandæ, Apollinem adducit ita loquentem, Metam. XIV, v. 135:

Elige, ait, virgo Cumæa, quid optes,

unde colligas Cumis eam jam tum habitasse. Sed Aristotelem vidimus Erythris eam accersentem; et sic Servius bis ad ipsum Virgilium, citatus jam nobis et infra citandus.

Mirum vero nihil omnino delibasse Virgilium de Apollinis cum Sibylla amoribus, seu de oblato virginitatis pretio, longævitate: quam fabulam ingeniose, ut solet, narravit Ovidius, seu potius ipsam narrantem induxit, Metam. loc. cit. v. 130, sqq.:

Nec dea sum, dixit, nec sacri turis honore
Humanum dignare caput: neu nescius erres,
Lux æterna mihi carituraque fine dabatur,
Si mea virginitas Phœbo patuisset amanti.
Dum tamen hanc sperat, dum præcorrumpere donis
Me cupit.: Elige, ait, virgo Cumæa, quid optes;
Optatis potiere tuis. Ego pulveris hausti
Ostendens cumulum, quot haberet corpora pulvis,
Tot mihi natales contingere vana rogavi.
Excidit optarem juvenes quoque protinus annos.
Hos tamen ille mihi dabat, æternamque juventam,
Si Venerem paterer: contempto munere Phœbi,
Innuba permaneo.

Sed hæc omnia, uti jam diximus supra, cap. 2, pag. 17, e Cassandræ notissima historia in Sibyllam male detorta sunt vel ab ipso Ovidio, vel ab aliquo antiquiore seu græco scriptore seu latino.

Habet tamen prope eadem Servius ad Æneïd. VI, 321: « Hanc, « inquit, Apollo pio amore dilexit, et ei obtulit poscendi quod « vellet arbitrium. Illa hausit arenam, et tam longam vitam poposcit. « Cui Apollo respondit, id posse fieri, si Erythræam insulam in qua « habitabat relinqueret et eam nunquam videret. Profecta igitur « Cumas tenuit. » Sed ibi nota 1° pium amorem Apollinis, non qualem profecto Ovidius intelligebat; 2° Erythras (male Servius Erythræam insulam, nisi pæninsulam dicere voluit) natalem Sibyllæ sedem datam, plane ut apud Aristotelem; 3° conditionem exsilii ab Apolline impositam, de qua præter Servium nemo, quantum scimus, quidquam tradidit.

Quæ licet omnia prætermiserit consulto sane, et dignitati parcens Sibyllæ suæ, Virgilius, tamen in hoc cum ceteris auctoribus seu græcis seu latinis consentit, quod illam ubique Virginem vocat.

De longo etiam ejus senio consentit idem cum omnibus, Æn. VI, v. 321, 628, etc., quam ipsi huic Sibyllæ laudem, si tamen ea laus est, concesserat jam olim Aristoteles, loco citato, πολυχρονιωτάτην vocans, nec tamen, uti videtur, ad illam de Apolline fabulam respiciens, sed ad Erythrææ de se ipsa testimonium allatum a nobis supra, pag. 17. Post Virgilium autem Cumanæ sibyllæ tam pertinaciter inhæsit illa longi senii fama, ut pæne in proverbium abiisse videatur. Sic Propertius, lib. II, eleg. 24, v. 33 :

> At me non ætas mutabit tota Sibyllæ,

et lib. II, eleg. 2, v. 15 :

> Etsi Cumææ sæcula vatis agat.

Sic Ovidius, Metam. lib. XIV, v. 104 :

> Litora Cumarum vivacisque antra Sibyllæ
> Intrat....,

et Fast. lib. IV, v. 875 :

> Carmine vivacis Venus est translata Sibyllæ.

Sic Martialis, lib. IX, epigr. 30 :

> Euboïcæ nondum numerabas longa Sibyllæ
> Tempora....,

aliique alia multa hujusmodi.

Sed apud Virgilium, quamvis longæva, non tamen admodum decrepita Trojanis temporibus fingitur, Æn. VI, v. 262, ubi tam firmo gradu heroem ducit ac præcedit :

> Tantum effata, furens antro se immisit aperto:
> Ille ducem haud timidis vadentem passibus æquat.

Non ut apud Ovidium, Metam. lib. cit., v. 143 :

> Tremuloque gradu venit ægra senectus.

Nimirum diserte Ovidius septingentos annos illi tribuit :

> Nam jam mihi sæcula septem
> Acta vides,

et trecentos superfuturos docet :

> Superest, numeros ut pulveris æquem,
> Ter centum messes, ter centum musta videre.

Itaque illam in mille annos producere voluit, quæ fere ipsa est Phlegontis computatio de Sibyllæ, non Cumanæ quidem, sed Erythrææ vita, loco jam cit., de Longævis, cap. 4 : Ἐβίωσεν ἔτη ὀλίγον δέοντα τῶν χιλίων, allatis deinde ipsius Sibyllæ verbis :

> Ἐν δεκάτῃ γενεᾷ χαλεπὸν κατὰ γῆρας ἔχουσα.

Pergit Ovidius, eamdemque declarat, annorum procedente cursu, in tenuem auram atque in meram vocem abituram :

Nullique videnda
Voce tamen noscar; vocem mihi fata relinquent.

Nec aliter Servius ad Æn. VI, 321 : « Defecta corporis viribus, vitam « in sola voce retinuit. » Cui etiam fabulæ originem, quamvis longinquam, dare potuit Erythræum carmen, ubi Sibylla de se canit :

Ἔνθ' ἄρα μοὶ ψυχὴ μὲν ἐς ἠέρα πωτηθεῖσα,
Πνεύματι συγκραθεῖσα, κ. τ. λ.

Hæc tamen ad Ovidii sententiam accedere nequeunt, nisi vel male intellecto vel ex industria perverso loci totius sensu. Itaque lusus hic potius fuerit ingeniosi hominis, qui exhausti corporis reliquias sensim sensimque decrescentes usque ad extremum deliquium et ultra formæ mortalis umbram persequi voluerit.

In illo senectutis evanidæ fastidio facile credas Sibyllam sæpius mortem optasse, cujus desiderium apud Ovidium, loc. cit., minime celat; eoque respicit lusus ille puerorum Cumanorum quem ex Petronio retulimus supra, p. 51, Sibyllam interrogantium, quibus illa respondet : Ἀποθανεῖν θέλω.

De ejus morte solus Servius, uti nos jam ad Erythræam diximus, aliquid prodidit, idque fabulosum et puerile. Nam post conditionem datam Sibyllæ ab Apolline, ne Erythras unquam reviseret (confer paulo ante, pag. 56), statim addit interpres : « Quod quum cives « ejus [Erythræi] cognovissent, sive invidia, sive miseratione com« moti, ei epistolam miserunt [epistolam, dii boni! ei mulieri quæ « vitam in voce tantum retineret] creta antiquo more signatam. Qua « visa terra, nam erat de ejus insula, in mortem resoluta est. » Porro id, si Servio fides, non alibi potuit accidere quam Cumis, ubi et sepulcrum ejus monstratum Hyperocho apud Pausaniam, Justino Martyri, Procopio, etc. De sepulcro notandum tamen, simile alterum, tanquam Cumanæ, Lilybæi in Sicilia servatum esse, Solino teste, cap. 2 et 5; « sed ejus, quæ rebus Romanis quinquagesima « Olympiade interfuit, » ibid. cap. 2, id est, sub Tarquinio Prisco, falsa tamen Solini supputatione, quum infra Superbum ipse designet : alienum utique monumentum ab hac veteri Cumana, et nobis in tempus aliud reservandum; confer infra, cap. 8 et 11.

Sed de Cumana poetarum dicentibus aliquid deesse videretur, nisi modum quoque vaticinandi, qui illi Sibyllæ consuetus fuit, e Virgilio ac præsertim e libris Æneïdos III et VI huc apponeremus.

Primum igitur de Sibylla consulenda monetur Æneas ab Heleno, Æn. III, v. 441, sqq. :

Huc ubi delatus Cumæam accesseris urbem,
Insanam vatem aspicies, quæ rupe sub ima
Fata canit, foliisque notas et nomina mandat.

Nota speluncæ mentionem statim a poeta fieri « rupe sub ima, » scribentemque monstrari Sibyllam, non tantum canentem; ad quæ Servius : « Tribus modis ait futura prædicta, aut voce, aut scripto, aut « signis, id est, quibusdam notis, ut in obelisco Romæ videmus, vel, « ut alii dicunt, notis literarum, ut per unam literam significet aliquid. « In foliis autem palmarum Sibyllam scribere solere, testatur Varro. » Grave est hic Varronis testimonium, ut appareat in his quoque Virgilium non de suo omnia finxisse. Ac fortasse de modo scripturæ nimis argutatur, uti solet, Servius. Sed de materia, antiquum illum fuisse morem in foliis palmarum scribendi, agnoscit Plinius, Hist. nat. XIII, § 21 (olim 11); quem et ad nostram memoriam in India perstitisse, forsan et hodie perstare, exemplaria codicum ita scriptorum passim obvia testantur. Cumis tamen in Italia difficilior fuit usus ille palmarum : quas ibi tum alienigenas cultas fuisse vix credimus; *Chamærops* autem *humilis,* quod unum in Europa nativum palmæ genus est, frequens in Sicilia frutex, etiamsi frequentior in Italia fuerit olim quam hodie est, minime apta scribendo materies videtur.

Commissa vero foliis oracula facile vento turbari, ipse monet Helenus, ibid.; itaque aliud responsi genus petendum :

Ipsa canat, vocemque volens atque ora resolvat.

Libro igitur VI, Æneas, ubi ad Italiam, diu quæsitam, appulit,

Et tandem Euboïcis Cumarum allabitur oris,

statim ad Sibyllam se convertit. Sed prius est superandum collis oppositi jugum. Hunc collem Ζωστηρίου χλιτύν vocaverat Lycophron, ut vidimus, a Zosterii Apollinis templo. Virgilius pariter,

Arces quibus altus Apollo
Præsidet.

Hic opacæ sunt sylvæ, lucus Hecatæ sacer, per quem fit aditus ad Apollinis ædem :

Jam subeunt Triviæ lucos atque aurea tecta.

Templum auro fulgens, quondam a Dædalo positum, sculptaque ibi ab illo artifice rerum antiquarum simulacra, miratur Æneas. Sed mox adest vocata, nempe ex interiore ædis parte, Sibylla ipsa, duplicis ministerii infulas gerens, Phœbi Triviæque sacerdos. Ea jubente, fit sacrum Diis, ut videtur, superis inferisque, Apollini et Hecatæ, illi juvencis, huic bidentibus. Hinc « alta ad templa » non jam Apollinis, sed ad suam ipsa speluncam Ænean cum sociis vocat :

Excisum Euboïcæ latus ingens rupis in antrum,

Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum,
Unde ruunt totidem voces, responsa Sibyllæ.

Conferendus locus cum iis quæ de Sibyllæ antro supra a nobis relata sunt ex Aristotele, Lycophrone, Justino, Agathia.

Ventum erat ad limen, quum virgo: Poscere fata
Tempus, ait: Deus, ecce Deus. Cui talia fanti
Ante fores, subito non vultus, non color unus,
Non comptæ mansere comæ; sed pectus anhelum
Et rabie fera corda tument; majorque videri,
Nec mortale sonans, afflata est numine quando
Jam propiore Dei. Cessas in vota precesque,
Tros, ait, Ænea? cessas? neque enim ante dehiscent
Attonitæ magna ora domus.

Hic Æneas Phœbum invocat; Phœbo et Hecatæ templum vovet, olim, quum in regnis suis consederit, erigendum (innuente haud dubie poeta Palatini Apollinis ædem ab Augusto post multa sæcula consecratam, in quo fortasse etiam Hecatæ cella fuit),

Festosque dies de nomine Phœbi,

ludos nempe Apollinares, qui tamen Punicis tantum bellis Romæ instituti sunt, qua de re plura nos in Excursu III. Sed et Sibyllæ honores prope divinos spondet Æneas:

Te quoque magna manent regnis penetralia nostris.
Hic ego namque tuas sortes arcanaque fata
Dicta meæ genti ponam, lectosque sacrabo,
Diva, viros.

Alludit ad libros Sibyllinos depositos in templo Palatino, et electorum virorum, id est, XVvirum curæ demandatos, de quibus rursus nos infra in Exc. III. Pergit deinde:

At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum. Tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.
Ostia jamque domus patuere ingentia centum
Sponte sua, vatisque ferunt responsa per auras.

In antro igitur hunc Dei accessum passa est vates. Ergo dum Æneas precabundus ad limen staret, ipsa se subita fuga in antrum recondiderat, unde nunc emissa vox per spiracula centum ad Æneam allabitur: quæ omnia conveniunt aliquatenus cum iis quæ apud Justinum Martyrem supra legimus: Λούεσθαι αὐτὴν..., καὶ στολὴν ἀναλαμβάνουσαν εἰς τὸν ἐνδότατον τῆς βασιλικῆς βαδίζειν οἶκον..., καὶ ἐν μέσῳ τοῦ οἴκου καθεζομένην, οὕτω τοὺς χρησμοὺς ἐξαγορεύειν. Quæ vero se-

quuntur apud poetam de Sibyllæ ad Æneam responsis, ac de utriusque peregrinatione per inferos, quoniam ad pleniorem Sibyllæ notitiam nihil addere possunt, prorsus omittenda censemus.

CAP. VIII. *De pseudo-Cumana, id est, Cumana Varronis, seu potius Romana vel Tarquiniana Sibylla.*

Et jam fortasse disserere tempus esset de altera Sibylla, quam Varro et qui eum secuti sunt, Cumanam vocant, a Cimmeria diversam, nos pseudo-Cumanam seu Romanam dicere malumus. Sunt de ea apud Lactantium, loco sæpe cit., Varronis hæc verba : « Cumanam, nomine Amaltheam, quæ ab aliis Demophile vel Herophile « nominatur; eamque novem libros attulisse ad regem Tarquinium, etc. » Illam nempe mulierem intelligit quæ ex annalibus Romanorum notissima est, quæ oraculorum libros, postea in Capitolio consecrandos, Tarquinio Superbo (non, ut Varro cum aliis, Prisco) vendidit. Sed illam mulierem nullam unquam fuisse, mera quippe Tarquinii fraude excogitatam, vel si qua fuit, oraculorum pseudo-Sibyllinorum venditricem peregrinam, non Sibyllam ipsam fuisse, ac serius Sibyllæ nomen contra historiarum fidem accepisse, demonstrabimus in Exc. III, quare plura de ea loqui nunc supersedemus. Vana quoque nomina eidem a Varrone, loco supra cit., imposita docebimus, quorum unum, Amalthea, proprium fuit Epiroticæ Sibyllæ; tertium, Herophile, Erythrææ; medium, Demophile, prorsus ignotum, nisi ex incerto Cumanæ nomine, Demo, confictum est. Quod vero Amaltheam hanc quoque dixerunt Tibullus, liber II, eleg. 5, v. 67, et Servius ad Æneïd. VI, 72, et Lydus de Mens., lib. IV, p. 70, ed. Bonn., id e Varronis fide factum nemini non statim apparet. Nec tamen ista omnia a Varrone primo excogitata dicere unquam ausimus. Auctores profecto suos ipse habuit, seu latinos, seu græcos, sed minus graves, quos ideo citare neglexit; iique plus vulgari fama ac popularibus commentis quam veterum scriptorum testimoniis obsecuti erant. Post Varronem non convaluit, ne tanti quidem viri judicio fulta, inanis ista atque intolerabilis opinio quæ Sibyllam unam post tot alias ideo creabat, ut, ceteroquin ignota, semel aliquando Romæ sub dium prodiret, mercaturæ librorum faciendæ causa; deinde vix accepta pecunia, recederet atque evanesceret, nulli posthac videnda audiendave. Virgilius ergo Varroni in hac re non est astipulatus, sed fatales Romanorum libros a Cumana quidem Sibylla scri-

ptos, Æneïd. VI, v. 72, nusquam autem ab ipsa Tarquinio allatos professus est, nec quo modo Romam perventuri essent, Æneæ prædicere curavit. Quid de ea re senserit ipse, non nostrum est quærere: certe silentio suo summam difficultatem elusit, seu novæ Sibyllæ procreandæ, seu Cumanæ per septem fere sæcula producendæ atque in munus indecorum reservandæ, quam et Divæ similem et senio jam provectam Æneæ comitem addiderat. Serius tentavit Solinus, cap. 2, Tarquinianam Sibyllam cum Cumana simul et Sicula confundere, ejusque sacellum Cumis, sepulcrum Lilybæi monstravit, sed auctorum solus, ut nobis quidem videtur, utque infra, cap. 11, iterum monebimus. Ceteri post Virgilium Romani scriptores, divini sui poetæ vestigiis, ut solent, adhærentes, Cumana quidem oracula ubique memorant, de eorum autem venditrice Sibylla nihil clare definiunt, videnturque diversissimas binas traditiones Cumanorum et Romanorum, erroris vitandi causa, incertas atque suspensas relinquere, quod interim a lectoribus nostris requirimus, donec totam de ea re sententiam fusius exposuerimus in Exc. III.

CAP. IX. *De Italica Sibylla, seu de Carmenta Evandri matre.*

Juxta Cumanam autem Sibyllam ac, si fas dicere, juxta utramque Cumanam, fuit Romæ vates alia antiquior utraque et in primis clara, Carmenta nempe seu Carmentis, Evandri mater: quam tamen Sibyllam a Romanis nusquam vocari videmus; imo distinguit aperte Livius, lib. I, § 7, ubi de ea muliere honorifice loquitur, « quam fatiloquam, inquit, ante Sibyllæ in Italiam adventum miratæ hæ gentes « fuerant; » distinguit etiam Martianus Capella, de Nuptiis Philol., lib. II, loco jam cit.: « Alii quoque hujus generis homines in divinandi « usum et præscientiam procreati, ut Carmentis in Arcadia...., Si- « byllæ, vel Erythræa quæque Cumæa est, etc. » Clemens tamen Alex. non dubitavit in Sibyllarum album hanc quoque referre, Italicam, incerto auctore, dictam, his verbis: Ἔω δὲ τὴν Ἰταλικὴν [Σίβυλλαν], ἣ τὸ ἐν Ῥώμῃ Κάρμαλον ᾤκησεν, ἧς υἱὸς Εὔανδρος, ὁ τὸ ἐν Ῥώμῃ τοῦ Πανὸς ἱερὸν τὸ Λουπέρκιον καλούμενον κτίσας. Quæ Græci recentiores, Photius, Scholiasta Plat., Anonymus quoque præfator ad Sibyllina, iisdem omnino transcripta verbis et in catalogum Varronis audacius intrusa ad Cimmeriam retulerunt: Τετάρτη ἡ Ἰταλικὴ, ἡ ἐν Κιμμερίᾳ τῆς Ἰταλίας, ἧς υἱὸς Εὔανδρος, κ. τ. λ. Sic isti Cimmeriæ Varronis, id est, antiquæ Cumanæ, Italicam Clementis et suam suffecerunt. In illorum

ergo gratiam qui Sibyllæ Italicæ nomen alicubi ceteris mixtum reperient, res istius mulieris, qua licebit diligentia, persequemur.

Primum de nomine ipso notabimus, duplici illud modo efferri; sæpius enim Carmentem dici, ut apud Virgilium, Ovidium et Latinos plerosque, quosdam etiam Græcos, ut Strabonem; interdum Carmentam, ut apud Hyginum et Græcorum plurimos. At Livius qui libro I, § 7, *Carmentæ matris* scripserat, alias, V, § 47, *ad Carmentis* dicit, id est *ad Carmentis fanum*, quæ videtur Romæ vulgata magis fuisse appellatio. Græcorum usus parum in hac re valet, quum mere latinum sit nomen a *carmine*, id est, a *canendo* fictum (est enim ipsum *carmen* pro *casmen*, sicut *Camœna* pro *Casmena*); non a *carendo mente*, quod falso Plutarchus excogitavit, veram alias etymologiam tradens, locis infra citandis. Martianus etiam Capella, loc. cit., dictam docet, « ab effuso per vaticinia carmine », et sic omnes Latini. At Græcis Græcæ mulieris græcum nomen acceptius videtur fuisse, sive Themis, ut apud Dionysium aliosque, sive Nicostrata, ut inprimis apud Strabonem, sive utrumque, optionem dante Plutarcho, locis citandis. Carmentam tamen nomine magis nunc usitato dicemus.

Magnam fuisse apud Romanos hujus mulieris famam, nemo est paulum latinis literis tinctus qui ignoret. Primum de ejus antiquitate fama etiam in proverbium abierat: « Cum matre Evandri loqui », A. Gell., lib. I, cap. 10, ubi vide interpretes. Deinde majorem humana conditione vulgo habitam testatur ipse, gravissimus auctor, Livius, loc. cit., ubi Evandrum venerabilem fuisse dicit « divinitate « credita Carmentæ matris, » idque vaticiniorum causa; addit enim : « quam fatiloquam ante Sibyllæ adventum miratæ hæ gentes fue- « rant. » Nec indignam fuisse hanc traditionem quæ in historiis locum haberet, ostendunt Carmentalia sacra ab Ovidio decantata, servataque Romæ ejus mulieris monumenta, Carmentis ara, et fanum Carmentis, et Carmentalis porta (quæ postea Scelerata dicta est ob infaustam Fabiorum expeditionem) : qui loci omnes siti fuerunt ad radices Capitolini montis juxta amnem Tiberim, ubi Carmenta habitasse credebatur, sicut a Clemente Alexandrino edocti sumus, ἣ τὸ ἐν Ῥώμῃ Κάρμαλον ᾤκηκε, nisi quod ignotum nomen Κάρμαλον valde suspectum est, pro quo legendum fortasse Καρμεντάλιον seu simile quid.

Patet hinc cur latini poetæ, ii vero præsertim qui circa patrias origines diligentius versati sunt, Carmentæ plurimum tribuerint, inter quos primus omni jure procedit Virgilius, Æn. VIII, v. 336, sqq. :

Carmentis nymphæ monitu....
Et Carmentalem Romano nomine portam,

Quam memorant Nymphæ priscum Carmentis honorem,
Vatis fatidicæ, cecinit quæ prima futuros
Æneadas magnos et nobile Pallanteum.

Nemo tamen plura de ea re quam Ovidius, Fast. I, v. 467 sqq., ubi, prius invocato Carmentæ ipsius, tanquam Musæ alicujus, numine, longam historiam de ejus cum filio Evandro in Italiam adventu narrat:

Hic fuit Evander, qui, quanquam clarus utroque,
Nobilior sacræ sanguine matris erat;
Quæ simul ætherios animo conceperat ignes,
Ore dabat vero carmina plena Dei.
Dixerat hæc, nato motus instare sibique,
Multaque præterea, tempore nacta fidem.
Nam juvenis, vera nimium cum matre fugatus,
Deserit Arcadiam....
Jamque ratem doctæ monitu Carmentis in amnem
Egerat, et Tuscis obvius ibat aquis.
Fluminis illa latus, cui sunt vada juncta Terenti,
Aspicit....
Neve daret saltum, properans insistere terræ,
Vix est Evandri vixque retenta manu:
Dique petitorum, dixit, salvete locorum,
Tuque novos cælo terra datura Deos.....
Utque ego perpetuis olim sacrabor in aris,
Sic Augusta, etc.

Narrat inde poeta positam ab Evandro sedem in iis locis qui postea Romæ urbis fundamenta accepturi erant.

Hæc latini poetæ, patriarum traditionum interpretes, quas tamen plenius expositas invenire est apud Dionysium Halic. lib. I, § 31: Μετὰ δὲ οὐ πολὺν χρόνον στόλος ἄλλος Ἑλληνικὸς εἰς ταῦτα τὰ χωρία τῆς Ἰταλίας κατάγεται, ἑξηκοστῷ μάλιστα ἔτει πρότερον τῶν Τρωϊκῶν, ὡς αὐτοὶ Ῥωμαῖοι λέγουσιν, ἐκ Παλαντίου πόλεως Ἀρκαδικῆς ἀναστάς. Ἡγεῖτο δὲ τῆς ἀποικίας Εὔανδρος, Ἑρμοῦ γενόμενος καὶ Νύμφης τινὸς Ἀρκάσιν ἐπιχωρίας, ἣν οἱ μὲν Ἕλληνες Θέμιν εἶναι λέγουσι, καὶ θεοφόρητον ἀποφαίνουσιν· οἱ δὲ τὰς Ῥωμαϊκὰς συγγράψαντες ἀρχαιολογίας, τῇ πατρῴᾳ γλώσσῃ Καρμένταν ὀνομάζουσιν· εἴη δ' ἂν Ἑλλάδι φωνῇ Θεσπιῳδὸς τῇ Νύμφῃ τοὔνομα· τὰς μὲν γὰρ ᾠδὰς καλοῦσι Ῥωμαῖοι κάρμινα. Τὴν δὲ γυναῖκα ταύτην ὁμολογοῦσι δαιμονίῳ πνεύματι κατάσχετον γινομένην, τὰ μέλλοντα συμβαίνειν τῷ πλήθει δι' ᾠδῆς προλέγειν.... Οἱ δὲ Ἀρκάδες, ὡς ἡ Θέμις αὐτοῖς ἐπιθειάζουσα [alii ἐπιθυσιάζουσα] ἔφρασεν, αἱροῦνται λόφον, ὀλίγον ἀπέχοντα τοῦ Τιβέριος, ὅς ἐστι νῦν ἐν μέσῳ μάλιστα τῆς Ῥωμαίων πόλεως, καὶ κατασκευάζονται πρὸς αὐτῷ κώμην βραχεῖαν... ὄνομα δὲ τῷ πολίσματι τούτῳ

τίθενται Παλάντιον [alii Παλλάντιον], ὡς ἀπὸ τῆς ἐν Ἀρκαδίᾳ σφῶν μητροπόλεως..... Καὶ γὰρ Εὐάνδρῳ θυσίας ἔμαθον ὑπὸ Ῥωμαίων ἐπιτελουμένας ὅσα ἔτη δημοσίᾳ, καὶ Καρμέντῃ, καθάπερ τοῖς λοιποῖς ἥρωσι καὶ δαίμοσι· καὶ βωμοὺς ἐθεασάμην ἱδρυμένους, Καρμέντῃ μὲν ὑπὸ τῷ καλουμένῳ Καπιτωλίῳ παρὰ ταῖς Καρμεντίοις πύλαις, Εὐάνδρῳ δὲ πρὸς ἑτέρῳ τῶν λόφων, Αὐεντίνῳ λεγομένῳ, τῆς Τριδύμου πύλης οὐ πρόσω..... Οἱ δ' οὖν Ἀρκάδες ὑπὸ τῷ λόφῳ συνοικισθέντες, τά τε ἄλλα διεκοσμοῦντο κτίσματα, τοῖς ἱεροῖς νομίμοις χρώμενοι, καὶ ἱερὰ ἱδρύονται, πρῶτον μὲν τῷ Λυκαίῳ Πανὶ, τῆς Θέμιδος ἐξηγουμένης· Ἀρκάσι γὰρ θεῶν ἀρχαιότατός τε καὶ τιμιώτατος ὁ Πάν· χωρίον ἐξευρόντες ἐπιτήδειον, ὃ καλοῦσι Ῥωμαῖοι Λουπερκάλιον, ἡμεῖς δ' ἂν εἴποιμεν Λυκαῖον. Sensus est, paulo post adventum Tyrrhenorum in Italiam, appulisse ad eadem litora Arcadem Evandrum, Mercurii filium et Themidis Nymphæ, quæ a carminibus latine dicta est Carmenta. Eam, ut erat fatidica, filio locum indicasse in ripa Tiberis, ubi urbem conderet; urbemque Palatium dictam esse propter Pallanteam Arcadiæ, ex qua Evander profectus erat. Ex eo tempore celebrari Romæ sacra ab Arcadibus instituta Lycæi Panis, quæ Romani Lupercalia vocant; esse quoque aras et sacra Carmentæ quidem ad portam Carmentalem, Evandro vero in Aventino monte ad portam Tergeminam. Aut hunc Dionysii, aut similem cujuslibet auctoris locum in mente habuit Plutarchus quum scriberet, Quæst. Rom. t. VII, p. 124, ed. Reiske: Τὴν Καρμένταν οἱ μὲν Εὐάνδρου μητέρα λέγουσιν οὖσαν ἐλθεῖν εἰς Ἰταλίαν, ὀνομαζομένην Θέμιν, ὡς δ' ἔνιοι Νικοστράτην· ἐμμέτρους δὲ χρησμοὺς ᾄδουσαν, ὑπὸ τῶν Λατίνων Καρμένταν ὀνομάζεσθαι· τὰ γὰρ ἔπη κάρμινα καλοῦσιν. Vides hactenus omnia pæne convenire cum Dionysio, nisi quod alterum græcum nomen additur Nicostrata. Statim vero diversas addit nonnullorum opiniones: Carmentam unam fuisse Parcarum, μοῖραν, unde matres illi sacra ferre consuevissent. Nomen ejus non a *carminibus*, sed a *carendo* fictum esse, quod, premente Dei instinctu, ratione privaretur: Οἱ δὲ μοῖραν ἡγοῦνται τὴν Καρμένταν εἶναι, καὶ διὰ τοῦτο θύειν αὐτῷ τὰς μητέρας. Ἔστι δὲ τοῦ ὀνόματος τὸ ἔτυμον, ἐστερημένη νοῦν, διὰ τὰς θεοφορήσεις. Ὅθεν οὐ τὰ κάρμινα τῇ Καρμέντῃ τοὔνομα παρέσχεν, ἀλλὰ μᾶλλον ἀπ' ἐκείνης ἐκλήθη διὰ τὸ τοὺς χρησμοὺς ἐν ἔπεσι καὶ μέτροις ἐνθουσιῶσαν ᾄδειν. Quæ eadem rursus ipse nec multum diversis verbis, in Romuli Vita, t. I, p. 123: ibi enim, quum festa quædam sub Romulo instituta memorasset, in iisque Carmentalium mentionem fecisset, statim addit: Τὴν δὲ Καρμένταν οἴονταί τινες μοῖραν εἶναι, κυρίαν ἀνθρώπων γενέσεως· διὸ καὶ τιμῶσιν αὐτὴν αἱ μητέρες. Οἱ δὲ, τὴν τοῦ Εὐάνδρου τοῦ Ἀρκάδος γυναῖκα [sic], μαντικήν τινα καὶ φοιβαστικὴν ἐμμέτρων χρησμῶν γενομένην, Καρμένταν ἐπονομασθῆναι· τὰ γὰρ ἔπη κάρμινα

καλοῦσι· Νικοστράτη δὲ ἦν ὄνομα κύριον αὐτῇ. Καὶ τοῦτο μὲν ὁμολογεῖται· τὴν δὲ Καρμένταν ἔνιοι πιθανώτερον ἀφερμηνεύουσιν, οἷον ἐστερημένην νοῦ, διὰ τὰς ἐν τοῖς ἐνθουσιασμοῖς παραφροσύνας. Τὸ μὲν γὰρ στέρεσθαι κάρηρε, μέντεμ δὲ τὸν νοῦν ὀνομάζουσι. Verba sunt hæc historici et philosophi clarissimi, quorum tamen quædam desiderant philosophicam gravitatem. Nam quid sibi volunt interposita ab eo verba : Καὶ τοῦτο μὲν ὁμολογεῖται, « et hoc quidem inter omnes convenit », quum duas ipse diversissimas opiniones supra protulerit? An ad solum nomen Νικοστράτην referre voluit hunc hominum consensum? Sed ipsum paulo ante produximus in Quæst. Rom. ita scribentem : Ὀνομαζομένην Θέμιν, ὡς δ' ἔνιοι Νικοστράτην. Ceterum de Nicostratæ nomine præiverat Strabo lib. V, p. 230; atque ibidem Nicostratam docet, quæ aliis Carmenta est, consilium filio dedisse adorandi Herculis tanquam futuri mox Dei : Πυθόμενον δὲ τῆς μητρὸς Νικοστράτης τὸν Εὔανδρον (εἶναι δ' αὐτὴν μαντικῆς ἔμπειρον), ὅτι τῷ Ἡρακλεῖ πεπρωμένον ἦν, τελευτήσαντι τοὺς ἄθλους, Θεῷ γενέσθαι, φράσαι τε πρὸς τὸν Ἡρακλέα ταῦτα, καὶ τέμενος ἀναδεῖξαι, καὶ θῦσαι θυσίαν Ἑλληνικὴν, ἣν καὶ νῦν ἔτι φυλάττεσθαι τῷ Ἡρακλεῖ. Καὶ ὁ Κεκίλιος [sic] ὁ τῶν Ῥωμαίων συγγραφεὺς, τοῦτο τίθεται σημεῖον τοῦ Ἑλληνικὸν εἶναι κτίσμα τὴν Ῥώμην τὸ παρ' αὐτῇ τὴν πάτριον θυσίαν Ἑλληνικὴν εἶναι τῷ Ἡρακλεῖ. Porro Herculeum sacrum Carmentæ potissimum monitu institutum, etiam Livius agnoscit, lib. I, § 7, ubi Evander ad Herculem : « Te mihi, « mater, veridica interpres deum, aucturum cœlestium numerum « cecinit, tibique aram hic dicatum iri, etc., » eoque palam respicit Ovidius, Fast. lib. cit. v. 583, sq. :

Nec tacet Evandri mater, prope tempus adesse,
Hercule quo tellus sit satis usa suo,

hoc est, ad cælestes illum Deos mox esse transiturum. Notandus autem Strabonis locus, præter cetera, etiam quod auctorem indicet Κεκίλιον, cujus nomen Καίλιον legendum minime ambigitur, et Cælium esse Antipatrum, Punici belli scriptorem, Gracchis fere supparem. Ab illo igitur auctore profecta videntur pleraque quæ de Carmenta leguntur non apud Strabonem modo, sed etiam apud Livium et Plutarchum.

Ab eodemne an ab alio didicerat Strabo, quod statim addit, ibid., Carmentam a Romanis coli tanquam unam e Nymphis? Καὶ τὴν μητέρα δὲ τοῦ Εὐάνδρου τιμῶσι Ῥωμαῖοι, μίαν τῶν Νυμφῶν εἶναι νομίσαντες, Κάρμεντιν μετονομασθεῖσαν. Certe Virgilius idem sensit, Æneid., lib. VIII, loc. supra cit., ubi « Carmentis Nymphæ » bis meminit. At Plutarchus, loc. item cit., pro Nympha Parcam, græce Μοῖραν, illam fecit : Τὴν δὲ Καρμένταν οἴονταί τινες Μοῖραν εἶναι, κυρίαν ἀνθρώπων

γενέσεως· διὸ καὶ τιμῶσιν αὐτὴν αἱ μητέρες. Μοίρας autem græce, latine Parcas seu Mortas, præter illas tres infernas sorores a poetis decantatas, interdum etiam ita vocari Divas quasdam terrestres quæ nascentium fatis præsiderent, jamdudum viri docti observaverunt. Hinc Μοῖραι et Νύμφαι et Σίβυλλαι (quod hæ quoque hominum fata prædicerent) facile confundi potuerunt. Et notissimas illas medio ævo Fatas aliquando Sibyllas seu Nymphas albas esse dictas, notabimus in Exc. IV. Cur vero a matribus Romanis præcipuo honore coleretur Carmenta, cui etiam templum ab ipsis erectum fuisset, causam oppido singularem retulit idem Plutarchus, Quæst. Rom. loc. cit. Id nempe contigisse, postquam matronæ usum carpenti, prius sibi ereptum Senatus consulto, recuperassent. Votum quippe sic conceperant, non prius se fetum edituras quam in jus suum redintegratæ fuissent. Prolem ergo suam novam Carmentæ, quæ matrum felicissima fuerat, consecrandam putaverunt : Εὐτεκνοῦσαι καὶ πολυτεκνοῦσαι τὸ τῆς Καρμέντης ἱερὸν ἱδρύσαντο. Nos eo tempore eaque occasione factum id, Plutarcho, si ita placet, libenter concedimus; sed, fas sit dicere, non tam ob memoriam Carmentæ partus, quam propter ridiculam quamdam soni similitudinem inter Carpentum, vehiculi genus, et Carmentam, Evandri matrem : quales fere paronymias in nostrorum etiam Sanctorum cultu atque in eorum patrociniis distribuendis plebs superstitiosa sequi solet.

Utique quum ex hoc, tum e prioribus testimoniis apparet quam merito inter Italiæ feminas vates locum insignem habuerit Carmenta, sive antiquitatis, sive divinitatis, sive artis fatidicæ jure. Quæ cur Sibyllis antiquitus annumerata non fuerit, causa fortasse est ipsum nomen latine idem fere sonans quod græce Sibylla; quare nihil mutari oportebat, præsertim quum ejus mulieris fama multo magis ad Romanas traditiones quam ad Græcas pertineret. Adde quod vel illius præclari partus causa excludi e Sibyllarum numero, tanquam matrona e virginum choro, potuit. Sed his talibusque controversiis immoretur, cui vacabit : nobis jam tempus est, salutata Evandri matre, ad alias minus ambiguas Sibyllas discedere.

CAP. X. *De Tiburtina Sibylla.*

Post Cumanam Sibyllam et eam quam Italicam quidam dixerunt, alia Romæ et in Latio clara fuit, cujus Varro meminit, decimo eam, id est, ultimo omnium loco ponens, apud Lactantium, loc. cit. : « Tiburtem, inquit, nomine Albuneam, quæ Tiburi colitur ut Dea,

« juxta ripas amnis Anienis, cujus in gurgite simulacrum ejus inventum esse dicitur, tenens in manu librum, cujus sortes Senatus in Capitolium transtulerit. » Nec diversum est quod apud Tibullum legitur, lib. II, eleg. 5, v. 69, sq. :

Quæque Aniena sacras Tiburs per flumina sortes
Portarit, sicco pertuleritque sinu.

Quippe et hoc inter alia mutuatus est a grammatico poeta, nisi quod, concessa Musis facultate, acceptam fabulam ornavit, auxit, amplificavit. Non enim jam Sibyllæ simulacrum, sed ipsa Sibylla per aquas devehitur, additurque quod Varro, saltem apud Lactantium, non dixerat, librum in ejus manu perstitisse non incolumem modo, sed etiam, quo magis mirere, siccum.

Quod si rem ad liquidum perducere volueris, intelliges profecto fuisse illam Senatus fraudem, seu politicum, ut hodie vocant, consilium, ad imitationem Tarquinii regis excogitatum, ut oracula aliqua, patriciæ haud dubie causæ faventia, publice sacrarentur. Itaque repertos tanquam miraculo libros Senatus in Capitolium deferri jussit, ibique cum Sibyllinis deponi, et a Xviris custodiri; quod et in aliis quibusdam fatidicis libris (Marciorum nempe fratrum et Begois nymphæ), diversis temporibus factum monstrabimus in Exc. III, cap. 5.

Neque omnino negare velimus simulacrum aliquod mulieris aut Nymphæ, in Tiberi fluvio inventum, ansam huic fabulæ dedisse, Patresque, quæ illorum fuit solertia, fortuitam occasionem in publicos usus vertisse. Ut tamen illud signum Tiburtis esse Sibyllæ fingeretur, utque statim id vulgo crederetur, et Albuneæ nomen ita facile invalesceret, necesse fuit aliquam Tiburtem Sibyllam sub illo nomine jam antea cognitam fuisse et prisca vel Romanorum vel certe Tiburtinorum veneratione cultam. Porro quum, in re obscura et ex unico fere Varronis testimonio pendente, non aliter quam conjecturis aliquid assequi liceat; quumque de Tiburte Sibylla altum sit, præter locos supra citatos, totius antiquitatis silentium; nomen saltem Albuneæ quæramus oportet, quoties et quo sensu sit ab auctoribus usurpatum. Bis illud apud poetas neque alibi invenimus; ac semel quidem in Virgilii loco non incelebri de Fauni oraculo a Latino rege consulto, Æn. VII, v. 81, sqq. :

At rex sollicitus monstris oracula Fauni,
Fatidici genitoris, adit, lucosque sub alta
Consulit Albunea, nemorum quæ maxima sacro
Fonte sonat, sævamque exhalat opaca Mephitim.
Hinc Italæ gentes, omnisque OEnotria tellus,

In dubiis responsa petunt. Huc dona sacerdos
Quum tulit, et cæsarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit;
Multa modis simulacra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque Deorum
Colloquio, atque imis Acheronta affatur Avernis.

Procedit post Virgilium Horatius, de Tiburtino suo inter alias laudes hæc canens, lib. I, od. 7, v. 10, sqq. :

Me nec tam patiens Lacedæmon,
Nec tam Larissæ percussit campus opimæ,
Quam domus Albuneæ resonantis,
Et præceps Anio, et Tiburni lucus, et uda
Mobilibus pomaria rivis.

In quibus comparandis locis non videtur diu esse desudandum, quum in priore quidem de Albunea silva agatur, in altero de fonte quodam Albunea dicto vel Albuneæ Nymphæ sacro. Silvam tamen cum fonte conjunxit Servius ad Æn. loc. cit. : « Sciendum sane, inquit, unum nomen esse fontis et silvæ. » Ipsamque suo arbitratu collocavit « in Tiburtinis altissimis montibus, » ideo putans a Virgilio *altam* vocari; inepte, quum Tiburis montes, seu potius colles, minime dici possint altissimi. Albuneam vero dictam censet « ab aquæ qualitate quæ in « illo fonte est, unde etiam nonnulli Leucotheam volunt. » De nomine Leucothea nihil dicimus, quæ græca est latini nominis interpretatio. De re plane consentit cum Servio doctissimus recentiorum interpretum Heynius, negans illam Virgilii Albuneam sacro fonte sonantem multum distare posse ab Horatii Albunea resonante; neque aliud utrovis loco intelligendum putans, quam aquarum Albularum sive Albulæ rivi fontem majorem in Tiburtino agro scaturientem : Albuneam igitur Virgilii silvam fuisse in illo agro latam olim et umbrosam, quæ Albularum aquarum fontem, ab Horatio postea laudatum, suis tunc spatiis incluserit.

Sed objici potest fontem illum Albulam, hodie viatoribus notissimum, Virgilianæ descriptioni minus respondere, cujus aquæ, natura sua stagnantes infra soli admodum plani superficiem, sonoræ nec sint nec esse unquam potuerint. Præterea non tam remotum esse debuit a Latini regis domicilio oraculum « fatidici genitoris; » et Tibur Herculi sacrum, ab Argivis positum colonis, græcis magis quam latinis insigne fabulis, Fauni latini Dei oraculum vix habere potuit. Itaque propius ad verum accessisse videtur Valerius Probus, Virgilii interpres, cujus verba nuper edita hæc sunt, ad Georg. I, v. 10 : « Existimatur « autem Faunus fuisse rex Aboriginum... Itaque ejus oraculum in

« Laurentinorum silva est. » Doctorum certe bona pars jamdudum silvam hanc prope Lavinium, in agro Laurentino, statuendam judicaverant, nec, ut opinamur, immerito, circa sulfureas aquas fontis cujusdam seu parvi lacus, qui nunc quoque superstes (*la Solfatara d'Altieri*) memoratur in Italicis itinerariis tabulisque illorum locorum paulo accuratioribus.

Inde ut ad alterum poetam transitus fiat, nequaquam Heynio concedendum, fontem Albuneam ab Horatio laudatum (si fons ille fuit, quem poeta domum vocat Albuneæ resonantis), cum Albula rivo confundi posse. Nam is præterquam, ut diximus, minime resonat, longe satis a Tiburtinis anfractibus ideoque ab Horatii villa dissitus est, in campo minime læto, etsi, uno post Horatium sæculo et jam ipsius fortasse tempore, domibus suburbanis exstructus erat, hortos et nemora includentibus, qualis locorum facies describitur a Martiale, Reguli causidici villam laudante, lib. I, epigr. 13, initio:

Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces
Canaque sulfureis Albula fumat aquis,
Rura nemusque sacrum dilectaque jugera Musis,
Signat vicina quartus ab urbe lapis :
Hic rudis æstivas præbebat porticus umbras, etc.

Quæ hominis urbani deliciæ, quantumvis a Martiale laudentur, parum certe valuerunt ad oblectandum Horatium, poetam ruris et naturæ amantissimum. Et quis eum credat colles suos Tiburis umbrosos et amœnos, Anienem aquas præcipitantem, vallemque illam qua nihil fere in orbe terrarum pictoribus gratius occurrit, ideo deseruisse, ut tam procul a se Albulas aquas miraretur, canentes illas et olentes et stagnantes? Quid igitur cogitemus, nisi versum hunc :

Quam domus Albuneæ resonantis,

cum sequentibus esse conjungendum :

Et præceps Anio, et Tiburni lucus, et uda
Mobilibus pomaria rivis,

ideoque domum Albuneæ resonantis non fontem, sed domicilium fuisse Albuneæ cujusdam nymphæ quæ Tiburi colebatur, sive templum intelligas, quale nunc dubio nomine Sibyllæ templum ostenditur supra præcipitem Anienis lapsum, sive speluncam ipsam (*la grotta di Nettuno*), in quam ingenti murmure prorumpentes amnis undas, gratum visentibus miraculum, spectavimus ipsi juniores; nunc facies locorum immutata dicitur. Conjicimus ergo positum antiquitus ab incolis in ea spelunca vel circa eam speluncam Nymphæ Albuneæ simulacrum, forte fatiscente ripa, in alveum, sive, ut melius Varro, in gurgitem fluvii decidisse, unde post aliquot annos extractum Senatui

causam opportunam dederit ad refricandam illius Nymphæ memoriam novumque librum Sibyllinis addendum.

Quando id decretum fuerit, non docet Varro, nec nos nisi incertis conjecturis divinare possumus. Nisi tamen fallimur, illud tam rude commentum neque a Patribus excogitatum fuisset neque apud plebem invaluisset, nisi ætate reipublicæ nondum adultà, simplicibus adhuc hominum mentibus et cuivis mendacio patentibus. Quumque sciamus Punicis bellis fratrum Marciorum libros in Capitolio cum Sibyllinis repositos esse (confer Exc. III, cap. 5), licet credere factum hoc ad instar oraculorum Tiburtinorum, atque adeo Tiburtinos libros jam aliquanto antea consecratos fuisse. Nimirum Sibyllam Sibyllæ, Nympham Nymphæ ac Divam Divæ comitem addere, prius in hominum mentes venire debuerat, quam Marciorum fratrum, id est, recentium hariolorum carmina tali honore dignari. Vix ergo dubitamus illam apud Romanos novæ Sibyllæ religionem aliquanto anteriorem fuisse Punicis bellis, ortam videlicet quarto vel quinto post Urbem conditam sæculo, et fortasse in illa Liviani operis lacuna delitescentem quæ libros XI-XX totos absorpsit, id est consulatus fere octoginta post annum ab Urbe condita CDLXI (Livio CDLIX). Sed non omittendum quod supra diximus, prius cultam Tiburi quam Romæ fuisse hanc Sibyllam, Italicam ideo magis quam Romanam dicendam; quanquam Romæ etiam summo postea honore cultam fuisse, non est dubium. Fuerunt imo qui ipsam cum Carmenta Evandri matre confusam voluerunt. Non enim sine causa scripsit Servius ad Æneid. VIII, 336, quum de Carmenta loqueretur : « Alii etiam Tyburtem dictam. » Sed hanc paucorum hominum sententiam fuisse confidimus, ideoque parvi faciendam. Certe Carmentam nec a Varrone nec ab ullo fere antiquiorum Latinorum Sibyllis annumeratam fuisse vidimus supra, cap. 9; nec si hanc Tiburtinam cum illa Italicarum vatum antesignana confudisset Varro, locum ipsi in catalogo decimum, id est, ultimum atque infimum assignasset.

De singulari autem Tiburtinæ Sibyllæ medio ævo, præsertim apud Italos, fama, quæ dicenda sunt, opportunius dicentur ad Exc. IV.

CAP. XI. *De Sicula Sibylla.*

Ab Italia vela facimus in Siciliam, nempe ad Sibyllam quam Suidas, incertum quo auctore, Siculam, τὴν Σικελήν, vocat. Sed eam a Cumana Varronis nihil differre credit Solinus, cap. 2 : « Cumis, inquit, Sibyllæ « sacellum est, sed ejus quæ rebus Romanis quinquagesima Olympiade

« interfuit, cujusque librum, etc. Hujus sepulcrum in Sicilia adhuc « visitur. » Et idem, cap. 5 : « Lilybitanæ [regioni] Lilybæum oppidum decus est, et Sibyllæ sepulcrum. » Tacitus quoque, Annal. VI, § 12, quum retulisset, incenso Capitolio exustisque libris, Sibyllina oracula per provincias exterasque regiones, ubicumque alicujus Sibyllæ fama exstitisset, jussu Senatus conquisita, addit : « et ex Sicilia ». Unde apparet de Sibylla Sicula, vel de Sibyllæ cujuslibet in Sicilia commoratione, fuisse jam tum in hominum ore sermones. Si Solino credimus, Tarquinii Sibylla hæc fuit. Nempe homines, quum de Sibyllæ Tarquinianæ fatis, postquam ex oculis evanuisset (confer infra dicenda in Exc. III), nihil usquam scriptum reperirent, finxerant eam in Sicilia sedem et sepulcrum invenisse. Sed vero propius videtur, sicut ex Erythrææ Sibyllæ memoria orta erat Cimmeriæ seu Cumanæ fabula, neque id aliam potiorem ob causam quam ob aliquam locorum similitudinem, ita ad Cumanæ exemplar confictam esse Siculam hanc propter antrum Cumano simile, quod prope Lilybæum [nunc *Marsalla*] visebatur, hodieque visitur. Clarum illud fuit præsertim oraculo putei sui : quem puteum jam ante Punica bella insignem fama fuisse, posteaque originem et nomen urbi ipsi Lilybæo dedisse, constat Diodori Siculi testimonio, lib. XIII, § 24, ed. Bip. Nec locorum situs hodie admodum diversus est, nec oraculi memoria intercidit.

Multus est in antri puteique descriptione Octav. Caietanus, S. J., Syracusanus, cujus opus postumum Panormi editum, anno 1707, hoc titulo : « Isagoge ad historiam sacram Siculam, » inter alia de hac aliisque Sibyllis notiora, hæc habet : « Oraculum Sibyllæ in Sicilia fuit, « quæ in antro subterraneo ad promontorium Lilybæum vaticinata « est. Antrum veteribus in honore habitum....., et sepulcrum Si- « byllæ..... Nostris vero temporibus antrum duntaxat visitur..... « Sibyllæ domicilium illud fuisse, forma ipsa ædificii ac loci facies « demonstrat, quæ minime quidem sepulcrum, sed ædiculam præfert « adytumque penetrale, in quo Sibylla petentibus responsa traderet, « quale Cumis in Campania..... Nam subterraneum ex integro, so- « lidoque saxo concameratum : in medio puteus, cui nomen Lily- « bæum, ab antiquis insigniter celebratus, cujus fortasse haustu Si- « bylla furere ac vaticinari, sicut apud Apollinem Clarium, ut « Macrobius tradit [adde Iamblichum, et confer supra, cap. 4]. Cre- « diderim etiam Sibyllam putei aqua lavisse se ac purificasse ante- « quam vaticinaretur, quod de Cumana vate Justinus martyr affirmat « [confer supra, pag. 51]. Sane puteus palmos quinque altus est « [palmus Siculus pede nostrate Gallico quadrante fere minor est], « aqua saporis fere salsi : crescit decrescitque proximi maris æstu,

« quod per terras infusum illic emergit..... A proximo mari sexaginta « passus distat, zephyrum versus; ab extremo promontorio CCLX. « In summo supra puteum foramen rotundum tres latum palmos, « quo ex ore vaticinia fortasse fundebantur. Quanquam in extrema « spelunca, promontorium versus, aliud ostium cernitur, latitudinis « duorum palmorum; hoc in abditum conclave per gradus XXII saxo « excisos descendebatur : nostroque ævo alia ad zephyrum via pate- « facta est, ob populorum confluxum festo die Joannis Baptistæ.... « Manent adhuc magnificentiæ vestigia : nam pavimentum, quan- « quam hodie maxima ex parte corruptum, ex opere vermiculato « erat : circa puteum plures piscium formæ cernuntur e lapillis varii « coloris... Ad occidentem vero, e promontorii latere, sacellum in- « trorsus excisum in saxo, fere quadratum, cujus cœlum et parietes « picti variisque tabellis divisi, in quibus monstra marina ægre « cognoscas, obscuratis antiquitate imaginibus : quo in loco Sibyllæ « sepulcrum exstitisse putatur..... Ad septentrionem tribunal cerni- « tur unico gradu suspensum e solo, altitudinis XII palmorum, « X vero latitudinis, ubi hodie altare est divo Joanni Bapt. sacrum. « Suspicio subit aram Apollinis in eo olim fuisse..... Tempestate « nostra spelunca ædesque supra speluncam divo Joanni sacra. »

Caietanum tam minute de hujus loci situ, qualem suo tempore deprehenderat, tradentem, de superstitis ibi oraculi fama nihil addere, hominem quippe religiosum, nemo fortasse mirabitur. Sed conferenda viatorum recentiorum testimonia, quæ Klausenius ad hanc rem protulit, Orvillii præsertim, Sicul. I, p. 57 : « Cavernam, inquit, « juxta mare, versus occidentem, subterraneam adivimus, decem « circiter pedibus undequaque patentem, figuræque rotundæ. In « medio ejus est puteus aqua abundans; in latere saxum excavatum « est in lecti vel sepulcri formam. Memini me in crypta illa Cu- « mana similem puteum et cavaturam juxta non diversam obser- « vare. Templum hic in vicinia fuisse projectarum non procul de- « monstrant Numidico vel simili marmore columnarum fragmenta. « Et hodie ipsa specus Joanni Baptistæ dicitur sacrata, et aqua vim « vaticinandi libantibus indere, ut olim, creditur. Festo quoque ejus « die modum in extraordinarium hæc aqua abundare perhibetur; « mulierculæque Lilybitanæ aliæque ex vicinia huc commeare tum « solent, ut de fide maritorum suspecta, gustata aqua, certiores fiant, « et mali remedia edoceantur. » Hæc Orvillius : nec multum diversa refert ab eodem Klausenio citatus Houel, *Voyage pittor. des îles de Sicile, etc.*, qui et modum addit oraculi consulendi : mulieres nempe, potata aqua quæ per canalem effunditur, ad ostium ipsius canalis

verba quædam inclamare, quæ antri fornice repercussa, prout sonum clariorem obscurioremve retulerint, oraculi vim habere creduntur.

Non potuit in his testimoniis non exsultare Klausenius propter opinionem suam de Sibyllinis oraculis ex aquarum murmure petitis, de qua nos supra, pag. 3, sq. Idem numos quosdam Lilybitanorum protulit, apud Mionn. tom. I, p. 249, et suppl. tom. I, p. 298, in quibus nunc tripodis forma occurrit, nunc Apollinis caput aut lyra, ut minime dubium sit Apollinis cultum in hac urbe præcipue viguisse. Credas igitur templum illud, cujus fragmenta a se reperta monet Orvillius, Apollinis fuisse, et Sibyllam ejus Dei ministram, ut Cumanam, ut Mermessiam, aliasque Phœbo itidem sacratas. Sed a conjecturis abstinendum, ubi fabulosa omnia videntur nec traditioni subest ullum historiæ documentum.

CAP. XII. *De Libyca, obiterque de Elissa sic dicta Sibylla.*

Transimus in Africam et jam ad barbaras Sibyllas, si tamen barbara dicenda est, quæ ad ipsas Græcarum fabularum origines pertinere dicitur, Libyca, ut vocant, Sibylla. Varro in catalogo secundam illam facit apud Lact., loc. cit., his verbis : « Secundam Libyssam, « cujus meminerit Euripides in Lamiæ prologo. » At Pausanias, Phoc., loc. cit., ætate primam facit omnium non Sibyllarum modo, sed etiam feminarum vatum : Ταύτην, inquit, ταῖς μάλιστα ὁμοίως οὖσαν ἀρχαίαν εὕρισκον, ἣν θυγατέρα Ἕλληνες Διὸς καὶ Λαμίας τῆς Ποσειδῶνός φασιν εἶναι, καὶ χρησμούς γε αὐτὴν γυναικῶν πρώτην ᾆσαι. Addit illam ab Afris nomen Sibyllæ traxisse, καὶ ὑπὸ τῶν Λιβύων Σίβυλλαν λέγουσιν ὀνομασθῆναι; ab ipsa vero Mermessiam suam (ea ceteris Erythræa est) cognomen accepisse, Σίβυλλαν ἐπίκλησιν [κατὰ] τὴν πρότερον γενομένην : ita enim legendum, etsi vox κατά ex editis et mscr. abest.

Ejus etiam Sibyllæ mentionem fecisse, eamque Delphos adduxisse vulgo creditur Plutarchus, de Pyth. resp., sed loco male lecto, maleque intellecto, uti abunde jam ostendimus supra, cap. 5, p. 41.

Alios qui ejus feminæ meminerint præter recentiores Varronis vel Lactantii expilatores, nullos reperimus, nisi forte ad ipsam pertineat quod apud Suidam legitur, incertum unde sumptum : Σίβυλλα Ἔλισσα [codd. Ἕλισσα]· ἔγραψε μαντείας καὶ χρησμούς. Elissa enim, punicæ originis vocabulum (confer Servium ad Æn. I, 340), quod quidam *deam* seu *divam* interpretantur, tanquam ab *El* hebraïco Dei nomine, sicut Didoni Afræ reginæ apud Virgilium, ita non male Afræ Sibyllæ convenire potuit; sed hoc quoque est divinare. Quod ad nominis orthographiam attinet, etsi plurimi apud Suidam codices Ἕλισσα,

cave dubites veriorem esse lenem spiritum, quem et Virgilius prætulit, et hebraïca firmat etymologia. Inter Plethonis excerpta Straboniana legitur in cod. Monacensi : Ὅτι Καρχηδόνα ἐπῴκισε γυνὴ Τυρία, Ἔλισσα τοὔνομα, et recte quidem. Notandum autem quod de Elissa sua Suidas addit : Ἔγραψε μαντείας καὶ χρησμούς. Quod vel ex ingenio glossatoris additum esse necesse est, vel olim sub Elissæ nomine cursitasse oracula, quorum nemo alius meminit.

Nobis igitur de Libyca Sibylla omnis disputatio intra Varronis et Pausaniæ locos supra citatos continebitur. Et Pausaniæ quidem testimonium, non quia gravius, sed quia copiosius et expressius, prius a nobis discutietur. In quo notandum primo, gratis a plerisque Pausaniæ tribui opinionem qua caret, Libycam nempe Sibyllam Delphos venisse atque ibi cecinisse. Ait enim tantum Marpessiam suam (seu potius Mermessiam) Delphis cecinisse Libyca posteriorem, atque ab ea cognomen traxisse, Σίβυλλαν ἐπίκλησιν [κατὰ] τὴν πρότερον γενομένην. Et quomodo vel ipso testante credamus, illis antiquissimis temporibus, longe ante bellum Trojanum, Sibyllam ex Libya Delphos venisse, quum inter Africam et Græciam nulla dum commercii aut linguæ ratio communis esset ? Recte tamen illam omnium antiquissimam fecit Pausanias, si verum est quod deinde ait, filiam Jovis fuisse, Beli ex matre neptem. Minus vero ferendum quod addit, nomen ipsi ab Afris inditum, ὑπὸ vel ἀπὸ τῶν Λιβύων Σίβυλλαν ὀνομασθῆναι. Nam sive ὑπό legas, an tunc Afri græce loquebantur, qui græcum nomen mulieri imponerent ? Sive ἀπό (quod quidem vero propius videtur), at ea conjectura prorsus Pausania indigna est, Σίβυλλαν inversis literis tanquam Λίβυσσαν esse dictam ? Quam tamen opinionem non ut suam profert, sed ut ab aliis acceptam, λέγουσι. Grammaticastri alicujus fuisse videtur hoc somnium, credentis inflexiones vocum æquales esse ipsis vocibus, et quod Λίβυς nomen, libyca radice ortum, antiquissimum merito habendum fuerit, femininum quoque Λίβυσσα parem sapere antiquitatem, tanquam videlicet eodem semper sono atque iisdem expressum literis, quibus apud Alexandrinos grammaticos. Itaque sibilantem sonum e terminatione, quæ vocis cujusque pars est mobilissima, in ipsum verbi corpus transtulit homo præposterus, quicumque auctor fuit Pausaniæ, gaudens nimirum anagrammatismo puerili, quem nos ejus discipulis relinquamus.

Et nunc ad virum gravissimum Varronem transeamus, cujus pauca sunt verba, sed non parvi momenti, quod de hac, ut de ceteris plerisque Sibyllis, auctorem suum ipse prodat : « Libyssam, inquit, « cujus meminerit Euripides in Lamiæ prologo. »

En igitur fons aut primus aut præcipuus omnis de Libyca Sibylla traditionis. Et Lamiam quidem deperditam hodie fabulam, adire nullo modo possumus. Sed ecce versus duo Euripidis citantur a Diodoro, lib. XX, § 41, quos nemo est qui non, primo statim aspectu, ex illa fabula atque ex ipso fabulæ prologo ductos putet :

Τίς τοὔνομ' [αὐτὸ] τοὐπονείδιστον βροτοῖς
Οὐκ οἶδε Λαμίας τῆς Λιβυστικῆς γένος;

Ubi nos in priore versu vocem αὐτό metri causâ addidimus, aliis aliter locum tentantibus; sensus utique constat, et mirum quantum ad nostram rem pertinet.

Sed officit tamen id quod a Wagnero contenditur in præfatione ad fragm. Euripidis, nullam fuisse hujus poetæ fabulam sub Lamiæ nomine editam. Nam in antiquo lapide, olim in hortis Albanis reperto, quem primitus Euripidis statuæ suffixum fuisse verisimile est, quique catalogum habet Euripidearum fabularum accurate et ordine quidem alphabetico conscriptum (confer Wagnerum loc. cit.), Λάμια suo loco inter Κύκλωπα et Λικύμνιον prætermissa est. Sed parum hoc valet contra disertum Varronis testimonium, allatosque a Diodoro, tanquam Euripidis, duos versus. Quid quod forsan illa fabula inter Euripidis incertas atque controversas haberi potuit, aliquid tamen auctoritatis apud doctos retinere?

Instat tamen Wagnerus, putatque apud Lactantium Varroniana excerpentem pro *Lamiæ* legendum esse *Laodamiæ*, et prologum non esse alium quam Protesilai, amissæ nunc itidem fabulæ, in qua fingit vir doctus Laodamiam Protesilai uxorem fuisse prælocutam : quod nemini placiturum confidimus. Quis enim credat casu evenisse primum ut Euripides, cujus fabulam Lamiam Varro memorat, revera mentionem faceret alicubi Lamiæ ac videlicet Sibyllæ Lamia ortæ, id vero non in Lamiæ, sed in Protesilai prologo, prorsus a tali mentione alieno; deinde ut forte fortuna Laodamiæ prologum mallet dicere Varro quam Protesilai; deinde etiam ut forte fortuna Laodamiæ nomen in Lamiam converteretur a Lactantii librariis, qui sane Euripideum prologum nunquam legerant.

Sed negat Wagnerus ulli unquam tragico poetæ personam Lamiæ, aut id argumentum, in quo Lamia partes ageret, placere potuisse. Turpem enim istam fuisse personam et vulgo invisam, nec invisam modo, sed et ridiculam, quæ scilicet dentibus armata, minax hiatu, pueris plorantibus territamentum a nutricibus intentari soleret, quæque ideo in proverbium venisset (Λαμίας δυσμορφότερον), atque a comicis sæpe ludibrio haberetur. Quorum pleraque ultro fatemur, et scimus Cratetis fabulam comicam Lamiæ nomine inscriptam ab

Athenæo aliisque laudari, et quæ de Lamia lusit in comœdiis Aristophanes, diu est quum primum ipsi risimus. Sed neque hoc nos fugit, de quo Wagnerum plane reticuisse miramur, mulierem illam, priusquam facie turpis, moribus invisa, nomine ipso ridicula fieret, reginam in Libya fuisse forma præstantem, a Jove adamatam, quæ amissis Junonis zelotypia liberis, dolore efferata, ceterarum quoque mulierum partus necari jussisset. Atrox argumentum; sed quo, si mulieris nomen excipias, nullum tragœdiæ aptius fingi potuit : nullum enim magis ad terrorem simul et miserationem compositum.

Porro quæ supra de Lamia regina diximus, habet pleraque Diodorus in illo ipso historiarum loco unde citati Euripidei versus afferuntur. Quum enim antrum quoddam in Cyrenaica circa Automolas urbem (alii Automala vocant) descripsisset, statim addit : Ἐν ᾧ μυθεύουσι γεγονέναι βασίλισσαν Λαμίαν [sic vulgo, non ut Attici, Λάμιαν] τῷ κάλλει διαφέρουσαν· διὰ δὲ τὴν τῆς ψυχῆς ἀγριότητα διατυπῶσαί φασι τὴν ὄψιν αὐτῆς τὸν μετὰ ταῦτα χρόνον θηριώδη. Τῶν γὰρ γινομένων αὐτῇ παίδων [alii παιδίων] ἁπάντων τελευτώντων, βαρυθυμοῦσαν ἐπὶ τῷ πάθει καὶ φθονοῦσαν ταῖς τῶν ἄλλων γυναικῶν εὐτεκνίαις, κελεύειν ἐκ τῶν ἀγκαλῶν ἐξαρπάζεσθαι τὰ βρέφη, καὶ παραχρῆμα ἀποκτείνειν· διὸ καὶ καθ' ἡμᾶς μέχρι τοῦ νῦν βίου παρὰ τοῖς νηπίοις διαμένειν τὴν περὶ τῆς γυναικὸς ταύτης φήμην, καὶ φοβερωτάτην αὐτοῖς εἶναι τὴν ταύτης προσηγορίαν. Quædam omittimus minus ad nostram rem facientia. Pergit autem : Ὅτι δὲ κατὰ τὴν Λιβύην γέγονεν αὕτη, καὶ τὸν Εὐριπίδην δεῖξαι ἄν τις μαρτυροῦντα· λέγει γάρ, Τίς τοὔνομα, κ. τ. λ. Plura, quamvis paucioribus, Scholiasta docet Aristophanis ad Vesp. 1035, auctorem etiam citans Durin Samium, qui secundo post Euripidem sæculo scripsit, et ipsum Duridis librum, Libycorum secundum, ne dubites hæc omnia quum a Scholiasta tum ab ipso Diodoro e Duridis Libycis, id est, e Cyrenaïcis traditionibus esse desumpta : Δοῦρις, inquit, ἐν β' Λιβυκῶν ἱστορεῖ γυναῖκα καλὴν γενέσθαι τὴν Λαμίαν. Μιχθέντος δὲ αὐτῇ Διός, ὑφ' Ἥρας ζηλοτυπουμένην, ἃ ἔτικτεν ἀπολλύναι. Διόπερ ἀπὸ τῆς λύπης δύσμορφον γεγονέναι, καὶ τὰ τῶν ἄλλων παιδία ἀναρπάζουσαν διαφθείρειν. Idem vel alius Scholiastes ad Pacem, 758, paulo aliter, sed tamen eadem tradit : Λέγεται ἡ Λαμία Βήλου καὶ Λιβύης θυγάτηρ. Ταύτης ἐρασθῆναι τὸν Δία φασίν· μεταγαγεῖν δὲ αὐτὴν ἀπὸ Λιβύης εἰς Ἰταλίαν, ἀφ' ἧς καὶ πόλις ἐν Ἰταλίᾳ Λαμία προσαγορεύεται [idem vel alius supra dixerat : Λαμία ἐντεῦθεν, καὶ Λάμος ἡ πόλις τῶν Λαιστρυγόνων]· ἔνθεν [lege ἔνθα] αὐτῇ συνελθὼν ὁ Ζεύς, οὐκ ἔλαθε τὴν Ἥραν· ἥτις ζηλοτυποῦσα τὴν Λαμίαν, τὰ γινόμενα αὐτῇ τέκνα ἀνῄρει· ἡ δὲ ἀποθνησκόντων αὐτῆς τῶν παίδων βαρυθυμοῦσα, τὰ τῶν ἄλλων παιδία διὰ φθόνον ὑποκλέπτουσα ἀνῄρει. Διὰ τοῦτο καὶ τὰς τίτθας ἐκφοβούσας τὰ βρέφη καλεῖν ἐπ' αὐτοῖς τὴν Λαμίαν.

Omnia de Lamia referre, quamvis multa ad manum habeamus, non est hic nostri instituti; de qua qui plura voluerit, adeat præsertim Heraclitum, de Incred. cap. 34; Scholiastam Theocriti ad Adon., 40; Aspasium ad lib. VII Ethic. Nicom., cap. 5, p. 124, ed. Manut.; Eustratium, vel qui nomen cepit Eustratii, ad eorumdem Nicomacheorum lib. X, cap. 3, p. 169. Nobis sat fuerit ostendisse nullam idoneam esse causam, quominus accesserit Euripides ad tractandum Lamiæ argumentum, vel quominus Varro Euripideam, quæ circumferebatur fabulam, pro genuina acceperit. Neque enim unius nominis causa rejiciendum fuit argumentum, ut diximus, scenæ aptissimum; et si quid incommodi ex eo nomine metui poterat, id ipsum præcaverat in prologo poeta, quum statim ita inciperet :

Τίς τοὔνομ' αὐτὸ τοὐπονείδιστον βροτοῖς
Οὐκ οἶδε Λαμίας;

Quo etiam magis firmatur lectio nostra, τοὔνομ' αὐτό, ipsum siquidem nomen per se turpe esse, non personam, et quamvis turpe sit, non ideo averti debere animos a tragicis Lamiæ infortuniis.

Nunc quum sciamus quid de Lamia dictum sit in illo prologo, quærendum restat quid ibi de Sibylla dici potuerit. Primum non potuit ipsa Sibylla προλογίζειν, neque omnino partes agere in ea fabula, in qua præsertim de orbitate matris ejus ageretur. Deinde si de Sibylla mentio ibi aliqua fuit, quod Varroni concedere oportet, vix aliud potuit Euripides quam rationem exponere cur fingeretur Sibylla sola ex omnibus Lamiæ liberis superfuisse. Id nos vix aliter intelligimus quam si Jupiter infantem cædi ereptam, inscia matre, a Junonis ira vindicaverit, et aliquem in locum, puta Delphos aut in Helicona, transtulerit, ubi educata adolesceret in futuram divinationis famam. Hæc aut his similia in prologo narrata fuisse oportet.

Utique, nisi fallimur, ex hoc Euripideo fonte orta est apud veteres grammaticos Libycæ Sibyllæ notitia. Videtur id fateri Varro, nullum alium præter Euripidem citans auctorem; neque aliter sensisse credimus Pausaniam, qui vel Alexandrinos Euripidis commentatores vel ipsum Euripidem secutus est.

Quæ si ita sunt, ut videntur, redeat nunc lector ad ea quæ, cap. 5, de Sibylla Delphica diximus, petita præsertim e Plutarcho et Clemente Alexandrino : fuisse nempe servatam Delphis memoriam fatidicæ cujusdam mulieris quæ Delphos e Thessalia, id est, e Maliensium regione, ubi urbs Lamia, venisset, quæque proles fuisse crederetur Lamiæ Neptuni filiæ, et a quibusdam pro Sibylla haberetur. Quis porro non suspicetur Euripidem, vel, si cui magis placet, pseudo-Euripidem, quum de Lamia Libyca traditionem a Cyrenen-

sibus accepisset, eamque in scenam inducere decrevisset, ad ornandam fabulam suam, multa in eam transtulisse quæ de Lamia Thessala seu Maliensi audiverat, atque ita adductum fuisse ut filiam ei Sibyllam daret? Inde alii postea, de rebus Cyrenaïcis agentes, Sibyllam quoque istius Lamiæ filiam ex Euripidis fide tradiderint : sic propagatum Libycæ Sibyllæ commentum. Apud Diodorum tamen et Scholiastas, qui Duridem historicum secuti sunt, nullum talis traditionis indicium exstat; sed nihil tutum ex eorum silentio colligi potest. Acesander quidem, patria Cyrenaïcus, qui et plures libros de rebus Cyrenaïcis reliquerat (citat enim primum inde librum Scholiastes Apollonii ad lib. IV, 1750), scriptor ceterum ignotus, in libro περὶ Λιβύης, teste Plutarcho, Sympos. V, quæst. 2, de Sibylla Erythræa nonnihil egerat (confer supra, pag. 12). Quid autem ille de Sibyllis, nisi de indigena quoque ac pæne cognata Sibylla aliquid dixerat? Minime ergo negandum, fuisse apud Cyrenenses traditionem aliquam de Sibylla Lamiæ filia; sed eam, si qua fuit, satis recentem opinamur, et Euripidea fabula posteriorem. Ceterum vel ipsum Euripidis nomen Varronem, si quid erravit, satis absolvit. Sed liceat nobis, quamvis refragante tanto viro, Euripideam istam personam, manifesta quippe nominum confusione ortam, ex albo Sibyllarum delere, remissis lectoribus ad ea quæ supra, cap. 5, de Sibylla Maliaca, Lamiæ Thessalæ filia, disputata sunt.

CAP. XIII. *De Sibylla Ægyptia.*

De Ægyptia Sibylla nihil Varro apud Lactantium. Et citatur illa quidem a Pausania, Phoc., loc. cit.; sed ita ut cum Hebræa et Babylonia seu Chaldæa confundatur : Οἱ δὲ αὐτὴν [τὴν παρὰ Ἑβραίοις] Βαβυλωνίαν, ἕτεροι δὲ Σίβυλλαν καλοῦσιν Αἰγυπτίαν. Id aperte contra Æliani mentem, qui eam non modo inter quatuor præcipuas numerat cum Erythræa, Samia et Sardiana, Var. hist. lib. XII, cap. 35; sed statim addit a quibusdam sex alias agnosci, interque eas Cumanam et Judæam. Ægyptiam ergo a Judæa longe separat, multoque eam nobiliore loco ponit. Quæ tamen videtur non apud omnes tanto in pretio fuisse; nam Clemens Alexandrinus, Strom., lib. I, p. 384, ed. Ox., unoipsam verbo prætermittit : Ἐῶ δὲ τὴν Αἰγυπτίαν.

Quidam eam, quod plerisque etiam Sibyllarum accidisse monuimus, distingui noluerunt ab Erythræa, quam ideo usque in Ægyptum (quidni enim?) venisse finxerunt; et sic auctor Chronici Paschalis, t. I, p. 201, ed. Bonn. : Τούτῳ τῷ ἔτει [primo anni captivitatis Israel] Σί-

βυλλα ἡ Ἐρυθραία ἐν Αἰγύπτῳ ἐγνωρίζετο. Sed male profecto scriptor Alexandrinus id laudis ad Ægyptios traxit, quum apud Eusebium auctorem suum, teste Armeniaca versione, hæc tantum invenisset: Σίβυλλα ἡ Ἐρυθραία ἐγνωρίζετο. Nec magis fidendum iis quæ leguntur apud Suidam, v. Προμηθεύς, sive ad Ægyptiam Sibyllam sive ad aliam referantur: Ἦν δὲ τότε καὶ μάντις Σίβυλλα, βασιλεύοντος παρ' Αἰγυπτίοις Φαραώ, τοῦ καὶ Ταραχώ, παρ' Ἕλλησι δὲ ἐν Ἀθήναις Κέκροπος. Nam primum totus ille Suidæ locus, unde hæc verba desumpta sunt, e variorum operum ramentis inepte admodum conflatus est ab incerto compilatore. Deinde in his ipsis verbis tempora stulte confunduntur, quum Cecrops antiquissimus ille Athenarum conditor, et Taracho rex Ægyptius ex Æthiopica dynastia, annis plus septingentis separentur. Unum verum est, Tarachonis et Sibyllæ (modo auctor Erythræi carminis, non ipsa Sibylla intelligatur), tempora satis recte in unum convenire, nempe in octavum fere sæculum ante Christi natales. Cetera somnia videntur grammaticastri recentioris, ne Suida quidem digna.

Doctiora sunt, nec tamen veriora, omninoque Alexandrinam vanitatem redolent, quæ apud Eustathium leguntur ad Odyss. μ., 63, ex Alexandro Paphio, incertæ ætatis auctore, de Sibylla sive reapse Ægyptia sive saltem in Ægypto commorante, quæ Homeri (nam illum quoque in Ægypto genitum plures commentati sunt) cunabulis affuerit: Ἀλέξανδρος ὁ Πάφιος ἱστορεῖ τὸν Ὅμηρον υἱὸν Αἰγυπτίων Δμασαγόρου καὶ Αἴθρας..., εὑρεθῆναί τε [τὸ] παιδίον μετὰ περιστερῶν ἐννέα παῖζον ἐπὶ τῆς κλίνης. Εὐωχουμένην δὲ παρὰ τοῖς τοῦ παιδὸς Σίβυλλαν, ἐμμανῆ γεγονυῖαν, ἔπη σχεδιάσαι, ὧν ἀρχὴ, Δμασαγόρα πολύνικε, ἐν οἷς καὶ μεγακλεῆ καὶ στεφανίτην αὐτὸν προσειπεῖν, καὶ ναὸν κτίσαι κελεῦσαι ἐννέα Πεγριδῶν [an Πιερίδων?]· ἐδήλου δὲ τὰς Μούσας· τὸν δὲ καὶ τοῦτο ποιῆσαι, καὶ τῷ παιδὶ ἀνδρωθέντι ἐξειπεῖν τὸ πρᾶγμα. Tum ergo quum hæc scriberentur, notum erat carmen aliquod seu carminis fragmentum, quod Sibyllæ tanquam Ægyptiæ tribuebatur, scriptum videlicet in honorem Homeri ejusque parentum: in quo propter infantem, cui nascenti novem columbæ adfuissent (confer Horatium, lib. III, od. 4, v. 9, sqq., aliquid simile de se jactantem), jubebatur pater sacellum novem Musis exstruere. Quæ quamvis absurda, tamen antiquitus nota et clara fuisse constat ex Anthologiæ epigrammate, Anal., t. I, p. 487, epigr. 6, in quo sic loquens Homerus inducitur:

> Οὐκ εἰμ', οὐδ' ἔσομαι Σαλαμίνιος, οὐδὲ μὲν υἱὸς
> Δμησαγόρου.

Unde enim Dmasagoræ, tanquam Homeri parentis, mentio fiat, nisi ex illa fabula? Est porro illud epigramma Alcæi Messenii, quem vixisse constat sub Philippo V, Macedoniæ rege, Demetrii filio,

annis igitur ante Christum fere ducentis. Fabulam igitur de Homero Ægyptio ac de Sibylla Ægyptia prius excogitatam fuisse necesse est, nempe primo Ptolemæorum sæculo. Certe illam traditionem in Ægypto admodum convaluisse testis est Clemens Alex., Strom. I, pag. 354, ed. Ox: Ὅμηρον γὰρ οἱ πλεῖστοι Αἰγύπτιον φαίνουσιν, et sic Heliodorus, Æthiop. non uno loco: Ἡ γὰρ Ὁμήρου τοῦ Αἰγυπτίου ποίησις.... Ἃ δὴ καὶ Ὅμηρος εἰδὼς, ἅτε Αἰγύπτιος... Nec regionem modo, sed et urbem ejus patriam indicabant, Theben scilicet, unde Tzetzes ad Homerum: Οἱ δὲ Αἰγύπτιον ἐκ Θηβῶν, et incertus auctor epigrammatis, Analect. adesp. 501:

Ἐνθάδε θεῖος Ὅμηρος, ὃς Ἑλλάδα πᾶσαν ἄεισεν,
Θήβης ἐκγεγαὼς τῆς ἑκατονταπύλου.

Cum quibus conferendus etiam locus Ptolemæi Hephæstionis apud Photium, cod. 190, docentis, Historiarum suarum libro IV, Phantasiam quamdam Memphitim ante Homerum Iliada et Odysseam composuisse poemata, quorum ille exemplar acceptum a Phanite hierogrammateo, fundamentum utriusque operis sui habuerit: Ὅτι Φαντασία τις Μεμφῖτις, Νικάρχου θυγάτηρ, συνέταξε πρὸ Ὁμήρου τὸν Ἰλιακὸν πόλεμον καὶ τὴν περὶ Ὀδυσσείας διήγησιν, καὶ ἀποκεῖσθαί φασι τὰς βίβλους ἐν Μέμφιδι. Ὅμηρον δὲ παραγενόμενον καὶ τὰ ἀντίγραφα λαβόντα παρὰ Φανίτου τοῦ ἱερογραμματέως, συντάξαι αὐτοῖς ἀκολούθως. Quam Phantasiam, licet allegorice profecto sic vocatam, vide ne liceat ad Sibyllam Ægyptiam referre. Nec tamen nimium huic conjecturæ indulgere velimus, modo concedatur, ut Homeri, ita Sibyllæ tanquam indigenæ magnam fuisse in Ægypto græcissante famam. Et ipse vix alio respexit auctor Ægyptius Sibyllinorum nostrorum libri V, quum Sibyllam ita de se canentem induxit, v. 52, sq.:

Τείρομαι ἡ τριτάλαινα κακὴν φάτιν ἐν φρεσὶ θέσθαι,
Ἴσιδος ἡ γνωστή.

Audis Isidis sororem, non ut alibi in iisdem Sibyllinis, libris I et III, Noachi nurum; audis Ægyptiam originem, non, ut passim lib. III, Hebraïcam aut Chaldaïcam.

Sed hæc de Sibylla Ægyptia, quæ hactenus a nobis reperiri potuerunt, satis sint dicta.

CAP. XIV. *De Persica Sibylla.*

Jam ad orientales Sibyllas, inter quas primam adibimus Persicam, monstrante Varrone apud Lactantium, loco sæpe cit.: « Primam fuisse de Persis, cujus mentionem fecerit Nicanor, qui res

« gestas Alexandri scripsit. » Nec plura Lactantius; et qui alii Persicæ Sibyllæ meminerunt, id omnes ex Varronis aut Lactantii fide.

Porro Nicanor, solus de ea Sibylla citatus auctor, quis fuerit, plane incertum est. Sponte tamen succurrit unum fuisse ex Alexandri præfectis quorum tres aut plures ipsi cognomines a Q. Curtio memoratos invenimus. Is fortasse, commilitonum suorum exemplo, Ptolemæi, Aristobuli, Hieronymi, Nearchi, ad ædificandam sui ducis historiam aliquid materiæ conferre voluerit. Sed hoc nos e conjectura tantum. Deinde quid ille de Persica Sibylla inter Alexandri res gestas? Rursus omnia conjectanea. Sed quid tamen ille? Nisi forte narrabat prophetim illam fuisse apud Persas claram, quæ de Alexandri, id est, de futuri alicujus Persarum domitoris adventu nonnihil prædixisset; eamque inter antiquissimas habitam vulgo fuisse, imo Sibyllis omnibus græcis priorem. Qui enim aliter Varro primum isti locum ante reliquas concessisset? Facile ergo credimus Persarum quosdam, victoribus adulantes Macedonibus, aliquod in eorum laudem oraculum, tanquam veteris prophetissæ apud suos claræ, produxisse, sicut fere Jaddus Judæorum pontifex obviam venisse Alexandro, Danielis de eo prophetias ferens, vulgo, sed fabulose, narratur. Id si non omnino specie caret, rursus in duas se partes conjectura scindit : aut enim novam et ex tempore confictam prophetiam pro antiqua attulerunt, aut vere antiquam et in oriente vulgatam, quod nobis magis placet. Rursus vero quærendum unde vetus in Perside adversus Persas prophetia. Hic nobis succurrit, ab aliquo Persicum jugum impatientius ferente, seu Medo, sive Assyrio, sive Chaldæo, sive Lydo , scriptam hanc olim fuisse prophetiam adversus novos tum Asiæ domitores, Cyri fortasse vel Cambysis temporibus; quæ postea, Macedonum causa, e Chaldaïca aliave orientali lingua græce vertenda fuerit. Itaque non multum nobis officit, quod eadem vates pro Perside Chaldæa a quibusdam nuncupetur. Sed neque hoc neque aliud quidquam de hac Sibylla certum; et quæ de Chaldæa sunt dicenda, melius in proximo capite disquirentur.

CAP. XV. *De Sibylla Chaldæa, seu Babylonia, sive Hebræa, sive Judæa.*

Sibyllæ Chaldææ seu Babyloniæ nomen in catalogo prorsus omiserat Varro, unde nec apud Lactantium nec apud Isidorum Lactantiana referentem invenitur. Sed Lactantii compilatores græcos mentionem ejus facere diximus, neque ipsam a Varronis Persica distinguere. Ita Suidas duobus locis, sub hujus Excursus finem proferendis : Πρώτη

οὖν ἡ Χαλδαία, ἤγουν ἡ Περσίς, vel ἡ καὶ Περσίς, quod nec reprobandum esse diximus, et facile ferremus, nisi tam manifesta proderetur mens interpolatoris, volentis omnino Sibyllam suam Chaldæam in Varronis catalogum intrudere, ceterarum loco non mutato.

Nititur porro tota de Chaldæa Sibylla sententia non illo Nicanoris apud Varronem seu Lactantium testimonio, sed aliis duobus recentioribus, Pausaniæ nempe et Justini martyris. Quorum hic quidem, Cohort. ad Græc. loc. cit., primus de ea Sybilla auctor laudatur; nec vero eam cum Persica, sed cum Cumana confudit, tanquam Babylone Cumas advectam: Ταύτην, inquit, [τὴν Κυμαίαν] ἐκ μὲν Βαβυλῶνος ὡρμῆσθαί φασι. Sed Chaldæam quam intelligat, statim ipse docet: Βηρώσσού τοῦ τὴν Χαλδαϊκὴν ἱστορίαν γράψαντος θυγατέρα οὖσαν. Expressior de ea muliere Pausanias, qui pariter Berosi filiam, sed simul Hebræam vel certe apud Hebræos claram eamdem facit, Phoc. loc. sæpe cit.: Παρὰ Ἑβραίοις τοῖς ὑπὲρ τῆς Παλαιστίνης γυνὴ χρησμολόγος, ὄνομα δὲ αὐτῇ Σάββη. Βηρώσου δὲ εἶναι πατρὸς καὶ Ἐρυμάνθης μητρός φασι Σάββην· οἱ δὲ αὐτὴν Βαβυλωνίαν.

Quum porro Justinus et Pausanias, licet in multis diversi, quædam habeant inter se communia, nec facile utrique excogitanda aut ab alterutro sumenda (Pausanias enim, paulo junior quam Justinus, Christianorum scriptis minime uti solebat), sequitur communem ambobus fuisse ducem: quemnam illum, haud ita certo dicere possumus; suspicamur tamen Alexandrum Polyhistora, qui Syllanis temporibus Judaïca scripserat, auctorem doctum et curiosum, citatum a Justino semel, ab Eusebio sæpe, qui et Pausaniæ et Suidæ vel incertis Suidæ auctoribus potuit esse ob oculos, iisque de hac Sibylla suggerere quæ scripserunt. Porro nemo illorum animadvertit Græcas et Syriacas commisceri fabulas: nam Ἐρυμάνθη, quæ Sibyllæ mater fingitur, græcum nomen est, unde huc allatum ignoramus; tamen Ἐρίμαντις, tanquam *valde prophetans*, sub eo delitescere nobis videtur. Etiam quæ de Beroso patre adduntur, etsi Syriacam magis sapiunt originem, e græca tamen eruditione defluxerunt, nec temere sunt admittenda. Quisquis enim Berosum primus huc invexit, procul dubio respexit ad illum antiquissimum ac pæne fabulosum astrologum, id est, ad obscurissima veterum Chaldæorum tempora; quem tamen non aliter cognovit quam, ut plerique Græcorum, ex alterius Berosi fide, historiæ Chaldaïcæ scriptoris, qui opus suum inscripserat Antiocho Deo, Syriæ regi, teste Tatiano ad Græcos, § 36, assignandus igitur tertio ante Chr. sæculo. Ac ne satis quidem constat, juniorem istum in Chaldæa vixisse, quum in Co insula astrologicam disciplinam instituisse tradatur a Vitruvio, lib. IX, cap. 6. Origine

tamen Chaldæum fuisse, nomen arguit; quumque de Chaldaïcis rebus scripsisset, et antiquissimos Chaldæorum auctores sequi se professus esset (unde Seneca, Nat. Quæst. III, § 29 : « Berosus, inquit, « qui Belum interpretatus est »), hæc omnia singulari quodam fato fecerunt, ut Berosi utriusque memoria vulgo confunderetur; quem in errorem lapsus ipse videtur Seneca, et post illum Justinus martyr ac Pausanias, post quos nominare piget Mosem quoque Chorenensem, lib. I, cap. 5, qui, incertum quo auctore, Sibyllam Berosianam vocat, citandus nobis in Exc. IV.

Nobis igitur suadentibus, relinquenda sunt Græcis compilatoribus Erymanthes et Berosi nomina; sed Sabbes nomen nec græcum est, nec Græcis notum; unde igitur quærendum? unde, nisi ex illo fonte quem Pausanias ipse monstravit : Παρὰ Ἑβραίοις τοῖς ὑπὲρ τῆς Παλαιστίνης γυνὴ χρησμολόγος, ὄνομα δὲ αὐτῇ Σάββη. Hebraïcum ergo vocabulum esse vel ex hoc uno testimonio colligas. At illud nomen duplici modo scribitur : apud Pausaniam quidem Σάββη, apud recentiores vero et apud Suidam Σαμβήθη, mutata orthographia, etymo tamen remanente. Quippe in orientalium nominum græca transcriptione, β sæpe in μβ convertitur, fortasse ita jubente pronuntiationis lege, uti fere *b* nostrum gallicum a Græcis hodiernis in μπ mutari solet. Antiquitus certe hebraïcum prophetæ nomen Habacuc græce Ἀμβακούμ factum est; et a Syriaco *abuba*, tibiam notante, derivatur Horatiana vox *Ambubaja*, quæ tibicinem sonat. In Σαμβήθη vero ultimæ litteræ ήθη hebraïcam retinent feminini generis inflexionem, prorsus ut e Juda factum est femininum nomen Judith, græce Ἰουδίθ vel Ἰουδείθ, quod æque Ἰουδήθη scribi poterat. Ergo Sabba et Sambethe nomen idem sunt, cujus fortasse utramque formam Alexander Polyhistor, vel quisquis Pausaniæ et Suidæ præivit, a Judæis acceptam, Græcis tradiderat. Notiorem fuisse credimus alteram formam propter inscriptionem Thyatirenam ex Itinerario Sponii prolatam a Perizonio ad Æl. XII, cap. 35, epitaphium hominis sepulti πρὸ τῆς πόλεως πρὸς τῷ Σαμβαθείῳ ἐν τῷ Χαλδαίου περιβόλῳ, quod Σαμβάθειον fuisse videtur Sibyllæ Chaldææ seu Sambethæ sacellum.

His semel admissis, cave nominis originem longius quæras, quum statim tibi occurrat, quod alii ante nos viderunt, notissima illa in sacris historiis regina Saba, de qua Regum lib. III, cap. 10, v. 1 : « Sed et regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini, venit « tentare eum in ænigmatibus. » Porro illud ipsum est quod in Evangeliis legitur, Matth. cap. 12, v. 42, et Luc. cap. 11, v. 31 : « Regina « Austri... venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis. » Unde autem venerat? At id nomen ipsum indicat. E Sabæorum nempe

regione et ultima Arabia, « a finibus terræ », ut aiunt Evangelistæ, qui eam idcirco « reginam austri » appellant. Fuisse quippe vulgatum apud Hebræos felicis Arabiæ nomen *Saba*, ostendunt sacrorum librorum loci complures, et ipsius Geneseos cap. 10, v. 7, ubi inter Chami posteros Saba numeratur, videlicet Sabææ gentis auctor. Nec aliter sentire recentiores Judæos declarat Bochartus, Geogr. sacr. II, cap. 26, e libro Juchasim, f° 136, locum afferens latine ita versum : « Regina Saba, quæ Nicolaa vocabatur, venit ex regno Ieman « [nempe ex Arabia felici] ad audiendam sapientiam Salomonis. »

De vera tamen ejus patria quæstio fuit apud interpretes : et quidni eam Chaldæam aut Babyloniam finxerint alii, sicut alii Æthiopissam (confer Glycam infra citandum); sicut Ægyptiam fecit Josephus, Antiq. VIII, cap. 2, § 6, nomine Nicaulen vocans (unde liber Juchasim supra citatus Nicolaam), fingensque Ægyptiis simul et Æthiopibus imperasse, quum tamen nullam feminam in Ægypto regnasse præter unam Nitocrim ex Herodoto et Manethone constet.

Utique prophetiæ laus illi mulieri a nemine denegatur; unde fuerunt qui ab ejus nomine ipsam Sibyllæ appellationem deduxerint. Et quidem aperte pro Sibylla ipsam agnoscit Glycas, Annal. pag. 343, ed. Bonn. : Σοβὰ (sic) ἔθνος Αἰθιοπικόν· τούτων ἐβασίλευσεν ἡ θαυμαστὴ ἐκείνη Σίβυλλα· μήτε γὰρ νόμον εἰδυῖα, μήτε προφητῶν ἀκούσασα, διὰ τοῦ Σολομῶντος τὸν τῆς σοφίας ὕμνησε χορηγόν. Γένοιτο γάρ, ἔφη, Κύριος ὁ Θεός σου εὐλογημένος, ὃς ἠθέλησεν ἐν σοὶ δοῦναί σε ἐπὶ θρόνον Ἰσραήλ. Ubi vides indicium propheticæ scientiæ, recte necne, monstrari in ejus reginæ ad Salomonem oratione, Reg. III, 10, v. 9 : « Sit Dominus Deus tuus « benedictus, cui complacuisti et posuit te super thronum Israel, etc. » Pariter Cedrenus, t. I, p. 166, ed. Bonn. : Καὶ βασίλισσα Σαβᾶ, ἥτις ἐλέγετο Σίβυλλα παρὰ Ἕλλησιν, ἀκούσασα τὸ ὄνομα αὐτοῦ, ἦλθεν εἰς Ἱερουσαλήμ... ἦν γὰρ καὶ αὕτη ἡ Σίβυλλα πάνυ ἐν ἀγχινοίᾳ τε καὶ σοφίᾳ καὶ πολυπειρίᾳ διαβόητος. Hi ergo Sibyllæ nomen, propter aliquam vocum similitudinem, reginæ Sabææ imposuerunt. Contra apud Pausaniam et Suidam longinquæ illius advenæ nomen impositum vidimus uni cuidam e Sibyllis : ita omni ex parte confirmatur id quod diximus, fontem totius traditionis de Chaldæa Sibylla græcum esse hebraïco mixtum. Supra vero Polyhistorem ceteris Græcis præivisse suspicati sumus, necdum nos piget, concedatur modo vel Abydenum vel Eupolemum de ea re præluxisse Polyhistori, sicut de Babelicæ turris historia (confer not. ad Sibyll. III, v. 97, et infra Exc. V). Ab illo, quisquis fuit, græco auctore manasse etiam putamus nomen græcum Nicaulen, huic Sibyllæ datum, quod modo a Rabbinis in Nicolaam versum vidimus.

At vix cuiquam sive Græco sive Judæo græcissanti venire potuit in mentem, ut reginam Saba, solis Hebræis antea notam, huc adduceret et cum Chaldæa confunderet, nisi quid prius de Chaldæa Sibylla audiverat. Prior igitur toto illo commento fuit Chaldææ vatis fama, quam referre non dubitamus ad Sibyllinorum nostrorum partes antiquissimas, in quibus palam Sibylla sese ipsa nominat, lib. III, v. 814 :

Φήσουσι Σίβυλλαν,

et Babylone quidem profectam se declarat, ibid. v. 808, sq.:

Ταῦτα μὲν Ἀσσυρίης Βαβυλῶνος τείχεα μακρὰ
Οἰστρομανὴς προλιποῦσα,

quum prius Chaldaïcam simul et Hebraïcam originem sibi attribuisset, v. 218, sq. :

Ἔστι πόλις..... κατὰ χθονὸς Οὖρ Χαλδαίων,
Ἐξ ἧς μοι γένος ἐστί, κ. τ. λ.

Vera enim videtur lectio Ἐξ ἧς μοι, in optimis codd. constans et vulgo in edd. recepta. Aut etiamsi cum quibusdam codd. legere malis, Ἐξ ἧς δὴ γένος ἐστὶ, κ. τ. λ., tamen in toto tertio libro, seu certe antiquioribus ejus partibus, § 2 et 4, tam sæpe tantoque pietatis affectu de Hebræorum fatis agitur, ut nemo Hebraïcam manum non statim deprehendat. Hinc non erravit quisquis Suidæ aliisque primus auctor fuit scribendi Chaldæam Sibyllam eamdem esse atque Hebræam. Erravit tantum qui eam cum Persica Varronis et Lactantii commiscere primus sibi in animum induxit.

Aliud vero graviusque erravit Suidas, cujus locus supra a nobis decurtatus plenior nunc afferendus est : Σίβυλλα Χαλδαία, ἡ καὶ πρός τινων Ἑβραία ὀνομαζομένη, ἡ καὶ Περσὶς, ἡ κυρίῳ ὀνόματι καλουμένη Σαμβήθη, ἐκ τοῦ γένους τοῦ μακαριωτάτου Νῶε· ἡ περὶ τῶν κατὰ Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα λεγομένων προειρηκυῖα, ἧς μνημονεύει Νικάνωρ ὁ τὸν Ἀλεξάνδρου βίον ἱστορήσας· ἡ περὶ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ μυρία προθεσπίσασα καὶ τῆς αὐτοῦ παρουσίας. Ἀλλὰ καὶ αἱ λοιπαὶ συνᾴδουσιν αὐτῇ, πλὴν ὅτι ταύτης εἰσὶ βιβλία κδ' περὶ παντὸς ἔθνους καὶ χώρας περιέχοντα. In his agnoscere jam et distinguere possumus hinc quæ Varroniana seu Lactantiana sunt, nempe ἡ καὶ Περσίς... ἧς μνημονεύει Νικάνωρ, κ. τ. λ.; illinc quæ ex Alexandro Polyhistore vel alio gentili scriptore manaverunt, ἡ καὶ πρός τινων Ἑβραία ὀνομαζομένη... ἡ κυρίῳ ὀνόματι καλουμένη Σαμβήθη. Sed : ἐκ τοῦ γένους τοῦ μακαριωτάτου Νῶε, ἡ περὶ τῶν κατὰ Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα λεγομένων [alii λεγόμενον] προειρηκυῖα, procul aliunde profecta sunt, nempe ex Anonymi præfatione ad Sibyllina, quod et plenius demonstrabitur in Excursu nostro V. Hæc vero ἡ περὶ τοῦ κυρίου, κ. τ. λ., non ex præfatione, sed ex ipsa procedunt Sibyllinorum librorum lectione, qui partim de adventu

Christi, partim de singularum regionum calamitatibus scripti sunt. Ipse apud Suidam librorum numerus κδ′ (pro ιδ′) quo errore huc sit illatus, satis patet attendenti cuilibet ad numerum librorum hodiernum, sicut in eodem Excursu dicetur. Sequuntur apud Suidam nonnulla, quæ nos transcribere omisimus, de Sibyllæ versibus imperfectis, Ὅτι δὲ οἱ στίχοι αὐτῆς ἀτελεῖς, κ. τ. λ. quæ rursus ex Anonymi præfatione, § 4, sub finem, manifesto sumpta sunt; ita omnia Sibyllinæ collectionis hodiernæ lectorem produnt.

In his quod ineptissimum videtur de Sibyllæ cum Noëmo cognatione : Ἐκ τοῦ γένους, κ. τ. λ., diximus non Suidæ, sed Anonymi præfatoris esse; ineptum illud quidem, sed excusandum ipsius pseudo-Sibyllæ testimonio, lib. III, v. 826 :

Τοῦ μὲν ἐγὼ νύμφη καὶ ἀφ' αἵματος αὐτοῦ ἐτύχθην,

quo pertinent et alia similia, lib. I, v. 287, sqq. de quibus nos rursus in Exc. V. Satis nunc monstratum sit Chaldæam seu Babyloniam sive Hebræam sive Judæam Sibyllam, revera unam esse, neque aliam quam auctorem ipsum Sibyllinorum nostrorum carminum sub muliebri stola delitescentem.

CAP. XVI. *De duabus adventitiis Sibyllis, Europæa et Agrippa, obiterque de XII medii ævi Sibyllis.*

Et jam cum Sibyllis transegissemus, nisi periculum esset ne forte lectori moram facerent duarum Sibyllarum nomina, medio ævo seu per extremam medii ævi partem pro genuinis habita, Europææ nempe (sive, ut interdum male scribitur, Europæ), et Agrippæ (sic, non ut quidam legere maluerunt, Agrippinæ). Accesserunt illæ serius ad ceterarum catalogum, ut pro decem fierent duodecim, cujus rei causa in artifices ac præsertim pictores istius ævi conferenda. Quum enim in Ecclesia Catholica solerent vulgo Sibyllæ, ex antiquorum Patrum fide, pæne ipsis sanctis Prophetis accenseri, electæ videlicet inter gentes, quæ utrumque Christi redemptoris ac judicis adventum mortalibus prænuntiarent (confer Exc. IV), commodum et gratum fuit pictoribus numerum adæquari Prophetarum et Sibyllarum, præsertim ad ornanda templorum vitra, quo in genere excellebant. Duas igitur Sibyllas ceteris addi placuit, quæ, incertum quo primo auctore, Europæa et Agrippa fuerunt.

Nec de Europæa quidquam habemus quod dicamus, nisi inventam illam fuisse quæ Persicæ et Libycæ et Erythrææ Lactantii opponere-

tur, tanquam non Delphica quoque et Cumana et Tiburtina ad Europam pertinerent.

Agrippæ vero Sibyllæ unde tam barbarum nomen in cujusquam mentem inciderit, vix possumus excogitare, nisi quis, dum Sibyllarum numerum augere cupit, repertam forte Ægyptiæ Sibyllæ mentionem perperam legerit acceperitque, sive in libro apicibus obscurioribus scripto, sive in epigraphe obliterata picturæ alicujus antiquioris, unde falsum Agrippæ nomen ad reliqua ejusdem artis specimina translatum fuerit. Erroris hujus initium libenter credimus non sæculo XIII aut XIV recentius habendum esse, propter causas alibi proferendas.

Utique de duabus istis mulieribus historias nullas ac ne fabulas quidem in ullo vetere libro reperimus, sed icones tantum sive iconographias, in artificum gratiam ab eruditis medii ævi labentis factas, quales ceterarum quoque Sibyllarum passim per codices ejus ætatis occurrere notabimus in appendice ad Exc. IV. Harum effigies ita describuntur ex aliqua hujusmodi scheda manuscripta in libro *Chronicarum* [sic] impresso cum figuris, Venet. 1493 : « Sibylla Agrippa [sic] « vestita rosea veste cum chlamide rosea, non multum juvenis, manum « tenens in gremio quasi admirans, et sinistram manum tenens osten- « dendo deorsum breve signum, dicit sic : Invisibile Verbum pal- « pabitur; germinabit ut radix; siccabitur ut folium; non apparebit « venustas ejus; circumdabit alvus maternus [sic]; et florebit Deus « lætitia sempiterna; et ab hominibus conculcabitur. Nascetur ex matre « ut Deus [sic], et conversabitur ut peccator. Homo quidam gentilis « vidit hanc gloriam. » Hæc ultima respicere videntur ad Augustum imperatorem, neque ad hanc, sed ad Tiburtinam pertinere Sibyllam, de qua tale aliquid narrabitur ad Exc. IV. Et infra : « Sibylla Europa « [sic], decora juvenis, facie rutilans, velo subtilissimo capite ligata, « induta veste aurea, breve in manu tenens, dicit sic : Veniet ille et « transibit colles et latices Olympi; regnabit in paupertate, et domi- « nabitur in silentio; et egredietur de utero Virginis. » Quæ fere eadem in suppl. ad idem opus, Venet. 1513, pag. 45, recurrunt.

Sed hæc et similia, ludicris quam seriis propiora, partim a nobis consulto prætermittuntur, partim commodius alibi tangentur.

CAP. XVII. *Rerum hactenus dictarum summa.*

Emenso nunc, quod inieramus spatio, recognitisque Sibyllis omnibus quarum mentionem apud antiquos reperimus, restat ut in uno quasi conspectu, quæ sunt prius dicta, proponamus.

Ortum est *Sibyllæ* nomen, id est, mulieris divina consilia proloquentis, in Æolide primum Asiatica, ubi antiquitus memoria servata fuit talis alicujus feminæ, quæ in Troade circa urbem Mermessum olim vaticinata esset, *Mermessia* proprie dicta seu corrupte *Marpessia*, nonnunquam *Gergithia*, vel *Phrygia*, vel *Hellespontia*, vel etiam *Trojana* (distinguenda tamen ab *antiquiore Trojana*, quam primis Trojanorum rebus interfuisse quidam putaverunt). Ejus Mermessiæ Sibyllæ memoriam Cyclici poetæ in suos usus converterunt, eamque futura prædixisse finxerunt seu Græcis Trojam navigantibus, seu Trojanis fugam eversa patria molientibus. Inde circa sæculum ante Christi natales octavum vel septimum, discurrere cœpit per Asiam minorem carmen quoddam, tanquam ab illa Sibylla scriptum, sæpius tamen postea dictum Erythræum: Erythræi quippe, commercio tunc et opibus in illo Asiæ tractu prævalentes, propter ambiguam versus unius significationem totum carmen ad se traxerunt, ipsamque Sibyllam volentem nolentem civitatis apud se jure donaverunt; unde *Erythræa* vocari cœpta est, sub eoque nomine Athenis et in tota fere Græcia inclaruit.

Sed, ut fieri solet, successu invidiam et æmulationem parante, aliæ deinde urbes parem sibi laudem affectaverunt, variis huc inductæ causis, sive alicujus antiquæ vatis apud se degentis memoria, sive oraculo jam in iisdem exstante locis, sive speluncæ religiosæ aut fontis prophetici vicinitate.

Inde in ipsa Asia græca Sibyllæ tres a diversis auctoribus memoratæ, *Colophonia*, *Samia*, *Rhodia*. Et Colophoniam quidem Calchantis filiam fingebant, quæ, Trojano bello confecto, Colophona seu vicinam ei urbi Clarum, insignem Apollinis oraculo, se contulisset. Samia paulo notior; videtur enim, quoniam in antiquis Samiorum annalibus memoria ejus inveniebatur, revera vixisse circa septimi fere sæculi finem. De Rhodia nihil præter nomen superest.

His addi potest *Sardiana*, nomine quidem ad Lydiam pertinens, Græca tamen, quippe quæ Crœsi temporibus Epheso Sardes adducta narretur, si tamen a Samia probe distincta est.

De Athenaïde, quæ sub Alexandro Erythris vaticinari præsumpsit, a quibusdam *Erythræa junior* appellata, pauca diximus ad Erythræam seniorem.

Delia Sibylla nulla fuit; sed Delii hymnos quosdam, in honorem insulæ suæ compositos, tanquam Sibyllinos, monstrabant.

In Græciæ vero continente *Delphica* multum inclaruit, sive ob oraculi Delphici famam, seu propter Erythræum vel sic dictum carmen, cujus exordio incolæ ejus urbis compellabantur. Nemo tamen anti-

quorum Delphis ipsam nasci voluit; sed advenam faciebant, alii ex Helicone, tanquam ibi a Musis nutritam; alii ex urbe Thessaliæ Lamia, unde *Lamiaca* seu *Maliaca* melius dici potuisset; alii denique e Bœotia, filiam nempe Tiresiæ, Manto seu Daphnen, Thebis captis, ab Epigonis captivam Delphos adductam, ibique oraculi ministerio consecratam, quo nomine *Bœota* potius dicenda esset quam, ut quibusdam placuit, *Thessala*.

Aliæ quoque Sibyllæ e Græciæ continente citantur, ut *Macedonica*, nomine tantum nota, et *Epirotica* seu *Thesprotica*, quæ fortasse est Phaënno seu Phënnis, sub primis Alexandri successoribus, oraculorum libris clara; sive, ut alii malunt, Nympha quædam (multo id sane antiquius et nobilius), quæ sub Amaltheæ nomine videtur in Epiro divinis honoribus fuisse culta.

Sed in Italia, jam remotissimis temporibus, Cumæi seu Cymæi Æolidis, quum in Italia Cumas coloniam ducerent, Sibyllæ nomen, in vetere patria sua præclarum, illuc deportaverant, nacti in propinquo antri cujusdam opportunitatem, in quo domicilium habuisse dicta est *Cumana* Sibylla, seu *Cimmeria*, seu *Lucana*, sive, ut quibusdam placuit, *Itala*, sed cum Italica Varronis minime confundenda.

Ex illo tempore cœpit in magna Græcia atque inde in aliis Italiæ partibus inclarescere Sibyllæ nomen, et fortasse multa confieri tanquam Sibyllina carmina; quorum unum ad se vel casu allatum vel ex industria accersitum, dominationis instrumentum facere decrevit Tarquinius Superbus, et Romæ in Capitolio sacravit, dissita fama, mulierem quamdam ignotam cimelium illud attulisse ac deinde evanuisse : inde quidam mulierem istam, (serius tamen, uti remur), Cumanam ipsam Sibyllam esse voluerunt; Varro quoque, vulgari apud suos opinioni nimium obtemperans, *Cumanam* illam dixit, sed probe distinctam a priore Cumana, quæ ipsi Cimmeria est. Nos eam *pseudo-Cumanam* potius, seu *Tarquinianam*, seu *Romanam* dixerimus.

Nobilissima ista apud Romanos; sed et altera serius penes eosdem inclaruit, *Tiburtina* dicta, invento, ut ferebant, ejus simulacro in amnis Anienis gurgite, cum libro quodam oraculorum, quem optimatium, ut videtur, fraude confictum, Senatus reipublicæ causa in Capitolio cum Sibyllinis antiquioribus sacrari jussit.

Fuit et ante illas Romæ clara mulier alia fatidica, Carmenta nomine, Evandri mater, quam quidam Sibyllis falso annumeratam, *Italicam* dixerunt.

Fuit in Sicilia quoque, propter antri Lilybitani cum illo Cumano similitudinem, Sibylla quædam excogitata, et a quibusdam *Sicula* dicta, quam alii male cum Tarquiniana confuderunt.

In Africa *Libycæ* Sibyllæ vestigia frustra quæras, quæ ab Euripide in quadam fabula temere videtur esse conficta, propter fortuitam nominis similitudinem inter Lamiam Afrorum reginam et Lamiam Sibyllæ Maliacæ seu Lamiacæ matrem.

Ægyptiam Sibyllam Alexandrini grammatici, in civium gratiam, ingeniis suis extuderunt.

Persica Græcis innotuit, Alexandri Magni temporibus, non ob sua, sed ob supposita quædam ab adulantibus oracula de Macedonum adventu, quæ videlicet illi Sibyllæ, tanquam olim in Oriente claræ, licet alioqui prorsus ignotæ, tribuebantur.

Babylonia seu *Chaldæa* non alia est quam *Hebræa* sive *Judæa*, nempe ex hominis ingenio prognata, qui primus, natione Judæus, domicilio Alexandrinus, Ptolemæo Philometori suppar, secundo igitur ante Christum sæculo, pseudo-Sibyllina commentus est, eadem quæ hodie supersunt in Sibyllinorum nostrorum libro III.

Europæa denique, et *Agrippa* sive quorumdam *Agrippina*, ambæ sine auctore a medii ævi artificibus confictæ, nullo sunt in numero habendæ.

Quæ omnia quo facilius a lectoribus nostris recenseri, et an vere sint dicta, cognosci possint, testimonia ipsa antiquorum scriptorum, qui speciatim de Sibyllarum numero egerunt, in hujus Excursus appendicem congerere opportunum ducimus.

APPENDIX AD EXCURSUM I.

Testimonia auctorum veterum qui de numero Sibyllarum egerunt.

VARRO, *apud Lactantium, lib. I, cap. 6.*

« M. Varro,... in libris rerum divinarum, quos ad C. Cæsarem « Pontificem Maximum scripsit,.... Sibyllas decem [1] numero fuisse « [ait], easque omnes enumeravit sub auctoribus qui de singulis « scriptitaverunt. Primam fuisse *de Persis*, cujus mentionem fecerit « Nicanor, qui res gestas Alexandri Macedonis scripsit. Secundam « *Libyssam*, cujus meminerit Euripides in Lamiæ prologo. Tertiam « *Delphida*, de qua Chrysippus loquitur in eo libro quem de Divi- « natione composuit. Quartam *Cimmeriam*, in Italia, quam Nævius « in libris Belli Punici, Piso in Annalibus nominat. Quintam *Ery-* « *thræam*, quam Apollodorus Erythræus affirmat suam fuisse civem, « eamque Graiis Ilium petentibus vaticinatam et perituram esse « Trojam et Homerum mendacia scripturum. Sextam *Samiam*, de « qua scribit Eratosthenes in antiquis annalibus Samiorum reperisse « se scriptum. Septimam *Cumanam*, nomine Amaltheam, quæ ab « aliis Demophile vel Herophile nominatur; eamque novem libros « attulisse ad regem Tarquinium Priscum.... Octavam *Hellespontiam*, « in agro Trojano natam, vico Marpesso [2], circa oppidum Gergi- « thium, quam scribit Heraclides Ponticus Solonis et Cyri tempo- « ribus fuisse. Nonam *Phrygiam*, quæ vaticinata sit Ancyræ. Deci- « mam *Tiburtem*, nomine Albuneam, quæ Tiburi colitur ut Dea « juxta ripas amnis Anienis, cujus in gurgite simulacrum ejus in- « ventum esse dicitur, tenens in manu librum, cujus sortes Senatus « in Capitolium transtulerit. »

1. De decem Sibyllis eadem ac fere iisdem verbis e Lactantio desumpta retulit Isidorus, lib. VIII, cap. 8 : græce autem Lactantiana vertit, paucis mutatis, auctor Anonymæ Præfationis ad Sibyllina, atque ex ejus fide Scholiastes Platonis ad Phædrum, Photius in Amphilochiis, Suidas denique, quem vide infra. Confer vero præsertim ipsam Præfationem Anonymi, § 2 (ed. nostr. t. I), et quæ ibi annotata sunt, et quæ plura de hac re disserentur in Exc. V.

2. Sic edd.; sed lege *Mermesso*, seu quæ latina fuit forma *Marmesso:* et sic in optimis manuscriptis habetur; sic quoque legerat Anonymus.

TIBULLUS, *lib. II, eleg.* 5, *v.* 17, *sqq.*

Quidquid Amalthea, quidquid Marpessia[3] dixit,
Herophile Phœbo grataque quod monuit,
Quasque Aniena sacras Tiburs per flumina sortes
Portarit, sicco pertuleritque sinu.

PAUSANIAS, *in Phocicis*, § 12.

Πέτρα δέ ἐστιν [ἐν Δελφοῖς] ἀνίσχουσα ὑπὲρ τῆς γῆς· ἐπὶ ταύτῃ Δελφοὶ στᾶσάν φασιν ᾆσαι τοὺς χρησμοὺς, ὄνομα Ἡροφίλην, Σίβυλλαν δὲ ἐπίκλησιν [κατὰ][4] τὴν πρότερον γενομένην. Ταύτην ταῖς μάλιστα ὁμοίως οὖσαν ἀρχαίαν εὕρισκον, ἣν θυγατέρα Ἕλληνες Διὸς καὶ Λαμίας τῆς Ποσειδῶνός φασιν εἶναι, καὶ χρησμούς τε αὐτὴν γυναικῶν πρώτην ᾆσαι, καὶ ὑπὸ τῶν Λιβύων Σίβυλλαν λέγουσιν ὀνομασθῆναι. Ἡ δὲ Ἡροφίλη νεωτέρα μὲν ἐκείνης, φαίνεται δὲ ὅμως πρὸ τοῦ πολέμου γεγονυῖα καὶ αὐτὴ τοῦ Τρωϊκοῦ· καὶ Ἑλένην τε προεδήλωσεν ἐν τοῖς χρησμοῖς ὡς ἐπ' ὀλέθρῳ τῆς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης τραφήσοιτο ἐν Σπάρτῃ, καὶ ὡς Ἴλιον ἁλώσεται δι' αὐτὴν ὑπὸ Ἑλλήνων. Δήλιοι δὲ καὶ ὕμνων μέμνηνται τῆς γυναικὸς ἐς Ἀπόλλωνα. Καλεῖ δὲ οὐκ[5] Ἡροφίλην μόνον, ἀλλὰ καὶ Ἄρτεμιν ἐν τοῖς ἔπεσιν αὑτὴν, καὶ Ἀπόλλωνος γυνὴ γαμετὴ, τότε δὲ ἀδελφὴ, καὶ αὖθις θυγάτηρ φησὶν εἶναι. Ταῦτα μὲν δὴ μαινομένη τε καὶ ἐκ τοῦ θεοῦ κάτοχος πεποίηκεν. Ἑτέρωθι δὲ εἶπε τῶν χρησμῶν, ὡς μητρὸς μὲν ἀθανάτης εἴη μιᾶς τῶν ἐν Ἴδῃ Νυμφῶν, πατρὸς δὲ ἀνθρώπου· καὶ οὕτω λέγει τὰ ἔπη,

Εἰμὶ δ' ἐγὼ γεγαυῖα μέσον θνητοῦ τε θεᾶς τε,
Νύμφης δ' ἀθανάτης, πατρὸς δ' αὖ κητοφάγοιο,
Μητρόθεν Ἰδογενὴς, πατρὶς δέ μοί ἐστιν ἐρυθρὴ
Μάρπησσος[6], μητρὸς ἱερὴ, ποταμὸς δ' Ἀϊδωνεύς.

Ἦν δὲ ἔτι καὶ ἐν τῇ Ἴδῃ τῇ Τρωϊκῇ πόλεως Μαρπήσσου[7] τὰ ἐρείπια, καὶ ἐν αὐτοῖς οἰκήτορες ὡς ἑξήκοντα ἄνθρωποι· ὑπέρυθρος δὲ πᾶσα περὶ τὸ[8] Μάρπησσον γῆ καὶ δεινῶς ἐστιν αὐχμώδης, ὥστε καὶ τῷ Ἀϊδωνεῖ ποταμῷ καταδύεσθαί τε ἐς τὴν χώραν, καὶ ἀνασχόντι τὸ αὐτὸ αὖθις πάσχειν, τέλος δὲ καὶ ἀφανίζεσθαι κατὰ τῆς γῆς, αἴτιον, ἐμοὶ δοκεῖν, ἐστὶν, ὅτι λεπτή τε κατὰ τοῦτο καὶ σηραγγώδης ἐστὶν ἡ Ἴδη. Ἀπέχει δὲ Ἀλεξανδρείας τῆς ἐν Τρωάδι τεσσαράκοντα ἡ Μάρπησσος καὶ διακόσια στάδια. Τὴν δὲ Ἡροφίλην οἱ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ ταύτην νεωκόρον τε τοῦ Ἀπόλλωνος γενέσθαι τοῦ Σμιν-

3. Sic codd. et edd.; sed lege *Mermessia* seu *Marmessia*, et vide not. pr.

4. Deest κατά in codd., sine quo tamen sensus constare nequit.

5. Sic ionice codd. omnes, non οὐχ.

6. Imo potius Μερμησσός, hoc accentu : sed vide not. seq.

7. Verius esset Μερμησσοῦ : sed Pausanias, incertum quo casu vel quo auctore, et vocem mutavit et accentum; codd. certe omnes consentiunt.

8. Sic codd. At certe scribi debuit feminino genere τὴν Μάρπησσον, ut paulo infra ἡ Μάρπησσος.

θέως, καὶ ἐπὶ τῷ ὀνείρατι τῷ Ἑκάβης χρῆσαί φασιν αὐτὴν ἃ δὴ καὶ ἐπιτελεσθέντα ἴσμεν. Αὕτη ἡ Σίβυλλα ᾤκησε μὲν τὸ πολὺ τοῦ βίου ἐν Σάμῳ, ἀφίκετο δὲ καὶ ἐς Κλάρον τὴν Κολοφωνίων, καὶ ἐς Δῆλόν τε καὶ ἐς Δελφούς· ὁπότε δὲ ἀφίκοιτο, ἐπὶ ταύτης ἱσταμένη τῆς πέτρας ᾖδε. Τὸ μέντοι χρεὼν αὐτὴν ἐπέλαβεν ἐν τῇ Τρωάδι· καί οἱ τὸ μνῆμα ἐν τῷ ἄλσει τοῦ Σμινθέως ἐστὶ, καὶ ἐλεγεῖον ἐπὶ στήλης,

Ἅδ' ἐγὼ ἁ Φοίβοιο σαφηγορίς εἰμι Σίβυλλα,
Τῷδ' ὑπὸ λαϊνέῳ σάματι πυθομένα,
Παρθένος αὐδάεσσα τὸ πρὶν, νῦν δ' αἰὲν ἄναυδος,
Μοίρᾳ ὑπὸ στιβαρῇ τήνδε λαχοῦσα πέδην.
Ἀλλὰ πέλας Νύμφαισι καὶ Ἑρμῇ τῷδ' ὑπόκειμαι,
Μοῖραν ἔχουσ' Ἑκάτῳ τῆς τότ' ἀνακτορίης.

Ὁ μὲν δὴ παρὰ τὸ μνῆμα ἕστηκεν Ἑρμῆς, λίθου τετράγωνον σχῆμα. Ἐξ ἀριστερᾶς δὲ ὕδωρ τε κατερχόμενον ἐς κρήνην, καὶ τῶν Νυμφῶν ἐστι τὰ ἀγάλματα. Ἐρυθραῖοι δὲ (ἀμφισβητοῦσι γὰρ τῆς Ἡροφίλης προθυμότατα Ἑλλήνων) Κώρυκόν τε καλούμενον ὄρος, καὶ ἐν τῷ ὄρει σπήλαιον ἀποφαίνουσι, τεχθῆναι τὴν Ἡροφίλην ἐν αὐτῷ λέγοντες, Θεοδώρου δὲ ἐπιχωρίου ποιμένος καὶ Νύμφης παῖδα εἶναι· Ἰδαίαν δὲ ἐπίκλησιν γενέσθαι τῇ Νύμφῃ κατ' ἄλλο μὲν οὐδὲν, τῶν δὲ χωρίων τὰ δασέα ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων ἴδας τότε ὀνομάζεσθαι. Τὸ δὲ ἔπος τὸ ἐς τὴν Μάρπησσον καὶ τὸν ποταμὸν τὸν Ἀϊδωνέα, τοῦτο οἱ Ἐρυθραῖοι τὸ ἔπος ἀφαιροῦσιν ἀπὸ τῶν χρησμῶν.

Τὴν δὲ ἐπὶ ταύτῃ χρησμοὺς κατὰ ταυτὰ εἰποῦσαν ἐκ Κύμης τῆς ἐν Ὀπικοῖς εἶναι, καλεῖσθαι δὲ αὐτὴν Δημὼ, συνέγραψεν Ὑπέροχος ἀνὴρ Κυμαῖος. Χρησμῶν δὲ οἱ Κυμαῖοι τῆς γυναικὸς ταύτης οὐδένα εἶχον ἐπιδείξασθαι, λίθου δὲ ὑδρίαν ἐν Ἀπόλλωνος ἱερῷ δεικνύουσιν οὐ μεγάλην, τῆς Σιβύλλης ἐνταῦθα κεῖσθαι φάμενοι τὰ ὀστᾶ· ἐπεγράφη δὲ καὶ ὕστερον τῆς Δημοῦς.

Παρὰ Ἑβραίοις τοῖς ὑπὲρ τῆς Παλαιστίνης[9] γυνὴ χρησμολόγος, ὄνομα δὲ αὐτῇ Σάββη· Βηρώσου δὲ εἶναι πατρὸς καὶ Ἐρυμάνθης μητρός φασι Σάββην· οἱ δὲ αὐτὴν Βαβυλωνίαν, ἕτεροι δὲ Σίβυλλαν καλοῦσιν Αἰγυπτίαν.

Φαεννὶς δὲ θυγάτηρ βασιλεύσαντος ἀνδρὸς ἐν Χάοσι, καὶ αἱ Πέλειαι παρὰ Δωδωναίοις ἐμαντεύσαντο μὲν ἐκ θεοῦ καὶ αὐταὶ, Σίβυλλαι δὲ ὑπὸ ἀνθρώπων οὐκ ἐκλήθησαν. Τῆς μὲν δὴ πυθέσθαι τὴν ἡλικίαν καὶ ἐπιλέξασθαί ἐστι τοὺς χρησμούς· Ἀντιόχου γὰρ μετὰ τὸ ἁλῶναι Δημήτριον αὐτίκα ἐς τὴν ἀρχὴν καθισταμένου γέγονε Φαεννίς. Τὰς Πελειάδας δὲ Φημονόης τε ἔτι προτέρας γενέσθαι λέγουσι, καὶ ᾆσαι γυναικῶν πρώτας τάδε ἔπη,

Ζεὺς ἦν, Ζεὺς ἔστι, Ζεὺς ἔσσεται, ὦ μεγάλε Ζεῦ.
Γᾶ καρποὺς ἀνίει, διὸ κλήζετε ματέρα γαῖαν.

Hoc est :

Saxum illic eminet [Delphis nempe], in quo stantem Herophilen ora-

9. Idem hoc valet quod ὑπὲρ τὴν Παλαιστίνην, et sic maritima pars indicatur Judææ et Phœnices, supra quam vera est Judæa.

cula canere solitam esse Delphi tradunt, nomine quidem sic dictam, Sibyllam autem cognomine a prioris cujusdam Sibyllæ memoria, quam ego comperi nulli non esse antiquitate præferendam. Illam Græci Jove natam dictitant et Lamia Neptuni filia, primamque mulierum omnium vaticinatam, et ab Afris Sibyllam nominatam. Hæc vero, de qua nunc agitur, Herophile ætate profecto illi cedit; constat tamen et ipsam ante Trojanum vixisse bellum: prædixit enim in Asiæ et Europæ perniciem Helenam Spartæ nutritum iri, propter quam fore ut Ilium everteretur a Græcis. Hujus feminæ hymnorum quoque in Apollinem Delii meminerunt. Ipsa vero se non Herophilam modo, sed et Artemin suis versibus vocat; est ubi se uxorem, est ubi sororem vel filiam Apollinis se dicit; sed hæc videlicet furens et divino afflatu perculsa. Eadem, oraculorum alio loco, immortali matre natam se docet, Idæarum quippe Nympharum una, patre vero mortali; sic enim canit:

Inter utrosque sequor medium, divosque hominesque,
Nympha immortali sata, piscivoro genitore.
Idæum matris genus est; mihi patria rubra
Marpessus, matri sacrata, amnisque Aïdoneus.

Supererant etiamnunc in Ida Phrygiæ rudera urbis Marpessi cum incolis circiter sexaginta. Tota vero circa Marpessum terra subrufa est et mire torrida: unde et Aïdoneo amni, quod ibi se modo sub terras abdat, modo rursus emergat, ac denuo idem passus, postremo penitus occultetur, hanc ego causam esse crediderim, rarum nempe Idæ montis solum et multis cuniculis cavernosum. Abest ab Alexandria, quæ est in Troade, Marpessus stadia ferme CCXL. Et Herophilam quidem Alexandriæ cives Apollinis aiunt Sminthei fuisse æditüam; Hecubæ vero somnium interpretatam, sicut eventu postea verum compertum est. Magnam vitæ partem egit hæc Sibylla Sami; sed et Claron Colophoniorum adiit; venit etiam Delon et Delphos; ac Delphis quidem in illa, qua diximus, petra stans canebat. In Troade tamen mors ei contigit, ubi et ejus sepulcrum est in Sminthei luco, incisis columnæ elegis talem in modum:

Illa ego sum, Phœbi interpres non vana, Sibylla,
Hic quæ marmoreo contineor tumulo;
Vocalis quondam, æternum nunc muta puella,
Scilicet hac fati compede pressa gravi.
Mercurio tamen et Nymphis conjuncta quiesco,
Quod Phœbo fuerim sacra, ferens pretium.

Juxta sepulcrum erectus est Mercurius e lapide, figura quadrangula. Ad lævam aqua in conceptaculum delabitur, ubi Nympharum signa

sunt. Erythræi vero (ii quippe de Herophila acerrime Græcorum omnium certant) Corycum montem et in eo antrum ostendunt, in quo natam Herophilam dicunt. Parentes ejus fuisse Theodorum pastorem indigenam et Nympham cui fuerit cognomen Idææ. Cognominis non esse aliam rationem, quam quod condensa arboribus loca Idas tunc homines appellarint. Versum quidem de Marpesso deque Aïdoneo flumine eximunt Erythræi ex Herophilæ carmine.

Eam vero quæ post hanc similiter oracula edidit, Cumanam ex Opicis fuisse ac Demo nominatam, Hyperochus vir Cumanus scripsit. Ejus tamen feminæ prædictionem omnino nullam Cumani, quam cuiquam ostenderent, habuerunt : urnam tantum ostendunt in Apollinis templo lapideam, parvam, qua Sibyllæ ossa contineri aiunt; serius inscriptum nomen Demo.

Hebræis quoque, qui supra Palæstinam sunt, sua est fatidica mulier, Saba nomine, quam Beroso patre, matre Erymanthe genitam tradunt. Hanc alii Babyloniam, Ægyptiam alii Sibyllam vocant.

Phaënnis vero hominis in Chaonibus regnantis filia, et Peleæ apud Dodonæos divinarunt illæ quidem, Sibyllæ tamen non fuerunt ab hominibus vocitatæ. Phaënnidis certe neque ætatem inquirere neque vaticinia legere difficile est : iisdem enim temporibus exstitit, quibus regnum Antiochus capto Demetrio occupavit. Peleades vero Phemonoë ipsa fuisse dicuntur ætate superiores, et mulierum omnium primæ versus decantasse in hunc modum :

Jupiter est, fuit atque erit : o bone Jupiter alme.
Quæ tribuit fruges, Tellurem dicite matrem.

Clemens Alexandrinus, *Strom., lib. I, p.* 384, *ed. Ox.*

Καὶ οὔτι γε μόνος οὗτος [ὁ Μωσῆς], ἀλλὰ καὶ ἡ Σίβυλλα Ὀρφέως παλαιοτέρα. Λέγεται γὰρ καὶ περὶ τῆς ἐπωνυμίας αὐτῆς καὶ περὶ τῶν χρησμῶν τῶν καταπεφημισμένων ἐκείνης εἶναι, λόγοι πλείους· Φρυγίαν τε οὖσαν κεκλῆσθαι Ἄρτεμιν, καὶ ταύτην παραγενομένην εἰς Δελφοὺς ᾆσαι,

Ὦ Δελφοὶ, θεράποντες ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος,
Ἦλθον ἐγὼ χρήσουσα Διὸς νόον αἰγιόχοιο,
Αὐτοκασιγνήτῳ κεχολωμένη Ἀπόλλωνι.

Ἔστι δὲ καὶ ἄλλη Ἐρυθραία, Ἡροφίλη καλουμένη. Μέμνηται δὲ τούτων Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἐν τῷ περὶ χρηστηρίων. Ἐῶ δὲ τὴν Αἰγυπτίαν, καὶ τὴν Ἰταλικὴν, ἣ τὸ ἐν Ῥώμῃ Κάρμαλον ᾤκησεν, ἧς υἱὸς Εὔανδρος ὁ τὸ ἐν Ῥώμῃ τοῦ Πανὸς ἱερὸν τὸ Λουπέρκιον κτίσας.

Hoc est :

Neque Moses solus, sed etiam Sibylla Orpheo antiquior est. Traduntur enim et de ejus appellatione et de oraculis quæ illi ascribun-

tur, multi sermones : eam nempe fuisse Phrygiam nomine Artemin [seu Dianam], quæ ad Delphos profecta sic cecinerit :

O Delphi, quibus ipse præest jaculator Apollo,
Veni ad vos, mentem Jovis expositura potentis,
Ausa gravi rixa Phœbo contendere fratri.

Est etiam alia, quæ Herophile vocatur, Erythræa. Facit harum mentionem Heraclides Ponticus in libro de Oraculis. Mitto Ægyptiam, et Italicam quæ Romæ habitavit Carmalum [seu potius Carmentale], cujus fuit filius Evander, qui Romæ templum Panis, quod Lupercal appellatur, condidit.

IDEM, *Strom., lib. I, p.* 399, *ed. Ox.*

Ἤδη δὲ καὶ παρ' Ἕλλησι χρησμολόγοι συχνοὶ γεγονέναι φέρονται, ὡς οἱ Βάκιδες....., Ἱππώ τε ἡ Χείρωνος, καὶ Βοιὼ, καὶ Μαντὼ, καὶ τῶν Σιβυλλῶν τὸ πλῆθος, ἡ Σαμία, ἡ Κολοφωνία, ἡ Κυμαία, ἡ Ἐρυθραία, ἡ Φυτὼ, ἡ Ταραξάνδρα, ἡ Μακέτις, ἡ Θετταλὴ, ἡ Θεσπρωτίς.

Hoc est :

Jam vero multi apud Græcos exstitere vates, ut Bacides prophetæ..., Hippo etiam Chironis filia, et Bœo, et Manto, et Sibyllarum multitudo, Samia, Colophonia, Cumana, Erythræa, Phyto, Taraxandra, Macedonica, Thessala, Thesprotis.

ÆLIANUS, *Var. Hist., lib. XII, cap.* 35.

Σίβυλλαι τέσσαρες, ἡ Ἐρυθραία, ἡ Σαμία, ἡ Αἰγυπτία, ἡ Σαμία· οἱ δέ φασι, καὶ ἑτέραι ἓξ, ὡς εἶναι τὰς πάσας δέκα, ὧν εἶναι καὶ τὴν Κυμαίαν καὶ τὴν Ἰουδαίαν.

Hoc est :

Sibyllæ sunt quatuor, Erythræa, Samia, Ægyptia et Sardiana. Addunt quidam sex alias, ut sint omnes numero decem, e quibus Cumana et Judæa.

PHILETAS EPHESIUS, *apud Schol. Aristoph. ad Aves, v.* 962.

Φιλητᾶς δ' Ἐφέσιός φησιν· Σίβυλλαι τρεῖς [10] ἐγένοντο, ὧν ἡ μέν ἐστιν, ὡς διὰ τῆς ποιήσεως φησὶν, Ἀπόλλωνος ἀδελφή· δευτέρα δὲ, Ἐρυθραία· τρίτη δὲ, ἡ Σαρδιανή.

Hoc est :

Sibyllæ tres fuerunt, quarum una se Apollinis sororem in suis versibus dicit; secunda Erythræa fuit; tertia Sardiana.

10. Eadem fere Tzetzes ad Lycophr., v. 1270, ac videlicet ex eodem Scholiasta, nisi quod primam e tribus Sibyllam quæ Philetæ Delphica fuisse videtur, Cumanam de suo fecit : Κυμαία, inquit, ἣν καὶ Ἀπόλλωνός φασιν ἀδελφήν. Eadem ipsis, ut solet, verbis transcripsit Eudocia in Violario, p. 374.

AUSONIUS, *in Grypho, v.* 85.

« Et tres [11] fatidicæ, nomen commune, Sibyllæ. »

MARTIANUS CAPELLA, *de Nupt. Phil. II, pag.* 40.

« Alii quoque hujus generis homines in divinandi usum et præ-« scientiam procreati, ut Carmentis in Arcadia, ab effuso per vaticinia « carmine memorata; Sibyllæ, vel Erythræa, quæque Cumana est, « vel Phrygia : quas non decem, ut asserunt, sed duas fuisse non « nescis, id est, Erophilam Trojanam Marmensi filiam, et Symma-« chiam Hippotensis filiam, quæ Erythræa progenita, etiam Cumis « est vaticinata. »

HERMIAS, *in Phædrum, lib. II, cap.* 22.

Πολλαὶ μέντοι Σίβυλλαι γεγόνασι, πᾶσαι τὸν μαντικὸν ἑλόμεναι βίον· πᾶσαι μέντοι διά τινα ἴσως αἰτίαν εἵλοντο Σίβυλλαι προσαγορεύεσθαι.

Hoc est :

Multæ quidem Sibyllæ fuerunt, omnes divinandi artem professæ, quæ propter aliquam forte causam commune nomen Sibyllæ sibi quæque assumpserunt.

ANONYMUS, *in Chronico Paschali, tom. I, p.* 201, *ed. Bonn.*

Τούτῳ τῷ ἔτει Σίβυλλα ἡ Ἐρυθραία ἐν Αἰγύπτῳ ἐγνωρίζετο. Γεγόνασι δὲ καὶ ἄλλαι ια' Σίβυλλαι, Σίβυλλα ἡ Ἑβραία, Σίβυλλα [ἡ Περσὶς, Σίβυλλα ἡ Δελφὶς, Σίβυλλα ἡ Ἀδαὴ ἡ Κιμμερία, Σίβυλλα ἡ Σαμία, Σίβυλλα ἡ Ῥοδία, Σίβυλλα ἡ Κυμαία, Σίβυλλα ἡ Λιβυκὴ, Σίβυλλα ἡ Τρωὰς, Σίβυλλα ἡ Φρυγία, Σίβυλλα ἡ Τιβουρτία.

Hoc est :

Hoc anno [primæ nempe captivitatis Israelitarum] Sibylla Erythræa in Ægypto claruit. Fuere et aliæ undecim Sibyllæ : Hebræa, Persica, Delphica, Adae seu Cimmeria, Samia, Rhodia, Cumana, Libyca, Trojana, Phrygia, Tiburtina.

SUIDAS, *v.* Σίβυλλα *et* Σίβυλλαι.

Σίβυλλα [12] Ῥωμαϊκὴ λέξις ἐστὶν, ἑρμηνευομένη προφῆτις, ἤγουν μάντις·

11. Videtur Ausonius non tres supra dictas Sibyllas intelligere, sed tres Italicas, Cumanam nempe, Romanam et Tiburtinam.

12. Hæc de Sibyllæ nominis etymologia et quæ continuo jam sequentur de decem Sibyllis, apud Suidam longe infra rejecta erant post singularum Sibyllarum enumerationem : nos melioris ordinis causa huc retulimus. Sunt autem ad verbum fere transcripta, quanquam multis omissis, paucis additis, sive e Platonis Scholiasta ad Phædrum, sive ex Anonymi Præfatione ad Sibyllina, unde ad

ὅθεν ἑνὶ ὀνόματι αἱ θήλειαι μάντιδες ὠνομάσθησαν Σίβυλλαι. Σίβυλλαι τοίνυν, ὡς πολλοὶ ἔγραψαν, γεγόνασιν ἐν διαφόροις τόποις καὶ χρόνοις δέκα τὸν ἀριθμόν.

Σίβυλλαι γεγόνασιν ἐν διαφόροις τόποις καὶ χρόνοις τὸν ἀριθμὸν δέκα. Πρώτη οὖν ἡ Χαλδαία, ἡ καὶ Περσὶς, ἡ κυρίῳ ὀνόματι καλουμένη Σαμβήθη. Δευτέρα ἡ Λίβυσσα. Τρίτη ἡ Δελφὶς, ἡ ἐν Δελφοῖς τεχθεῖσα. Τετάρτη ἡ Ἰταλικὴ, ἡ ἐν Κιμμερίᾳ τῆς Ἰταλίας. Πέμπτη ἡ Ἐρυθραία, ἡ πρὸ τοῦ Τρωϊκοῦ προειρηκυῖα πολέμου. Ἕκτη Σαμία, ἡ κυρίῳ ὀνόματι καλουμένη Φυτὼ, περὶ ἧς ἔγραψεν Ἐρατοσθένης. Ἑβδόμη Κυμαία, ἡ καὶ Ἀμαλθαία [13] καὶ Ἱεροφίλη. Ὀγδόη Ἑλλησποντία, τεχθεῖσα ἐν κώμῃ Μαρμίσσῳ περὶ τὴν πολίχνην Γεργίθιον, αἵ τῆς ἐνορίας ποτὲ Τρωάδος ἐτύγχανον, ἐν καιροῖς Σόλωνος καὶ Κύρου. Ἐννάτη Φρυγία. Δεκάτη ἡ Τιβουρτία, ὀνόματι Ἀλβουναία. Φασὶ δὲ ὡς ἡ Κυμαία ἐννέα βιβλία χρησμῶν ἰδίων προσεκόμισε Ταρκυνίῳ Πρίσκῳ, τῷ τηνικαῦτα βασιλεύοντι τῶν Ῥωμαίων· καὶ τούτου μὴ προσηκαμένου, ἔκαυσε βιβλία β'.

Σίβυλλα [14] Δελφὶς, ἣν καὶ Ἄρτεμιν προσηγόρευσαν· γέγονε δὲ αὕτη πρὸ τῶν Τρωϊκῶν, καὶ ἔγραψε χρησμοὺς δι' ἐπῶν.

Ὁ πατὴρ Σιβύλλης τῆς Χαλδαίας Βηρωσσὸς [15] ἐκαλεῖτο· ἡ δὲ μήτηρ αὐτῆς Ἐρυμάνθη.

Σίβυλλα [16] Ἀπόλλωνος καὶ Λαμείας [sic]· κατὰ δέ τινας Ἀριστοκράτους καὶ Ὑδώλης· ὡς δὲ ἄλλοι, Κριναγόρου· ὡς δὲ Ἕρμιππος, Θεοδώρου· Ἐρυθραία παρὰ τὸ τεχθῆναι ἐν χωρίῳ τῶν Ἐρυθρῶν ὃ προσηγορεύετο Βάττοι, νῦν δὲ αὐτὸ τὸ χωρίον πολισθὲν προσαγορεύεται Ἐρυθραί. Τινὲς δὲ αὐτὴν Σικελὴν, ἄλλοι Σαρδάνην [sic], ἄλλοι Γεργιθίαν, ἄλλοι δὲ Ῥοδίαν, ἄλλοι δὲ Λίβυσσαν, ἄλλοι Λευκανὴν, ἄλλοι Σαμίαν ἐδόξασαν. Γέγονε δὲ τοῖς χρόνοις τῆς Τρωϊκῆς ἁλώσεως μετὰ υπγ' ἔτη, καὶ συνετάξατο βιβλία ταῦτα, περὶ παλμῶν, μέλη, χρησμούς. Λέγεται δὲ καὶ τρίγωνον εἶδος λύρας αὐτὴν πρώτην εὑρεῖν.

Σίβυλλα Ἕλισσα, ἔγραψε μαντείας καὶ χρησμοὺς δι' ἐπῶν.

Σίβυλλα Κολοφωνία, ἥτις ἐκλήθη Λάμπουσα, ἀπόγονος Κάλχαντος, καὶ αὐτὴ μαντείας καὶ χρησμοὺς δι' ἐπῶν καὶ ἄλλα.

Σίβυλλα Θετταλὴ, ἡ κληθεῖσα καὶ Μαντὼ, ἀπόγονος Τειρεσίου.

Σίβυλλα Φρυγία, ἡ κληθεῖσα ὑπό τινων Σάρβις [17], ὑπὸ δέ τινων Κασάνδρα, ἄλλων δὲ Ταραξάνδρα· καὶ αὐτὴ χρησμούς.

Photium et Scholiastam et ceteros transierunt. Confer ipsam Præfat., § 2, et ibi not. Confer etiam Exc. V, cap. 15.

13. Nominum propriorum orthographiam Ἀμαλθαία, Ἱεροφύλη, Μαρμίσσῳ, quamvis vitiosam, cum codicibus Suidæ retinuimus, facile cuilibet corrigendam e notis nostris ad Præf. Anonym.

14. Hæc de Delphica Sibylla quisquis ante Suidam primus scripsit, hausisse videtur e Pausania supra citato.

15. Hæc pariter e Pausania.

16. Erythræa præsertim Sibylla hic designari videtur, confusa tamen cum aliis Sibyllis undequaque corrasis. Hæc et quæ sequuntur, excerpta ac misere mutilata habet Eudocia in Viol. p. 383.

17. Codex unus, Σάρυσις.

Σίβυλλα Κυμαία, καὶ Σίβυλλα Θεσπρωτὶς, ὁμοίως χρησμούς.

Σίβυλλα Χαλδαία [18], ἡ καὶ πρός τινων Ἑβραία ὀνομαζομένη, ἡ καὶ Περσὶς, ἡ κυρίῳ ὀνόματι καλουμένη Σαμβήθη, ἐκ τοῦ γένους τοῦ μακαριωτάτου Νῶε· ἡ περὶ τῶν κατὰ Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα λεγομένων προειρηκυῖα· ἧς μνημονεύει Νικάνωρ ὁ τὸν Ἀλεξάνδρου βίον ἱστορήσας· ἡ περὶ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ μυρία προθεσπίσασα καὶ τῆς αὐτοῦ παρουσίας. Ἀλλὰ καὶ αἱ λοιπαὶ συνᾴδουσιν αὐτῇ, πλὴν ὅτι ταύτης εἰσὶ βιβλία κδ' περὶ παντὸς ἔθνους καὶ χώρας περιέχοντα. Ὅτι δὲ οἱ στίχοι αὐτῆς ἀτελεῖς καὶ ἄμετροι εὑρίσκονται, οὐ τῆς προφήτιδός ἐστιν ἡ αἰτία, ἀλλὰ τῶν ταχυγράφων, οὐ συμφθασάντων τῇ ῥύμῃ τοῦ λόγου, ἢ καὶ ἀπαιδεύτων γενομένων καὶ ἀπείρων γραμματικῆς· ἅμα γὰρ τῇ ἐπιπνοίᾳ ἐπέπαυτο ἡ τῶν λεχθέντων μνήμη· καὶ διὰ τοῦτο εὑρίσκονται οἱ στίχοι ἀτελεῖς καὶ διάνοια σκάζουσα, εἴτε κατ' οἰκονομίαν Θεοῦ τοῦτο γέγονεν, ὡς μὴ γινώσκοιντο ὑπὸ πολλῶν καὶ ἀναξίων οἱ χρησμοὶ αὐτῆς, εἴτε δὴ καὶ ὁ μακρὸς χρόνος, ὡς καὶ ἄλλων πολλῶν, αἴτιος τούτου ὑπῆρξεν. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἡ ἀσάφεια τῶν ὑπὸ τῆς προφήτιδος εἰρημένων, καὶ τὸ πλεονάκις ἴσως ἀντιγραφῆναι τὰ βιβλία, οὐδὲν θαυμαστὸν, εἰ σύγχυσιν τῆς τε διανοίας καὶ τῶν μέτρων ἐμπεποιήκεσαν.

Hoc est :

Sibylla latina est vox, et vatem significat. Itaque omnes fatidicæ mulieres hoc uno nomine sunt appellatæ. Sibyllæ igitur, ut multi scripserunt, fuere diversis temporibus locisque numero decem.....

Sybillæ diversis locis et temporibus fuerunt decem. Prima Chaldæa seu Persica, proprio nomine Sambethe dicta. Secunda Libyca. Tertia Delphica, Delphis nata. Quarta Italica, quæ Cimmeriam in Italia habitasse fertur. Quinta Erythræa, quæ ante bellum Trojanum divinavit. Sexta Samia, nomen habens Phyto, de qua scripsit Eratosthenes. Septima Cumana, quæ et Amalthea et Hierophile [sic]. Octava Hellespontia, nata in pago Marmisso [sic], juxta oppidulum Gergithium, quæ aliquando Trojanæ ditionis confinia fuerunt, temporibus Solonis et Cyri. Nona Phrygia. Decima Tiburtina, nomine Albunea. Cumanam tradunt novem libros suorum oraculorum attulisse Tarquinio Prisco, Romæ tum regnanti, a quo primum repudiata, duos cremavit.

Sibylla Delphica, etiam Artemis [seu Diana] dicta, bellum Trojanum antecessit, et versibus heroïcis scripsit oracula.

Sibyllæ Chaldææ pater Berosus nomine dictus fuit, mater Erymanthe.

18. Hæc de Chaldæa Sibylla, cum Varronis Perside confusa, ducta sunt magnam partem e Præfatione Anonymi ad Sibyllina; quæ vero sequuntur, a Justino martyre primum profecta, de imperfectis Sibyllæ metris, sumpta etiam videntur ex eadem Præfatione, § 4, sed aliter concinnata ab homine scribendi non imperito.

Sibylla Apollinis et Lamiæ filia, vel, ut alii tradunt, Aristocratis et Hydoles, vel, ut alii, Crinagoræ, vel, ut Hermippus, Theodori; Erythræa, eo quod nata esset in oppido Erythræorum, quod Batti appellabatur; nunc ipse locus in urbis modum exædificatus vocatur Erythræ. Quidam eam Siculam, quidam Sardanam [sic], quidam Gergithiam, quidam Rhodiam, alii Libycam, alii Lucanam, alii Samiam esse putaverunt. Fuit autem Trojani excidii temporibus post annos CDLXXXIII [seu potius, Trojano excidio posterior fuit annis totidem], et libros composuit his titulis: de palpitationibus, carmina lyrica, oracula. Dicitur etiam triquetrum lyræ genus prima invenisse.

Sibylla Elissa scripsit divinationes et oracula versu hexametro.

Sibylla Colophonia, Lampusa dicta, Calchante prognata, ipsa quoque divinationes, oracula, et alia quædam versibus epicis.

Sibylla Thessala, Manto dicta, a Tiresia genus ducens.

Sibylla Phrygia, a quibusdam Sarbis [al. Sarysis], ab aliis Cassandra vel Taraxandra dicta, oracula et ipsa edidit.

Sibylla Cumana, et Sibylla Thesprotis, oracula illæ quoque.

Sibylla Chaldæa, eadem quæ a quibusdam Hebræa nominatur, Persica etiam dicta, privato autem nomine Sambethe, fuit a beatissimo Noe oriunda. De Alexandro Macedone ea quæ vulgo narrantur, vaticinata est; cujus meminit Nicanor, qui vitam Alexandri scripsit. Hæc de Domino Christo et ejus adventu plurima prædixit. Sed et reliquæ cum ea consentiunt, nisi quod hujus feruntur libri XXIV, de gente qualibet atque regione agentes. Quod autem versus in iis imperfecti et vitiosi reperiuntur, non ipsius prophetidis culpa est, sed notariorum, qui orationis impetum assequi non potuerunt, aut etiam indocti fuerunt et literarum imperiti. Una enim cum afflatu memoria ipsam deficiebat eorum quæ dicta essent. Eaque de causa et versus imperfecti reperiuntur et sententia claudicans, sive certo Dei consilio, ne a multis indignis oracula ejus cognoscerentur, sive temporis longitudo, ut et aliorum multorum, hujus quoque facti causa fuit. Atque etiam obscuritas eorum quæ a prophetide dicta sunt et crebra librorum descriptio, nihil mirum, si et sententiis confusionem et versibus perturbationem attulerunt.

—•—

EXCURSUS II.

DE SIBYLLINIS APUD VETERES GRÆCOS CARMINIBUS.

Fuisse antiquitus apud Græcos clarissimum Sibyllæ Erythrææ nomen, satis in Excursu priore demonstratum est (confer ibi cap. 2); eamque famam præsertim e carmine quodam fatidico manasse, quod, quia ejus Sibyllæ opus diu creditum est, Erythræum de more magis quam jure dici monuimus (ibid.). Insuper præcipuas ejus carminis partes exposuimus, exordium nempe a Clemente Alexandrino servatum, epilogum a Phlegonte, e mediis autem a Pausania versus quosdam, quibus originem suam Sibylla profitebatur (ibid. cap. 2 et 3). Quæ omnia quomodo inter se, licet diversa, conciliari et in unum corpus coire possent, ut licuit, ostendimus; eaque non e diversis voluminibus esse desumpta, sed ad unum idemque carmen pertinere, adductis præsertim e Pausania testimoniis, evicimus (ibid. cap. 2). Quæ quoniam, cogente argumenti necessitate, sparsim illic exposita sunt, resumi nunc et in uno quasi conspectu proponi necesse est, quo certius de totius carminis tenore judicium ferri possit.

Primum igitur canebat in eo carmine Sibylla Delphos se venire, iratam fratri suo Apollini, ad revelanda mortalibus Jovis consilia. Unde veniret et cur irata, vel omnino in his oraculis vel saltem in hoc exordio reticebat; iræ tamen causam suspicati sumus (ibid., cap. 2, p. 17), quod a concessa sibi vaticinandi facultate prohiberetur. Cum his utcumque conciliandum id quod infra profitebatur, Nymphæ se cujusdam Idææ filiam esse, patris vero vel piscatoris, vel pastoris ad mare degentis. In fine prædicebat se decem hominum generationes vivendo impleturam, donec ab Apolline divinationem invidente sagittis confoderetur; ac ne mortuam quidem a vaticiniis cessaturam: quippe animam in ventos abeuntem, omina passim diffusuram; corpus in tabem collapsum, gramen herbasque pariturum, quibus pastæ volucres et pecudes auspiciis auguriisque futura præmonerent; faciem denique suam in lunæ disco remansuram, e qua etiam indicia futurorum caperentur.

Hæc illo carmine inclusa fuisse certo scimus, extrema nempe et media: cetera vaticiniis impleta erant; quibusnam tamen, haud ita

liquet. Nonnulla ibi videntur infuisse de bello Trojano rebusque inde secuturis, tanquam oracula vel Græcis in Asiam venientibus, vel ipsis Trojanis data. Quædam etiam de Homero minus honesta prædicebantur, quippe mendacia multa narraturo et quidem dereptis ipsi Sibyllæ versibus. Nec multo plura invenimus, quæ sint Erythrææ nominatim ab auctoribus assignata, quanquam ad illam quoque referri, sed minus tuto, possunt, nonnulla sub Sibyllæ tantum nomine prolata, omisso patriæ indicio. Quorum tamen quæcumque ad res pertinent septimo ante Christum sæculo posteriores, necessario sunt ab illo carmine removenda, scripto quippe, ut in Exc. I demonstravimus, sæculo vel VIII vel, ut novissime, VII. Ista igitur ad recentiorem Erythrææ poeseos imitationem pertinent.

Quod si Heraclito apud Plut. seu potius ipsi Plutarcho credimus, de Pyth. orac. loc. sæpe cit., pleraque in illo carmine sinistra prædicebantur, ἀγέλαστα, nempe calamitates urbium et populorum, quales a Plutarcho ibidem recensentur: Πολλαὶ μὲν ἀναστάσεις καὶ μετοικισμοὶ πόλεων Ἑλληνίδων, πολλαὶ δὲ βαρβαρικῶν στρατιῶν ἐπιφάνειαι, καὶ ἀναιρέσεις ἡγεμονικῶν [an potius ἡγεμονιῶν?] Multi, inquit, Græcarum civitatum casus vel subversarum vel suis finibus ejectarum; item barbaricorum exercituum incursus, et imperiorum seu principatuum eversiones. Sed ibi in quibusdam suspectum est Plutarchi judicium vel falsa memoria. Nam de imperiorum magnis vicibus ac de barbarorum incursibus (nisi hæc ad Asiæ superioris imperia et ad Scytharum incursiones referenda sint, quod minime remur), haud sane patet quomodo prædici aliquid potuerit in Erythræo carmine, illis, quibus modo dictum est, temporibus scripto. Multo minus ibi quærenda fuerunt quæ statim adduntur a Plutarcho de Vesevi montis eruptione urbibusque illo casu attritis: Ταυτὶ δὲ τὰ πρόσφατα καὶ νέα πάθη περί τε Κύμην καὶ Δικαιάρχειαν [vetus illud Puteolorum nomen] οὐχ ὑμνούμενα πάλαι καὶ ᾀδόμενα διὰ τῶν Σιβυλλείων ὁ χρόνος ὥσπερ ὀφείλων ἀποδέδωκεν, ἐκρήξεις πυρὸς ὀρείου, καὶ ζέσεις θαλασσίας, καὶ πετρῶν καὶ φλεγμονῶν ὑπὸ πνεύματος ἀναῤῥίψεις, καὶ φθορὰς πόλεων ἅμα τοσούτων καὶ τηλικούτων. Quibus similia sicubi inter Sibyllina reperta sunt a Plutarcho, non sane in Erythræo carmine, sed in aliis pseudo-Sibyllinis oraculis recentioribus occurrerunt, nec fortasse de Vesevo, sed de Ætna monte scripta, omissis montis ipsius urbiumque deletarum nominibus, unde legenti fucus fieri potuit. At ne de Ætna quidem cani hæc potuerunt ante eventum, id est, ante illam hominum memoria primam, quæ sexto ante Christum sæculo facta creditur, Vulcanii ignis eruptionem (confer not. ad Sibyll. IV, v. 81). Potuit autem de ipso Vesevo nuper emissum oraculum ad Plutarchi aures

pervenire, sive illud quod in Sibyllinis nostris legitur, lib. IV, v. 127, sqq. (ex quo tamen urbium nomina a Plutarcho memoratarum absunt), sive, quod magis credimus, simile aliquod a gentilibus confictum, in quo recens illa calamitas conjuncta non inepte fuerat cum Titi imperatoris præmaturo exitu, citante paulo infra ipso Plutarcho, tanquam Sibyllinum, de eo principe versum :

Ἐσθλὸς ἐὼν νούσῳ... τυραννίδα λείψει.

Omissis tamen quæ dubia sunt, restat id quod minime ambigi potest, mansisse in Plutarchi mente, confusam licet, carminum illorum memoriam, tanquam facta præcipue calamitosa, ἀγέλαστα, prædicentium; idque vel per se facile conjici ac divinari poterat, quum ex humani ingenii natura præsertim in rebus adversis ad divina confugientis, tum etiam ex omnibus, quæ quidem ad nos pervenerunt, Sibyllinæ poeseos profanis christianisve speciminibus.

Hæc omnia tanquam a furente vate effusa in medium projiciebantur; nemo enim unquam, exceptis quos verus Dei spiritus afflavit, sine furoris imitatione vaticinatus est. Unde Heraclitus μαινομένῳ στόματι Sibyllam cecinisse notaverat, apud Plutarch. loc. cit. in Exc. I, cap. 1; et vide concordes de ea re Platonem ceterosque scriptores ibidem laudatos, quibus addendus Pausanias, in Phocicis, de hoc ipso Erythræo carmine expresse id asserens : Ταῦτα μὲν δὴ μαινομένη τε καὶ ἐκ θεῶν κάτοχος πεποίηκεν. Notandum hoc Pausaniæ fuit, ne quis miraretur Sibyllam in eo carmine de se et origine sua quædam obscure aut parum constanter elocutam. Verum inde etiam alia quædam tuto colligi possunt; ac primum multam fuisse in eo carmine rerum prædictarum permixtionem atque confusionem, quam videmus a Plutarcho ipso agnosci, nec de Erythræa tantum, Sibylla, sed de Sibyllis quibuslibet aliisque hujusmodi vatibus : locus est de Pyth. resp. p. 568 : Σίβυλλαι δὲ αὗται καὶ Βάκιδες ὥσπερ εἰς πόντον ἀτεκμάρτως τὸν χρόνον κατέβαλον καὶ διέσπειραν, ὡς ἔτυχε, παντοδαπῶν ὀνόματα καὶ ῥήματα παθῶν καὶ συμπτωμάτων. Quod idem in nostris quoque judaïcis christianisve Sibyllinis, ad profanorum imitationem confectis, observari potest, notante jam olim Procopio alias nobis citando. Neque illud vitium ullo dicendi artificio dissimulatum ibi fuisse, sed vix aliud transitionis genus usurpatum putamus quam illud toties in oraculis tritum, ἀλλ' ὅταν, ἀλλ' ὁπόταν, ἔνθεν ὅταν, κ. τ. λ., ut in Bacidis fragmento :

Ἀλλ' ὅταν Ἀρτέμιδος χρυσάορον ἱερὸν ἀκτὴν
Νηυσὶ γεφυρώσωσι, κ. τ. λ.,

et in alio ejusdem vatis responso :

Ἀλλ' ὁπόταν Τιθορεὺς, κ. τ. λ.,

et in oraculo quodam apud Plutarchum, libr. cit. p. 570 :

Ἀλλ' ὁπότε Τρώων γενεὴ, κ. τ. λ.,

et in Sibyllæ Cumanæ seu Romanæ supposititio fragmento apud Phlegontem, de Longæv. cap. 4 :

Ἀλλ' ὁπόταν μήκιστος ἴκῃ χρόνος ἀνθρώποισιν,

et in alio, multo sane recentiori, sed haud dubie ad veterem formam composito, apud Amm. Marcell. lib. XXXI, initio, et Socratem, Hist. Eccl. lib. IV, cap. 8 :

Ἀλλ' ὅτε δὴ Νύμφαι δροσερὴν κατὰ ἄστυ χορείην
Τερπόμεναι στήσονται, κ. τ. λ.,

et sic sæpe in parodiis Aristophaneis Lucianeisve, post hunc Excursum citandis, inque nostris Sibyllinis pæne ad fastidium.

Alterum ex eadem causa certo divinari potest, frequentes in illo carmine fuisse dicendi formulas quibus poetæ cælestem instinctum imitari solent, œstrum subitum, et motus animi violentos, et ignem intus accensum, aliaque hoc genus simulantes. Unde Ammianus, lib. XXI : « Sibyllæ crebro se dicunt ardere, torreri vi magna flammarum ; » quo referenda quæ ad hunc sensum leguntur in nostris quoque Sibyllinis, ut lib. III, sub initium :

Ἀλλὰ τί μοι κραδίη πάλιν ἅλλεται, ἠδέ γε θυμὸς
Τυπτόμενος μάστιγι, κ. τ. λ.,

aliaque multa similia passim in iisdem libris obvia.

Ceterum ista omnia versibus hexametris, epico dicendi genere fuisse scripta, fragmenta ipsa demonstrant. Dialectum et orationem et prosodiam in iis deprehendas Homericis proximam, nonnulla etiam hemistichia aperte ex Homero desumpta ; et quidni versus aut locos integros, si carmen totum ad nos pervenisset ? Unde diffusa apud antiquos opinio de Homeri furtis, quam nos attigimus supra et in Exc. I, cap. 2.

Versus autem rudes, incomptos atque inornatos fuisse testatur Plutarchus, loc. sæpe cit., non ἀγέλαστα tantum, verum et ἀμύριστα et ἀκαλλώπιστα vocans ea carmina. Quod quidem gentiles minus offendere debuit, qui ipsius Pythici oraculi versus plerumque non meliores acciperent, defendente frustra poeticam Dei famam multis argumentis Plutarcho, ibid. p. 558, sqq. ; simplicius autem declarante Apuleio, de Deo Socratis, p. 677, ed. Par., talia Deos non curare : « Neque enim « pro majestate Deum cælestium fuerit, ut eorum quisquam... vel « Sibyllæ fatiloquia versificet. »

Quanquam ut libenter credimus non fuisse omnes Sibyllinos versus Homerica suavitate intinctos, ita nobis tamen ægre persuademus infuisse iis tot menda quot hodie reperiuntur in judaïcis christia-

nisque Sibyllinis, in quibus istos errores vel inscitia vel festinatione librariorum excusare conati sunt Justinus martyr aliique. Metri saltem et quantitatis vitia vel nulla vel pauca ibi insedisse confidimus, quoniam antiqui illi poetæ, qui Homerum et Homeridas proxime secuti sunt, raro in talibus peccabant. Imo si fragmenta Erythræi carminis adhuc exstantia propius inspicias, reperias istos paucos versus non omni verborum elegantia neque omni colore poetico destitutos. Quin et supra epicæ dictionis modum credimus interdum enisam esse Sibyllinam poesim, et ad quamdam lyricam speciem, qualis fere est in hymnis Callimacheis, aspirasse, quo magis ad œstri poetici simulationem accommodaretur oratio. Cujus rei non unum vestigium deprehendere nobis videmur in superstitibus fragmentis. Eo quoque pertinere arbitramur crebras illas, non in Erythræis quidem fragmentis hodie tam paucis, sed in ceteris oraculis ad illorum exemplar compositis, verborum translationes ab hominibus ad feras aliasque bestias, ut quum, in Phaënnidis fragm. I, Attalus tauro assimilatur :

Ταύροιο διοτρεφέος φίλον υἱὸν,

et Bithyni vervecibus :

Ἥξεις πόλιν ἐν προβάτοισι,

Prusias autem leoni :

Αὐξήσεις δὲ λέοντα μέγαν,

idemque paulo infra lupo :

Κινήσεις δ' εὕδοντα λύκον.

Quem morem, non in oraculis tantum, sed apud tragicos etiam atque Æschylum præsertim in choris et extra choros usitatissimum, a Lycophrone autem usque ad nauseam affectatum, deridere amant in parodiis suis Aristophanes et Lucianus infra citandi.

Hæc nos, quæ de Erythræo præsertim carmine hactenus dicta sunt, monuimus jam ad cetera pleraque Sibyllina vel pseudo-Sibyllina pertinere, quorum duo fuerunt genera, nempe vel integra carmina, quale fuit Erythæum, vel brevia quædam oracula sparsim e re nata ab hominibus otiosis aut famelicis aut ambitiosis conficta et pro Sibyllinis in vulgus emissa. Quibus autem Sibyllis carmina integra olim imputata fuerint, a Suida præsertim edocemur, cujus nunc ipsa verba reddemus :

Σίβυλλα Δελφὶς... ἔγραψε χρησμοὺς δι' ἐπῶν. [Diodorus quoque de Sibylla Tiresiæ filia, quam Delphis cecinisse narrat : χρησμοὺς ἔγραψε, sed addit παντοδαποὺς διαφόρους ταῖς κατασκευαῖς.]

Σίβυλλα Ἐρυθραία συνετάξατο βιβλία ταῦτα, περὶ παλμῶν, μέλη, χρησμούς. [Adde quos Pausanias hymnos tribuit Sibyllæ suæ Marpessiæ

seu Mermessiæ, quæ aliorum est Erythræa : Δήλιοι δὲ καὶ ὕμνων μέμνηνται τῆς γυναικὸς εἰς Ἀπόλλωνα.]

Σίβυλλα Ἔλισσα [id est, ut putamus, Λίβυσσα] ἔγραψε μαντείας καὶ χρησμοὺς δι' ἐπῶν.

Σίβυλλα Κολοφωνία.... μαντείας καὶ χρησμοὺς δι' ἐπῶν καὶ τἄλλα.

Σίβυλλα Φρυγία.... καὶ αὐτὴ χρησμούς.

Σίβυλλα Κυμαία καὶ Σίβυλλα Θεσπρωτὶς ὁμοίως χρησμούς.

Σίβυλλα Χαλδαία, ἡ καὶ πρός τινων Ἑβραία ὀνομαζομένη, ἡ καὶ Περσίς... ἡ περὶ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ μυρία προθεσπίσασα καὶ τῆς αὐτοῦ παρουσίας· ἀλλὰ καὶ αἱ λοιπαὶ συνᾴδουσιν αὐτῇ, πλὴν ὅτι ταύτης εἰσὶ βιβλία κδ' [imo ιδ'] περὶ παντὸς ἔθνους καὶ χώρας περιέχοντα.

Adde ex Eustathio supra citato, p. 80 :

Σίβυλλα [Αἰγυπτία]... ἔπη.

Adde præsertim quæ apud omnes Romanarum rerum historicos de Tarquinii Sibylla pseudo-Cumana deque ejus libris reperias, discutienda nobis in Exc. III, quæ Suidas quoque refert his verbis :

[Σίβυλλα] Κυμαία ἐννέα βιβλία χρησμῶν ἰδίων προσεκόμισε Ταρκυνίῳ, κ. τ. λ.

Haud facile dixerimus cuinam e tot poetriis assignandum sit fragmentum a Servio laudatum ad Eclog. IV, v. 4, tanquam e Sibyllæ carmine, « quæ, inquit, Cumana fuit, et sæcula per metalla divisit : « dixit etiam quis quo sæculo imperaret ; et Solis ultimum, id est, « decimum voluit... Dixit etiam finitis omnibus sæculis, rursus « eadem renovari. » Quæ licet ab ipso Servio, unico teste, Cumanæ Sibyllæ tribuantur, tamen Cumanæ esse nequeunt, quoniam Pausanias aperte negat ullum ejus Sibyllæ carmen a Cumanis ostendi (confer Exc. I, cap. 7). Quod si Romanorum Sibyllinos libros Servius intellexit, at unde in XVviralis adyti secretum admissus erat? aut quomodo libros adierat qui gravissimis pœnis a profanorum contactu prohibebantur? Aliquos tamen libros sub Cumanæ nomine aliquando confictos fuisse et in vulgus emissos, non omnino negamus, licet probabilius sit talibus plerumque carminibus solum nomen inscriptum fuisse Sibyllæ, quam, ut Græci Erythræam, ita Romani libentius Cumanam crediderint. Fuerit certe hoc carmen non valde antiquum, propter insertum ibi de Magno Anno dogma philosophicum præsertim a Pythagoricis et Platonicis divulgatum ; antiquius tamen Virgilio, si Servio fides. Ac certe Virgilius apertam ejus mentionem habet, tanquam e Cumano carmine, ibid. v. 4, sqq. :

> Ultima Cumæi venit jam carminis ætas ;
> Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.

Sed in illo anno, ad Sibyllæ mentem, decem inclusa fuisse sæcula

tradit Servius : quidni et ipsorum mensuram nos docuit? Decem certe generationes, γενεάς, mundo assignari vulgatum fuit, non apud profanos tantum, qualis est Juvenalis, Sat. XIII, v. 28, sq.:

Nona ætas agitur, pejoraque sæcula ferri
Temporibus,

sed etiam apud Christianos : testis Sibyllinus noster secundus liber jam ab initio numerum hunc ipsum denarium definiens, v. 15 :

Δὴ τότε καὶ δεκάτη γενεὴ, κ. τ. λ.,

conferendus cum quarti libri initio, v. 20, ubi vide not. et quæ plura de hac re disserentur in Exc. VI.

Addit Servius illas mundi ætates a Sibylla divisas fuisse per metalla, ad exemplar nempe Hesiodi, Oper. v. 109, sqq. Sed Hesiodus in quarto metallo, id est, in ferro substiterat; nec facile capimus quomodo Sibylla ad decimum usque progredi potuerit, quum tot metalla antiquis nota fuisse non videantur. Nec aliud ullum Virgilius ipse post ferrum agnoscit, ibid. v. 8, sq.:

Quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo.

Nec aliter Ovidius, Metam. I, v. 127 :

De duro est ultima ferro.

Auctor vero nostri libri I, quum in describendis ætatibus Hesiodi vestigia premeret, metallorum prorsus mentionem omisit, cur nisi quod denarium numerum his implere non posset? Esto tamen, ut Servio placuit.

Magis nos moratur quod Servius addit, Sibyllam in eo carmine cecinisse, « quo quis sæculo imperaret. » An igitur regnorum seriem quamdam evolverat, qualem expositam invenimus in Sibyllinorum nostrorum libro III, § 2, et IV, et V initio, et per totos fere libros XI–XIV? Imo nobis aliter sonare videntur Servii verba, quod statim addat : « et Solis ultimum, id est, decimum voluit, » nempe decimo sæculo Solem imperaturum. Quidni igitur præcedentibus sæculis suos quoque Deos assignaverat, ut primo Saturnum, secundo Jovem, etc.? Ita ut post decimum, id est, Solis imperium, rursus, Anno Magno revoluto, in Saturni regnum sive auream ætatem terrena omnia relaberentur, quod profecto Virgilius intellexit, loc. cit.:

Magnus ab integro sæclorum vertitur ordo ;
Jam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna.

Nec Servium temere scripsisse quæ scripsit, ostendit eadem apud ipsum rediens sententia paulo infra, v. 10, ubi ad hoc hemistichium :

Tuus jam regnat Apollo,

sic commentatur : « Ultimum sæculum ostendit, quod Sibylla Solis

« esse memoravit; et tangit Augustum, cui simulacrum factum est « cum Apollinis cunctis insignibus. » Cujus versus communem istam fuisse ac vulgo receptam interpretationem, minime dubium est. Nam illud idem de Apollinis regno vaticinium, tanquam Sibyllinum, quarto adhuc sæculo incipiente, gentiles ad Constantinum magnum referebant, quem præcipuum Apollinis cultorem sibi fingere amabant. Unde rhetor Eumenius, Panegyr. tom. I, p. 415, ed. 1779: « Vidisti enim, « credo, Constantine, Apollinem tuum, comitante Victoria, coronas « tibi aureas offerentem... teque in illius specie recognovisti, cui « totius mundi regna deberi vatum carmina divina cecinerunt. » Nonne divina vatum carmina ipsa illa Sibyllina sunt a Servio laudata? Et ideo, ne fatis suis deesse videretur, fortasse non ausus est recusare Constantinus nec aureas statuas sibi dicatas sub Apollinis insignibus, nec numos ejusdem Dei effigie signatos, quorum etiam unus maxime ad nostram rem pertinet, apud Patinum, Numism. imp. Rom., pag. 372, Victoriam exhibens in ara sedentem et utraque manu laurum prætendentem, cum genio tropæum tenente, sub hoc titulo: DAFNE CONSTANTINIANA. Quænam ibi Daphne, nisi Sibylla ipsa regnum Apollinis, id est, Constantini, vaticinata? Sibyllam igitur Daphnen illam intelligebant, quam alii Delphicam Sibyllam vocaverunt, ad quam Constantinus ipse respexit in oratione ad Sanctos, cap. 18, et de qua plura nos in Exc. I, cap. 5.

Redimus vero nunc ad certiora de Sibyllinis græcis testimonia, quæ modo quum e Suida aliisque proferremus, diximus ista pleraque carmina, ad unius Erythræi carminis imaginem conficta, similitudine cognationem prodidisse. In iis tamen quædam prophetici non fuisse generis, licet Sibyllinis vulgo annumerata, notandum est, ut illud quod Sibyllæ Erythrææ addictum fuit, περὶ παλμῶν, præsagia nempe continens quæ e cordis vel membrorum subsultationibus (spasmici motus hodie vocantur) deduci poterant; quo de argumento libellus est Melampodi vulgo ascriptus, nec semel editus, sed recentius et melius inter physiognomica Franzii, Altemb. 1780. Sibyllæ autem falso tribuebatur hoc περὶ παλμῶν, ut Orpheo περὶ σεισμῶν et περὶ λίθων, vana omnia et ab impostoribus conficta. Dubium etiam an propheticis accenseri possint Sibyllæ Erythrææ μέλη, apud Suidam; item Mermessiæ hymni Deliaci, apud Pausaniam. At quos Diodorus vocat χρησμοὺς παντοδαποὺς διαφόρους ταῖς κατασκευαῖς, diximus jam in Exc. I, cap. 5, operis forma diversos, metro tamen epicos videri fuisse. Iambici quidem generis vix credimus ulla fuisse unquam, nisi forte medio ævo, Sibyllina. Citatur tamen, tanquam Sibyllæ, trimeter unus in Etymologico magno:

Ἀρόη τρίπυργος ἔσται εὐδαίμων πόλις,

cujus antiquitatem haud mediocrem innuunt, hinc vetus nomen Patrarum urbis Ἀρόη, inde τρίπυργος epithetum; sed ita tamen ut tragicis et comicis Atticis recentior habendus sit hic versus, a quibus præcipue vulgatus usus ille metri iambici ad diversa scribendi genera transiit. Ductus hic quidem videtur ex aliquo poemate geographico, sub Ptolemæis scripto, in quo de Patrarum fortuna vetus istud adagium pro vaticinio Sibyllino prolatum fuerat.

Verum præter ea quæ proprio nomine carmina dici poterant, multa etiam, ut diximus, oracula singula sparsim in vulgus tanquam Sibyllina ferebantur, variis temporibus conficta, neque antiquiore tantum, ut Periclis et Aristophanis, ævo, sed etiam recentioribus sæculis, nec apud Græcos tantum, sed vel maxime apud Romanos propter Sibyllæ suæ Cumanæ seu Tarquinianæ, cum Erythræa sæpe confusæ, famam, quorum nonnulla ab historicis servata in hujus Excursus fine proferentur. Ea deinde in collectiones seu syllogas quasdam contracta fuisse verisimile est, idque jam ante tempora Cæsaris Augusti, qui Sibyllinorum vel similium oraculorum, partim, ut opinamur, græcorum, partim latinorum volumina (imo verius exemplaria) bis mille cremari jussit, Sueton. in ejus Vita, § 31. Tales quasdam syllogas præsto videtur habuisse Pausanias, quum omnia vatum antiquorum oracula, exceptis unius Lyci, perlegisse se affirmaret, Phoc. § 12, extr. Tales certe a se inspectas ait Zosimus, lib. II, § 36, πολλὰς χρησμῶν συναγωγάς, in quibus Sibyllina quoque vaticinia quædam infuisse constat, quando ex iis versus nonnulli afferuntur, quos Zosimus vel Erythrææ vel Epiroticæ Sibyllæ esse credidit. Mixta vero atque confusa omnia ibi fuisse fatetur ipse, quum oraculum istud diu quæsitum, ægre repertum a se narrat : Πολλὰς... χρησμῶν συναγωγὰς ἐνελίξας, μόλις ἐνέτυχον χρησμῷ τινι, κ. τ. λ. Nec absurdum est ad tales aliquas collectiones respexisse Servium, ita scribentem ad Æn. III, v. 445 : « Sane sciendum omnia responsa « Sibyllæ plus minusve centum contineri sermonibus. » Et ad Æn. VI, v. 43 : « Responsa enim Sibyllæ in hoc [Virgilii] loco plus minus « centum sermonum sunt. Inveniuntur tamen Apollinis elogia [an « potius, Sibyllina logia?] et viginti quinque et trium sermonum », ubi pro ultimis verbis legendum videtur « c et xx quinque vel trium « sermonum », quanquam e corrupto admodum textu sententia omnino certa erui nequit.

Utique quinto sextove post Christum sæculo tales Sibyllinorum collectiones nondum prorsus hominum manibus excidisse vel ex allatis supra testimoniis satis patet. Sed, crescente in dies novæ religionis

dominatione, sensimque redacta ad pauciores, deinde omnino sublata veterum oraculorum veneratione, quum ne christianis quidem Sibyllinis fides integra mansisset, omnes demum illæ mendaciorum farragines communi fato absorptæ sunt. Quod nos admonet ut Sibyllinæ auctoritatis decrementa, altius repetito rerum ordine, prosequamur.

Quantacumque primis illis temporibus, de quibus in Excursu priore, cap. 2, diximus, Erythrææ Sibyllæ fuerit fama, obfuit ei quod minime vitari poterat, cognatio quædam et similitudo cum ceteris vatibus, non tam feminis, quæ in hoc genere paucæ priscis illis Atheniensibus innotuerunt, quam viris, qui μάντεις et χρησμῳδοί vulgo vocitabantur, quique olim artis raritate insignes quum fuissent, post ipso numero eviluerunt, præsertim ubi non jam sua, sed antiquiorum prophetarum oracula venditare cœperunt, ob hoc χρησμολόγοι dicti. Quorum præcipui apud Athenienses habebantur, Eumolpus Thrax, non suis tamen, sed Musæi carminibus notus; Musæus ipse Atheniensis; Bacis Bœotus (alii Arcadem, alii Atheniensem fuisse volunt, quidam tres Bacides patria diversos); Glanis, frater Bacidis, nisi tamen hic ab Aristophane per lusum confictus est: antiquissimi illi; et qui inter juniores numerandi sunt, Euclus sive Euclous Cyprius; Lysistratus Atheniensis; Amphilytus, Atheniensis et ipse, ex Acharnis Atticæ pago, Pisistrato suppar: noti plerique ex Herodoto et Pausania. Sed post illos coryphæos non defecit æmulorum longus ordo, quum vel belli Peloponnesiaci tempore citentur ab Aristophane, tanquam adhuc vivi et clari, vates quidam seu χρησμολόγοι: Hierocles Oritanus, hic quidem e comœdia tantum notus; Lampo, Diopithes, hi vero etiam ex historiis, quippe qui publicis rebus interfuisse narrentur, Lampo apud Thuc. lib. III, § 19; Diopithes apud Plutarchum in Pericl. t. I, p. 654, et in Lysandr. t. III, p. 48, ed. Reisk.

Principem omnium Musæum videmus tanta apud Athenienses gratia floruisse, ut ejus carmina, quæ magnam partem fatidica fuere, Pisistrati jussu in unum corpus collecta sint ab Onomacrito, isque propter interpolatum illis oraculis unum fortasse versum de vicinis Lemno insulis mari aliquando demergendis, ab Hipparcho, Pisistrati filio, damnatus exsilio fuerit, Herodot. lib. VII, § 6: quod adeo non vatum fidem infregit, ut idem Herodotus Musæi, Bacidis aliorumque talium virorum oracula proferre ac laudare nunquam desinat, Sibyllæ interim et Sibyllinorum, quod mireris, immemor.

Quum vero populus Atheniensis mira credulitate omnes hujusmodi præstigias exciperet, cœperunt homines ambitiosi et factiosi hoc partium instrumento abuti; atque ubi experientia compertum fuit posse artem vaticinandi simul ad quæstum prodesse, simul ad famam,

mirum quantum luxuriaverunt Athenis oracula omne genus, præsertim vero ad rem politicam pertinentia: quorum auctores interdum, si sibi fidentiores essent, suo ipsi nomine; interdum, idque sæpius, sub antiquiorum vatum nominibus, Sibyllæ præsertim et Bacidis, commenta sua proferebant. Inde non cessat Aristophanes fatiloquia ista populo ridenda, licet incassum, propinare. Totus huc spectat Hieroclis cum Trygæo dialogus in Pace, v. 1046, sqq., ed. Brunck; item Pisthetæri cum Chresmologo in Avibus, v. 959, sqq.; item Cleonis cum Demo, id est, cum ipso populo Atheniensi, ad quem venit publicus assentator fasciculum ferens oraculorum, Eq. v. 997, sqq.:

ΚΛ. Ἰδοὺ θέασαι, κοὐχ ἅπαντας ἐκφέρω.
ΔΗΜ. Ταυτὶ τί ἐστι;
ΚΛ. Λόγια.
ΔΗΜ. Πάντ';
ΚΛ. Ἐθαύμασας;
Καὶ, νὴ Δί', ἔτι γ' ἐμοὔστι κιβωτὸς πλέα.
ΔΗΜ. Φέρ' ἴδω, τίνος γάρ εἰσιν οἱ χρησμοί ποτε;
ΚΛ. Οἱ 'μοὶ μέν εἰσι Βάκιδος....
ΔΚΜ. Εἰσὶν δὲ περὶ τοῦ;
ΚΛ. Περὶ Ἀθηνῶν, περὶ Πύλου,
Περὶ σοῦ, περὶ ἐμοῦ, περὶ ἁπάντων χρημάτων.

Porro conjectorum in falsarios tum viventes, atque inde etiam in antiquos vates, dicteriorum, aliquid in Sibyllam redundare necesse fuit. Nam in istis falsis vaticiniis multa quoque tanquam Sibyllina ferebantur, unde apud eumdem Aristophanem senex Demus talibus rhapsodiis inhians σιβυλλιᾷν dicitur, Eq. v. 61:

Ἄδει δὲ χρησμοὺς, εἶθ' ὁ γέρων σιβυλλιᾷ,

id est, interprete Scholiasta, χρησμοὺς φαντάζεται: et Hierocles hariolus ad Trygæum parodias aliquas oraculorum in se retorquentem, Pac. v. 1095:

Οὐ μετέχω τούτων, οὐ γὰρ ταῦτ' εἶπε Σίβυλλα,

et rursus Trygæus ad eumdem, v. 1116:

Τὴν Σίβυλλαν ἔσθιε.

Sibyllam itaque et Bacidem conjungere amat Aristophanes, iisdemque prosequi dicteriis. Quare ut alicubi βακίζω dixit, in Pace, v. 1072:

Ἐξώλης ἀπόλοι', εἰ μὴ παύσαιο βακίζων,

miramur si non in aliqua nunc deperdita comœdia σιβυλλίζω quoque finxerat, unde dicti postea σιβυλλισταί. Certe σιβυλλιᾷν supra invenimus. Quæ tamen comicorum ludibria non obfuerunt quominus sub illud ipsum tempus aut paulo post, philosophorum coryphæus Plato, e Socratis persona loquens, plane ad vulgi mentem assereret Sibyl-

lam et alios similes vates multa prædixisse ad civitatum populorumque utilitatem valde opportuna; qua de re ipsa sunt ejus verba, in Phædro, p. 124, ed. Steph. : Τὰ μέγιστα τῶν ἀγαθῶν ἡμῖν γίγνεται διὰ μανίας, θείᾳ μέντοι δόσει δεδομένης... καὶ ἐὰν δὴ λέγωμεν Σίβυλλάν τε καὶ ἄλλους, ὅσοι μαντικῇ χρώμενοι ἐνθέῳ, πολλὰ δὴ πολλοῖς προὔλεγον εἰς τὸ μέλλον ὀρθῶς, μηκύνοιμεν ἂν δῆλα παντὶ λέγοντες. Item in Menone, p. 99, fatidicos et vates laudat, χρησμῳδούς τε καὶ θεομάντεις, tanquam præclare sæpe de republica meritos ideoque pro divinis et sanctis habendos : Καὶ γὰρ οὗτοι λέγουσι μὲν ἀληθῆ καὶ πολλά, ἴσασι δὲ οὐδὲν ὧν λέγουσιν... Οὐκοῦν, ὦ Μένων, ἄξιον τούτους θείους καλεῖν τοὺς ἄνδρας, οἵτινες νοῦν μὴ ἔχοντες πολλὰ καὶ μεγάλα κατορθοῦσιν; Confer hæc imitantem Aristidem, Orat. Platon. I, pag. 13, ed. Dind. Quæ etsi de fatidicis omnibus dicta, tamen ad Sibyllam præsertim referenda esse censuit Justinus Martyr, Cohort. ad Gr. § 37 : Δοκεῖ δέ μοι τοῖς ταύτης [τῆς Σιβύλλης] χρησμοῖς ἐντυχὼν ὁ Πλάτων τοὺς χρησμῳδοὺς ἐκθειάζειν. Ἑώρα γὰρ τὰ ὑπ' αὐτῆς πάλαι προειρημένα ἔργοις πληρούμενα, καὶ διὰ τοῦτο θαυμάσας ἐν τῷ πρὸς Μένωνα λόγῳ αὐταῖς λέξεσιν ἐπαινεῖ τοὺς χρησμῳδούς. Justino libenter assentimur : nec est quod multum fortasse miremur illam erga Sibyllam ceterosque divinos fiduciæ ostentationem in Platone, rhetoris interdum non minus quam philosophi partes agente. Adde quod hæc loquentem inducit Socratem, quem alias ostendit Genio suo credentem ab eoque de futuris se rebus admoneri jactitantem, imo sub vitæ suæ exitu vaticinantem ipsum, in Apolog. § 30 : Τὸ δὲ δὴ μετὰ τοῦτο ἐπιθυμῶ ὑμῖν χρησμῳδῆσαι.. καὶ γάρ εἰμι ἤδη ἐνταῦθα ἐν ᾧ μάλιστ' ἄνθρωποι χρησμῳδοῦσιν, ὅταν μέλλωσιν ἀποθανεῖσθαι.

Ceterum diu etiam post illud tempus mansisse apud Græcorum vulgus Sibyllarum non famam modo, sed et venerationem ac fidem, testes sunt Athenaïs Erythræa sub Alexandro Magno, Phaënno seu Phaënnis sub Lysimacho Thraciæ rege, nomen vel speciem Sibyllarum affectantes : confer Exc. I, cap. 2, p. 21, et cap. 6, p. 48. Neque enim istæ vanum nomen, sine gratia et auctoritate, tantopere exquisivissent. Sit etiam argumento Alexandrinorum in Troade cum Erythræis contestatio, de qua nos multa in Exc. I, cap. 3, et auctus sub eadem fere tempora, urbium æmulatione, Sibyllarum numerus. Quin et Romanos quoque optimates pseudo-Sibyllinis Græcorum vatum mendaciis nimiam fidem tribuisse, Plutarchus ostendit in Marii vita, sub initia belli civilis, Octavium consulem a Chaldæis et sacrificulis et sibyllistis circumventum fuisse narrans, t. II, p. 885, ed. Reisk. : Ὀκτάβιον δὲ Χαλδαῖοι καὶ θύται τινὲς καὶ σιβυλλισταὶ πείσαντες ἐν Ῥώμῃ κατέσχον. Quumque in Ciceronis vita, § 17, p. 780,

Lentulum Suram inducit oraculis inhiantem quæ falsi vates versibus conficta canebant, ψευδομάντεις καὶ γόητες ἔπη πεπλασμένα καὶ χρησμοὺς ᾄδοντες, videtur nobis ibi quoque Sibyllistas non nominare quidem, sed aperte designare. Idem postea nomen Christianis ab inimico Celso per ludibrium imponi videbimus.

Sane tum præcipue repullulasse censemus Sibyllinam poesim, quum exustis civili bello fatalibus Romanorum libris, Senatus decreto per græcas urbes Italiæ, Siciliæ atque Asiæ conquisitum est quidquid illorum carminum supererat, uti pluribus in Excursu proximo docebimus. Tunc enim et vetera exemplaria multa e tenebris erui, et multa recens conficta veteribus addi, res ipsa tulit. Deinde vero in tantum crevit illorum numerus, ut Augustus et Tiberius gravissimis edictis istam malæ segetis luxuriam coercere conati sint, uti ibidem ostendemus. Frustra illi quidem, depugnantibus, uti solent, adversus leges moribus; sed tamen nemo nobis persuadebit non multum ex eo tempore depressam fuisse, sive ipsius rei abusu, sive remediis publicis, totius fatidicæ poeseos existimationem. Itaque quoties postea laudatum apud Græcos Sibyllæ nomen invenimus, præsertim quum Sibyllæ et Bacidis nomina conjunguntur, videntur nobis laudatores, sophistarum more, magis usitatas veteribus Atticis dicendi formulas ad ornatum sermonis adhibere quam propriam sibi sententiam effari. Sic Plutarchus, de Mulierum Virt. t. VII, p. 32 : Εἰ δὲ τὰ Σιβύλλης λόγια τοῖς Βάκιδος ἀντιπαραλλάττοιμεν, ἕξει τις αἰτιάσασθαι δικαίως τὴν ἀπόδειξιν. Et Dio Chrysost., orat. XXX, περὶ ψυχῆς, sub finem : Ταυτὰ δὲ ταῦτα καὶ Σίβυλλαν εὑρήσετε μαντευομένην καὶ Βάκιν, εἴπερ ἀγαθὼ χρησμολόγω καὶ μάντιε ἐγενέσθην. Et idem, orat. XXXV, post initium : Οὐδ' ἂν ἀληθέστερα λέγω Σιβύλλης καὶ Βάκιδος. Et Aristides in oratione Platonica jam cit. : Οἷον, εἰ βούλει, Βάκις, Σίβυλλα, ἕτεροι μετὰ τούτων. Quemadmodum fere, diu satis ante illos, Ciceronem non de suo locutum, sed ad Platonis vel Atticorum exemplum composuisse se putamus, ubi ait, de Divin. lib. I, § 18 : « Carent arte ii qui non ratione aut conjectura observatis ac notatis « signis, sed concitatione quadam animi aut soluto liberoque « motu futura præsentiunt,... ut Bacis Bœotius, ut Epimenides « Cres, ut Sibylla Erythræa. » At non sic, ubi receptæ tantum de Sibyllis traditiones exponuntur, ut a Plutarcho de Pyth. resp., et Pausania, Phoc. locis sæpe cit. Ibi enim auctores isti eruditorum partes agunt, non sophistarum aut rhetorum. Literis consignant, vera necne, credentes necne, ea quæ vel ante se scripta de hoc argumento invenerant, vel e singulorum locorum vulgari fama acceperant; quibus vel eo nomine grates maximas haberi æquum est;

neque enim sine illis quidquam de privata Sibyllarum historia rescissemus.

Phlegontem de industria omittimus, hominem inepte credulum et circa oracula præsertim insanientem; unde nihil mirum, si Sibyllarum admirator et laudator summus exstitit. Is autem venia omnino caret, quod homo circa rem chronologicam exercitatissimus, non modo nihil de singularum Sibyllarum ætate definierit, sed etiam Sibyllina diversissima minime distinxisse videatur; ita ut nullo discrimine nunc Erythræi carminis, nunc oraculorum apud Romanos editorum fragmenta proferat, nobis partim in hujus Excursus, partim in sequentis appendicem rejicienda.

Erat autem Phlegontis et Pausaniæ tempore causa non sane nova, sed tum gravissima, quæ Sibyllinis apud gentiles multum de reliqua auctoritate detrahere debuerat. Quippe tum maxime increbuerant judaïca seu christiana Sibyllina, ad profanorum quidem imitationem composita, sed publicis infensa religionibus, maximisque adversus ethnicos Deos conviciis plena. Quæ non semper a ceteris Sibyllinis, diverso licet ingenio consilioque scriptis, secernere facile fuit, ita in iis vera falsaque, nova et antiqua, gentilia interdum et gentilibus adversa commixta erant. Itaque Celsus ipse apud Origen. VII, § 56, quamvis acuti vir ingenii, oppositam sibi nostrorum Sibyllinorum auctoritatem facetiis eludere satius duxit quam omnino detrectare; neque ea carmina prorsus tanquam falsa rejecit, sed tanquam a Christianis (quos Sibyllistas ipse vocat) interpolata, suspicionis nota signavit : confer de hac re nostrum Exc. IV. At vel ideo quod, fatentibus paganis, difficile erat in hoc genere carminum vera et falsa discernere, a dubiis ad universa suspicio pertendebat.

Neminem vero credimus apud æquales suos Sibyllinorum ceterorumque oraculorum famæ plus nocuisse quam Lucianum, Celsi amicum, pariterque cum illo adversus omnes superstitiones, quo nomine paganas christianasque religiones confundebat, hostem semper armatum infensissimum. Is enim in Alexandro Pseudo-propheta, et in Morte Peregrini non cessavit dicteriis salsissimis falsos sui temporis vates exagitare; quoque illos magis ridendos traduceret, parodias iis affinxit oraculorum, Sibyllinis antiquis novisque simillimas, neque Aristophaneis inferiores, nisi et aliquando propius ad verum accedentes; quarum specimina in fine hujus Excursus proponentur. Quæ sane legentium animos, illis maxime temporibus ad fastidium rerum divinarum inclinatos, non mediocriter impellebant : unde suspicamur, secundo jam sæculo desinente aut tertio incipiente, fidem oraculorum Sibyllinorum apud gentiles, etiam qui religionis

suæ studium cautissime simulabant, eviluisse pridem atque obsorduisse.

Quarto tamen vel insequente sæculo, philosophi qui vulgo Neoplatonici vocantur, ut erant arcanarum abstrusarumque religionum cupidi investigatores, Socratis etiam aut Platonis magistri sui credulam erga divinos fiduciam imitantes, insuper vero deficientis paganismi superstitem quamlibet favillam refovere et excitare quocumque modo certantes, rursus cœperunt Sibyllæ dudum neglectæ laudes decantare: Erythræam scilicet præcipue intelligebant, cujus unius mentionem apud ipsos invenimus. Quanquam non videmus eos tam libenter Sibyllina citasse oracula quam Zoroastrea et Orphica, aliaque ejusdem farinæ figmenta, quæ, doctrinæ suæ magis faventia et pleraque a suis conficta, pro veris accipi volebant; sed ad Sibyllæ Erythrææ natales ineptasque de ejus infantia fabulas, tanquam divinæ et Apollineæ mentis argumenta, palam provocant Hermias in Phædrum et, ex ejus haud dubie fide, Proclus in Timæum, locis apud nos citatis in Exc. I, cap. 2.

Hæc fere fuerunt ultima Sibyllarum encomia, depereuntis ethnicæ religionis ultimo quasi halitu efflata, quæ mox cum ipsis Neoplatonicorum scholis, Justiniano regnante, conticuerunt, ut deinde per totum medium ævum nulla fere Sibyllarum mentio apud Græcos fieret. Apud Latinos autem memoria illarum, Lactantii ope servata, prorsus in aliam viam abierat, ut prope ex ethnicis christianæ refingerentur, non aliter quippe cognitæ quam Lactantianis fragmentis, id est, quibusdam Sibyllinorum librorum a nobis editorum laciniis, id quod fusius infra demonstrabitur in Exc. IV.

Satis hinc eliquet cur tam parum ac prope nihil de tot profanis Græcorum Sibyllinis ad nos pervenerit. Quas tamen illorum reliquias colligere potuimus, servato rerum ordine ad quas respicere visæ sunt (plerasque enim sub ipsis factis vel post ipsa facta prodiisse palam est), in appendicem ad hunc Excursum conjecimus; additis feminarum vaticiniis quæ pro Sibyllis aliquando haberi voluerunt, vatumque etiam virorum quorum oracula vel fragmenta aliqua supersunt; additis insuper Aristophanis et Luciani parodiis, quarum comparatione certior ac plenior notitia Sibyllinæ poeseos a curioso harum rerum lectore percipi possit. Hæc omnia cum sua interpretatione latina cumque annotatione nostra jam post hunc excursum prodibunt. Oracula vero quæ non e Sibyllarum aut vatum suo nomine prophetantium ore, sed e tripode vel ex adyto Deorum prolata, passim apud auctores reperiuntur, consulto prætermisimus, ut pote ab instituto nostro aliena: quorum si quis desiderium ægre

tulerit, adeat non plenam, sed copiosam eorum syllogen in Opsopœi libro qui vulgo Sibyllinis ab ipso editis annecti solet, hoc titulo : « Oracula metrica Jovis, Apollinis, Hecates, Serapidis et aliorum « deorum et vatum, a Joanne Opsopœo collecta, Parisiis, 1599, 8°. » Item pseudo-Orphica et pseudo-Zoroastrea fragmenta, nonnunquam a sanctis Ecclesiæ patribus, sæpius vero a Neoplatonicis laudata, et quidem plerumque sine auctorum nomine, λόγια, unde aliquando cum Sibyllinis confundi potuerunt, ne quis apud nos quærat : sunt enim aliunde petenda, Orphica nempe ex Hermanni præclara editione, Lips. 1805; Zoroastrea vero ex obsoleta jam nec satis integra, minime tamen contemnenda, Patricii collectione, haud semel recusa, optime vero Johannis Clerici curis ad calcem Thom. Stanleii, Hist. philos. orient., Amst. 1690, in-8°.

APPENDIX AD EXCURSUM II.

Sibyllinorum apud Græcos profanos oraculorum fragmenta quæ hodie supersunt.

ΕΚ ΤΩΝ ΤΗΣ ΕΡΥΘΡΑΙΑΣ [1].

Ὦ Δελφοὶ [2], θεράποντες ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος,
Ἦλθον ἐγὼ χρήσουσα Διὸς νόον αἰγιόχοιο,
Αὐτοκασιγνήτῳ κεχολωμένη Ἀπόλλωνι.
. . . .
Ἡροφίλη [3].
. . . .
Ἄρτεμις [4].
. . . .

Καλεῖ [5] δὲ οὐχ Ἡροφίλην μόνον, ἀλλὰ καὶ Ἄρτεμιν ἐν τοῖς ἔπεσιν αὐτὴν, καὶ Ἀπόλλωνος γυνὴ γαμετὴ, τότε δὲ ἀδελφὴ, καὶ αὖθις θυγάτηρ φησὶν εἶναι.

. . . .
Εἰμὶ [6] δ' ἐγὼ γεγαυῖα μέσον θνητοῦ τε θεᾶς τε,
Νύμφης δ' ἀθανάτης, πατρὸς δ' αὖ κητοφάγοιο,
Μητρόθεν Ἰδογενής· πατρὶς δέ μοί ἐστιν ἐρυθρὴ [7]
[Μερμησσὸς [8], μητρὸς ἱερὴ, ποταμὸς δ' Ἀϊδωνεύς.]
. . . .

Ἡ Ἐρυθραία [9] Σίβυλλα φάσκουσα ἑαυτὴν. . . . . γενέσθαι ἱέρειαν τοῦ Ἀπόλλωνος, διάδημα ἐπίσης τῷ θρησκευομένῳ ὑπ' αὐτῆς θεῷ φοροῦσα, καὶ τὸν τρίποδα, περὶ ὃν ὁ ὄφις εἱλεῖτο, περιέπουσα.

. . . .

Καὶ Ἑλένην τε [10] προεδήλωσεν ἐν τοῖς χρησμοῖς, ὡς ἐπ' ὀλέθρῳ τῆς

1. De Erythræa Sibylla confer præcipue nostrum Excursum I, cap. 2 et 3 : de ejus vero carmine, ibid. cap. 2, et hunc Exc. II sub initia.

2. E Clemente Alexandrino, Strom. I, p. 384, ed. Ox. Illud ad Delphos exordium fuit olim causa nonnullis ut totum carmen Sibyllæ cuidam Delphicæ ascriberent, atque inde fortasse omnium de illa vate fabularum origo repetenda est. Confer Exc. I, cap. 5.

3. E Pausania, Phocic. § 12. Nomen hoc Erythrææ Sibyllæ proprium, ipsa teste, fuit, unde et apud auctores frequentissimum : confer Exc. I, cap. 2.

4. E Pausania et Clemente, locis supra citatis : cfr. Exc. I, cap. 2 et 5.

5. E Pausania, loc. cit. At in fragmentis superstitibus sororem quidem Apollinis se dicit (confer fragm. I), minime vero conjugem aut filiam. Hæc, ut ipse monet Pausanias, a Sibylla tanquam furente jactata, fortasse deperditis nunc locis inerant, et in lacunis hujus carminis demersa latent.

6. E Pausania, loc. cit. Legitur etiam

APPENDIX AD EXCURSUM II.

Fragmentorum e Sibyllinis græcis adductorum interpretatio latina.

EX ERYTHRÆO CARMINE.

O Delphi, quibus ipse præest jaculator Apollo,
Veni ad vos, mentem Jovis expositura potentis,
Ausa gravi rixa Phœbo contendere fratri.

. . . .

Herophila...

. . . .

Artemis [sive Diana].

. . . .

Vocat autem se in carminibus suis non Herophilam modo, sed et Artemin, et Apollinis se uxorem, interdum sororem, rursus vero filiam jactat esse.

. . . .

Inter utrosque sequor medium, Divosque hominesque,
Nympha immortali sata piscivoroque parente.
Idæum genus est matris; mihi patria rubra est
Marpessus, matri sacrata, amnisque Aïdoneus.

. . . .

Sibylla Erythræa jactans se ministram fuisse Apollinis, diadema gestans, eodem nempe, quo suus ipse Deus, ornatu, et tripodem serpente intortum ambiens.

. . . .

Helenam in oraculis suis prædixit educatum iri Spartæ in Asiæ

primus versus apud Proclum in Tim., p. 791, ed. Schneider, sed memoriter citatus in hunc modum: Εἰμὶ δ' ἐγὼ μέσση τε θεῶν μέσση τ' ἀνθρώπων. De fragmento confer Exc. I, cap. 2 et 3.

7. Erythræi legi jubebant in fine hujus versus 'Ερυθραί, et sequentem totum delebant: confer Exc. I, cap. 3.

8. Legendum, ut scriptum est a nobis Μερμησσός. Apud Pausaniam tamen Μάρπησσος codices omnes habent, et is videtur error ab auctore ipso manasse Latini *Marmessum* (pro quo male codd. *Marpessum*) plerique scribebant, inque iis Varro apud Lact. Confer Exc. I, c. 3.

9. Ex oratione Constantini ad sanctos, cap. 18. Quod si vero in Erythræo carmine hæc legebantur, non solum ergo venisse se Delphos canebat Erythræa, sed ibi Pythiæ quoque munere functam esse, quod nonnulli scriptores de Manto seu Daphne, Tiresiæ filia, Sibyllis ideo male conjuncta, tradiderunt. Confer Exc. I, cap. 2 et 5.

10. E Pausania loc. cit. Eodem respicit Varro apud Lact. loc. cit.

Ἀσίας καὶ Εὐρώπης τραφήσοιτο ἐν Σπάρτῃ, καὶ ὡς Ἴλιον ἁλώσεται δι' αὐτὴν ὑπὸ Ἑλλήνων.

. . . .

[Ἴλιον [11], οἰκτείρω σε, κ. τ. λ.]

. . . .

[Καί τις [12] ψευδογράφος πρέσβυς, κ. τ. λ.]

. . . .

[Λέσβιοι [13].] . . . . .

. . . .

Ἀλλὰ [14] τί δὴ πανόδυρτος ἐπ' ἀλλοτρίοισι πάθεσσι
Θέσφατα φοιβάζω, λυσσώδεα μοῖραν ἔχουσα,
Οἴστρου δὲ σφετέρου καταγεύομαι ἀλγινόεντος,
[Ἐννεάτῃ [15] γενεῇ] χαλεπὸν κατὰ γῆρας ἔχουσα,
Μαινομένη [16] μὲν ἐνὶ θνητοῖς, καὶ ἄπιστα λέγουσα,
Πάντα δ' ὑπὲρ προϊδοῦσα βροτῶν δυσανάσχετα κήδη.
Καὶ τότε μοι φθονέσας [17] Λητοῦς ἐρικυδέος υἱὸς
Μαντοσύνης, παθέων δὲ κατοικ[τίσσας] ὀλοὸν κῆρ,
Ψυχὴν ἐκλύσει δεσμευομένην ἐνὶ λυγρῷ
Σώματι, σαρκο[λιπῆ [18] δι]οϊστεύσας γεγα[υῖαν] [19].
Ἔνθ' ἄρα μοι ψυχὴ μὲν ἐς ἠέρα π[ω]τηθεῖσα [20],
Πνεύματι συγκραθεῖσα, βροτῶν εἰς οὔατα πέμψει
Κληδόνας ἐν πυκινοῖς αἰνίγμασι συμπλεχθείσας.
Σῶμα δ' ἀεικελίως ἄταφον πρὸς μητέρος αἴης
Κείσεται· οὐ γάρ τις θνητῶν ἐπὶ γαῖαν ἀμήσει,
Οὐδὲ τάφῳ κρύψει· κατὰ γὰρ χθονὸς εὐρυοδείης
Δύσεται αἷμα μέλαν τερσαινομένοιο χρόνοιο·
Ἔνθεν δὴ πολλῆς ἀναδύσεται ἔρνεα ποίης,
Ἣ καταβοσκομένων μήλων εἰς ἤπατα δῦσα,
Ἀθανάτων δείξει βουλεύματα μαντοσύνῃσι.
Σαρκῶν δ' ὄρνιθες [πτερο]είμονες [21] αἶψε πάσωνται,

11. E nostris Sibyllinis, lib. III, v. 414, sqq. Aperte hoc fragmentum cum priore concinit, nec tamen sine injuria omitti posse visum est.

12. E nostris Sibyllinis, lib. III. v. 419, sqq. Latina autem interpretatio Lactantii est, tanquam ex Varronis fide.

13. Vox Λέσβιοι græce de nostro addita est : latina sunt e Solino, cap. 2.

14. E Phlegonte, de Longævis cap. 4. Confer omnino Exc. I, cap. 2.

15. Cod. ἐκνεάομεν ἀεί. Volebat Vossius ἐννέα μὲν γενεαῖς, sed μὲν proxime sequitur. Gallæus recte, ἐν δεκάτῃ γενεᾷ (ubi nos magis ionice, γενεῇ), favente ipso Plethonis commentario : Διὰ τούτου τοῦ χρησμοῦ ἀποδείκνυται δέκα γενεὰς αὐτὴν κατ ἀνθρώπους γεγονέναι, id est, hoc oraculo significatur Sibyllam istam decem ætates inter homines exegisse; quod idem fere supra dixerat : Σίβυλλα ἡ Ἐρυθραία ἐβίωσεν ἔτη ὀλίγον ἀποδέοντα τῶν χιλίων, ὡς αὐτή φησιν.

16. Videtur hinc sumptum quod legitur in epilogo libri III Sibyllinorum nostrorum, v. 814 sq. : Φήσουσι Σίβυλλαν μαινομένην ψεύστειραν.

17. Invidiæ hujus causa quæsita est

Europæque perniciem, ejusque causa fore ut Ilium a Græcis everteretur.

. . . .

« Et perituram esse Trojam. »

. . . .

« Et Homerum mendacia scripturum. »

. . . .

« Lesbios amissuros maris imperium. »

. . . .

Sed quid luctificis aliena incommoda verbis
Vaticinor, rabie fatali percita mentem,
Et proprii stimulis infelix torqueor œstri,
Ætatis nonæ senium jam passa malignum,
In medioque furens hominum, nec credita cuiquam,
Intoleranda canens venturis fata diebus.
Idcirco magnus Latonæ filius, artis
Invidia, fors et luctum miseratus acerbum,
Corporeis animam vinclis, heu! sera morantem,
Eripiet, jaculo figens exsanguia membra.
Hinc anima in tenues auras diffusa feretur,
Mixtaque cum ventis, hominum portabit ad aures
Præsagos rerum sonitus atque omina cæca.
At corpus matrem supra deforme jacebit
Tellurem : neque enim quisquam mandare sepulcro
Injectave volet miseram me condere arena.
Ergo mihi tellus bibet arida sanguinis imbrem;
Hinc multas variasque dabit fecundior herbas,
Unde jecur pecudum subiens vis certa futuri
Consilia ostendet terris arcana deorum;
At volucres plumis agiles, mea viscera pastæ,

in Excurs. I, cap. 2, neque aliter videtur intelligenda quam ob communem vaticinandi artem. Sed nihilominus proximo versu sororis afflictæ miserebitur frater, κατοικτίσσας ὀλοὸν κῆρ, quod satis quadrat cum exordii v. 3.

18. Cod. σαρκοτυπίδι ὀϊστεύσας. Sed Vossius et Gallæus emendaverunt. Deest in lexicis aliud exemplum adjectivi σαρκοτυπής, decrepiti corporis sensu, pro quo vide an magis placeat σαρκοτακής, ex hymno Procli in Minerv. v. 44.

19. Cod. in versus fine γεγάϊον, ubi medelam omnes viderunt.

20. Cod. πιστηθεῖσα : nec videmus quemquam hoc barbarismo offensum fuisse. Legendum tamen omnino πωτηθεῖσα volandi sensu, ut in Babrii fabula apud Suidam : Ἀγροῦ χελιδὼν μακρὸν ἐξεπωτήθη. De sequenti hemistichio, ἀέρι συγκραθεῖσα, confer infra not. 23.

21. Cod. πετροείμονες sine sensu, pro quo edd. πετροδείμονες, item sine sensu. Melius sane Schneid. in Lexico, πετροδύμονες, præeunte Xylandri interpretatione. Sed et hoc nihili est; unusque optime locum restituit qui primus (Bastius, ut opinamur) πτεροείμονες legit.

Μαντοσύνην θνητοῖσιν ἀληθέα ποιπνύουσι.

. . . .

῞Υμνησεν [22] ἑαυτὴν ὡς οὐδὲ ἀποθανοῦσα λήξει μαντικῆς, ἀλλ' αὐτὴ μὲν ἐν τῇ σελήνῃ περίεισι τὸ καλούμενον φαινόμενον γενομένη πρόσωπον, τῷ δὲ ἀέρι τὸ πνεῦμα συγκραθὲν [23] ἐν φήμαις ἀεὶ φορήσεται καὶ κληδόσιν. ἐκ δὲ τοῦ σώματος, κ. τ. λ.

ΕΚ ΤΩΝ ΤΗΣ ΣΑΜΙΑΣ [1], ΩΣ ΔΟΚΕΙ.

Ἐξ Ἰάδος [2] χώρης ἥξει [σοφὸς] Ἰταλίδησιν.

ΕΚ ΤΩΝ ΤΗΣ ΣΑΡΔΙΑΝΗΣ [3].

Ὦ [4] μέλεοι, τί σπεύδεθ' ἃ μὴ θέμις· οὐ γὰρ ἐάσει
Ζεὺς ὕπατος, Φοῖβός τε, καὶ ὁ κλυτὸς Ἀμφιάραος.
Ἀλλά γ' ἐμῶν ἐπέων πείθεσθ' ἀψευδέσι χρησμοῖς,
Μὴ κακὸν οἶτον ὄλοισθε παρὲκ θεοῦ ἀφραίνοντες.

ΕΚ ΤΩΝ ΤΗΣ ΑΙΓΥΠΤΙΑΣ [5].

Μνασαγόρα [6] πολύνικε, [μεγακλεὲς, ὦ στεφανῖτα].

ΕΚ ΤΩΝ ΤΗΣ ΚΥΜΑΙΑΣ [7], ΚΑΤΑ ΤΙΝΑΣ.

. . . .
. . . .
. . . .

22. E Plutarcho, de Pythiæ resp. p. 566, ed. Reisk., ubi hæc palam ex hoc ipso, quem nunc in manibus habemus, afferuntur epilogo. Sed de vultu Sibyllæ in faciem lunæ converso nihil apud Phlegontem, cetera tradentem. Aliquid igitur Phlegon omisit, quod necessario in carminis fine olim positum fuit, et quidem, Plutarcho licet aliud innuente, post ea quæ modo lecta sunt, nisi nos fallit ordo sententiarum. Utique memoratum hoc idem invenitur non a Plutarcho tantum, hic et de Sera Num. Vind., p. 240, sed etiam, licet obscurius, ab Antonio Diogene apud Phot. cod. 166: confer Exc. I, cap. 2.

23. Verba, τὸ πνεῦμα συγκραθέν, et quæ sequuntur, non tam Plutarchi sunt quam ipsius Sibyllæ: Confer supra, not. 20.

1. De Samia Sibylla confer Exc. I, cap. 4.

2. Ex Heracliti seu potius pseudo-Heracliti epist. ultim. ad Hermodorum. Nec videtur ab epistolographo confictus hic esse versus, sed ex antiquiore carmine desumptus; an Samiæ, quoniam de Samio argumento?

2. Scriptum hoc fuisse patet de Pythagora, qui Samius ipse, ideoque ad Ioniam pertinens, Italiæ novam invexit philosophandi rationem. At hunc versum in falsa epistola Heraclitus ad Hermodorum suum adulatorie transfert his verbis: Σίβυλλα ἐν πολλοῖς καὶ τοῦτο ἐφράσθη, ἐξ Ἰάδος χώρης ἥξειν Ἰταλίησι [sic, absente vocabulo σοφός]. Εἶδέ σε πρὸ τοσούτου αἰῶνος, Ἑρμόδωρε, ἡ Σίβυλλα ἐκείνη, καὶ τότε ἦσθα. Ἐφέσιοι δὲ οὐδὲ νῦν βούλονται ὁρᾶν, ὃν διὰ θεσφορουμένης γυναικὸς ἀλήθεια ἔβλεπε. Σοφὸς μεμαρτύρησαι, Ἑρμόδωρε· Ἐφέσιοι δὲ ἀντιλέγουσι θεοῦ μαρτυρίᾳ. Ex istis, σοφὸς μεμαρτύρησαι, patet vocem σοφός recte in textum illatam esse, quæ aberat e manuscripto, metrique et sensus causa desiderabatur. In fine autem legendum vel Ἰταλίδησιν, quod nobis placet, vel Ἰταλιεῦσιν vel etiam Ἰταλίεσσι, quarum

Exin fatidico cantu ventura docebunt.

. . . .

Cecinit se ne mortuam quidem vaticinari desituram, sed in ipso lunæ sidere circumituram orbem terrarum, vultus illos, quos vocant apparentes, populis ostendentem : quum interim spiritus, ventis commixtus, omina et præsagia circumlaturus sit; e corpore autem, etc.

E SAMIÆ SIBYLLÆ ORACULIS ?

Ausoniis veniet sapiens ab Ionide terra.

E SARDIANÆ SIBYLLÆ ORACULIS.

Quid, miseri, in vetitum ruitis? non sic feret ingens
Jupiter aut Phœbus, non sic pius Amphiaraus.
Sed monitis parete meis, oracla secuti
Certa nimis, ne vos Divum gravis ultio tangat.

EX ÆGYPTIÆ SIBYLLÆ ORACULIS.

Mnasagora victor toties, tot amicte coronis.

E CUMANÆ, SECUNDUM QUOSDAM, ORACULIS.

« [Sibylla] quæ Cumana fuit, et sæcula per metalla divisit : dixit « etiam quis quo sæculo imperaret; et Solis ultimum, id est, decimum « voluit. Novimus autem eumdem esse Apollinem..... Dixit etiam finitis « omnibus sæculis, rursus eadem renovari. »

omnium formarum exempla in Sibyllinis nostris occurrunt. De versus ipsius origine confer Exc. I, cap. 4, ubi de Samia Sibylla agitur.

3. De Sardiana Sibylla, confer Exc. I, cap. 4.

4. E Nicolao Damasceno, in fragm. Peyresc., p. 454. Qui versus nec sane omitti a nobis potuerunt, nec tamen videntur satis apte hic poni : nusquam enim scripti feruntur a Sibylla, sed extemporanea voce effusi, quum Crœsus ad rogum duceretur, cui Sibylla auxilio affuit, si Damasceno fides. Ceterum totam hanc fabulam inepte confictam esse nemo non videt; versus tantum haud male concinnati vel a Damasceno, vel ab eo qui primus fabulam excogitavit. Amphiarai vero videtur huc inducta mentio, quod Crœsus illum vatem magno in honore habuisse tradatur apud Herodot. I, § 46 et 49.

5. De Sibylla Ægyptia, confer Exc. I, cap. 13.

6. Ductum hoc fragmentum ex Eustathio ad Odyss. μ, 63, auctorem citante Alexandrum Paphium. Δμασαγόραν illum Ægyptium, falsum Homeri patrem, noverat etiam Alcæus Messenius, qui ipsum, epig. 6, v. 4, Δμησαγόραν vocat. Totum deinde alterum hemistichium minus certum est, restitutum a nobis, ut licuit, ex Eustathii verbis citatis in Exc. I, pag. 80. De forma et accentu vocis μεγακλεὲς dubitavimus : forma tamen defenditur licentia poetica minime rara; nec accentus videtur, nisi in nominibus propriis, retrahendus. Certe vocativum περικλεὲς agnoscit H. Stephanus, sed incerto exemplo.

7. E Servio ad Eclog. IV, v. 4. Patet autem illum Cumanæ male tribuisse quæ ad aliam quamlibet Sibyllam sive ad recentius aliquod carmen vulgo pro Sibyllino habitum pertinere melius credidisset. Sed de hoc fragmento plura supra, pag. 107, sqq.

ΕΞ ΑΔΗΛΩΝ[1] ΣΙΒΥΛΛΕΙΩΝ.

A.

....

B.

Ἡ νῦν [2] Ἰταλία καλουμένη τῷ θεῷ τούτῳ [τῷ Κρόνῳ] ἀνέκειτο, Σατορνία πρὸς τῶν ἐνοικούντων ὀνομαζομένη, ὡς ἔστιν εὑρεῖν ἔν τε Σιβυλλείοις τισὶ λογίοις, κ. τ. λ.

Γ.

Τῆς δὲ [3] ἐπὶ Ἰταλίαν Αἰνείου καὶ Τρώων ἀφίξεως..... μηνύματα, Σιβύλλης τε λόγια, κ. τ. λ.

Δ.

Λέγει [4] δὲ [Ὅμηρος] ὅτι, Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει, καὶ παίδων παῖδες οἵ μετοπίσθεν γένωνται. Τοῦτο δὲ λέγεται διὰ τὴν τῶν Ῥωμαίων ἀρχὴν, ἥν, φασιν, εἰκὸς εἰδέναι τὸν ποιητὴν ἐκ τῶν τῆς Σιβύλλης χρησμῶν.

E.

Τριναχρίης [5] νήσου, ἣν ἔκτισε Τρίναχρος ἥρως,
Υἱὸς ποντομέδοιο Ποσειδάωνος ἄνακτος.

F.

Ἀρόη [6] τρίπυργος ἔσται εὐδαίμων πόλις.

Z.

Τὸν δὲ [7] ὑπὲρ τῆς καλουμένης Θυρέας Λακεδαιμονίων ἀγῶνα καὶ Ἀργείων, Σίβυλλα μὲν καὶ τοῦτον προεθέσπισεν, ὡς συμβήσοιτο ἐξ ἴσου ταῖς πόλεσιν.

H.

Καὶ [8] τότ' Ἀθηναίοισι βαρύστονα κήδεα θήσει
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, ᾧπερ κράτος ἐστὶ μέγιστον·

1. Sub hoc titulo comprehendimus Sibyllina fragmenta quæ passim apud auctores sine propria Sibyllæ alicujus designatione citata occurrunt : quorum pleraque ad Romanam spectant historiam, originis ideo recentioris manifesta, ac ne ad pseudo-Cumanam quidem Romanorum Sibyllam referri possunt. In iis vero fragmentis disponendis, ordinem rerum et temporum, ad quæ pertinere visa sunt, quantum licuit, servavimus. —Primum, quod latine tantum edidimus, Ammiani est Marcellini, lib. XXI, sub init., aperteque e profanis ductum Sibyllinis, non e nostris, in quibus nil tale reperitur, nisi huc trahas versum unum lib. VII, v. 157 : Τοὔνεκα πῦρ μ' ἔφαγεν καὶ βρώσεται, quod prorsus alio spectat.

2. E Dionysio Halic. I, § 34, videturque cum fragmento sequenti conjunctum olim fuisse. Potest autem ab antiquo carmine Erythræo profectum esse, quod, ut pote Græcis Italiæ coloniis posterius, fabulam jam continere potuit de Crono seu Saturno, aureæ ætatis in Italia rege. Ne tamen tam antiquum credatur hoc fragmentum, obstat latina vox potius quam græca Σατορνία, nisi in Sibyllino textu Κρονία fuit. Quid vero si Dionysii Sibyllina illa λόγια non alia sunt quam ipsum oraculi Dodonæi responsum ex antiqua traditione servatum ab eodem auctore, lib. I, § 19, deinde etiam a Macrobio aliisque :
Στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σατόρνιον αἶαν
Ἠδ' Ἀβοριγενέων, κ. τ. λ.
Quod, ut pleraque alia de Latii origini-

EX INCERTIS SIBYLLINIS.

I.

« Sibyllæ crebro se dicunt ardere, torreri vi magna flammarum. »

II.

Italia, quæ nunc dicitur, illi tum Deo sacra erat, et ex ejus nomine Saturnia ab incolis vocabatur, ut videre est in Sibyllinis quibusdam oraculis, etc.

III.

Adventum Æneæ ac Trojanorum in Italiam testantur Sibyllæ oracula, etc.

IV.

Dicit autem Homerus Æneam Trojanis imperaturum, neque ipsum modo, sed et filios e filiis nasciturος. Hoc ille nimirum propter Romanorum imperium, quod e Sibyllinis carminibus prænoscere potuerat.

V.

Insula Trinacria est, olim quam condidit heros
Trinacrus, ex ipso Neptuni sanguine cretus.

VI.

Aroe triturris urbs erit faustissima.

VII.

Certaminis autem quod de Thurea, sic vocata, Lacedæmonii Argivique decertaverunt, exitum prædixerat Sibylla parem utrique civitati futurum.

VIII.

Ac tum Cecropidis luctum gemitumque ciebit
Jupiter altitonans, rerum cui summa potestas:

bus, sero confictum a Græcis Italicis esse, nemo est qui dubitet.

3. Ex eodem Dionysio, I, § 49. Nec male annecteretur fragmentis Erythræis de Ilio capto, supra, p. 120.

4. Ex Eustathio ad Iliad. υ, 299. Quænam autem Sibyllina responsa hic innuat Eustathius incertum est, et fortasse pseudo-Cumanos Romanorum libros in animo habuit. Quanquam Æneæ posteros Τρώεσσιν ἀνάξειν, poterat in Erythræo quoque carmine prædictum legi, ut apud Homerum, Iliad. et Hymn. ad Vener. 197, sq., propter antiquitus vulgatam in Æolide Asiatica traditionem de Æneadis in urbe Scepsi regnaturis: confer Exc. I, cap. 3, pag. 25, sq.

5. E Stephano Byzantio, v. Τριναχρία. Habet hujus fragmenti partem Eustathius quoque ad Dion. Perieg. v. 473; sed is Τρίναχος ἥρως legit, et insulam ipsam Τριναχίην vocat. Uterque autem Sibyllæ, incertum cui, fragmentum hoc tribuit, cognatum fortasse cum supra lectis de Italia, fragm. III.

6. Ex Etymologico magno, sed valde suspectum. Confer supra, p. 109, sq.

7. E Pausania, Phoc. cap. 9. Videtur autem non ex antiquo Erythræo carmine depromptum esse, sed ex alio recentiore oraculo, qualia multa pro temporibus confingebantur. De bello Thyreatico confer Herodot. I, § 82.

8. E Pausania, Phoc. cap. 9. Innuitur prælium navale quo Athenienses ad Ægos-Potamos, vel imperitia vel corruptione ducum, victoriam et imperium amiserunt.

Νησὶ φέρει πτολέμοιο μάχην καὶ δηϊοτῆτα,
Ὀλλυμέναις δολεροῖσι τρόποις, κακότητι νομήων.

Θ.

— Ἀσκὸς [9] βαπτίζῃ· δῦναι δέ τοι οὐ θέμις ἐστίν.

I.

Τῆς ἐπὶ Θερμώδοντι [10] μάχης ἀπάνευθε γενοίμαν,
Αἰετὸς, ἐν νεφέεσσι καὶ ἠέρι θηήσασθαι.
Κλαίει ὁ νικηθείς· ὁ δὲ νικήσας ἀπόλωλε.

IA.

Αὐχοῦντες [11] βασιλεῦσι Μακηδόνες Ἀργεάδῃσιν,
Ὑμῖν κοιρανέων ἀγαθὸν καὶ πῆμα Φίλιππος.
Ἤτοι ὁ μὲν πρότερος πόλεσιν λαοῖσί τ' ἄνακτας
Θήσει· ὁ δ' ὁπλότερος τιμὴν ἀπὸ πᾶσαν ὀλέσσει,
Δμηθεὶς ἑσπερίοισιν ὑπ' ἀνδράσιν ἠῴοις τε.

IB.

Ἀλλ' ὁπότε [12] Τρώων γενεὰ καθύπερθε γένηται
Φοινίκων ἐν ἀγῶνι, τότ' ἔσσεται ἔργα ἄπιστα.
Πόντος μὲν λάμψει πῦρ ἄσπετον, ἐκ δὲ κεραυνῶν
Πρηστῆρες μὲν ἄνω διὰ κύματος ἀΐξουσιν,
Ἄμμιγα σὺν πέτρᾳ· ἡ δὲ στηρίξεται αὐτοῦ
Οὐ φατὸς ἀνθριώποις νῆσος· καὶ χείρονες ἄνδρες
Χερσὶ βιησάμενοι τὸν κρείσσονα νικήσουσι.

IΓ.

Ἔσσεται [13] ἐσσομένοις, ὅτε Πύραμος ἀργυροδίνης
Ἠϊόνα προχέων ἱερὴν ἐς Κύπρον ἵκηται.

9. E Plutarcho in Thesei Vita, tom. I, p. 51, ed. Reisk. Incertum cujus hoc Sibyllæ sit et cujus temporis. Simile certe oraculum Theseo datum refert Plutarchus, ibid : Ἀσκὸς γὰρ ἐν οἴδματι ποντοπορεύσῃ vel ποντοπορεύσεις. Sed istud quidem tanquam a Delphis profectum; hoc vero tanquam a Sibylla datum civitati ipsi Atheniensium, πρὸς τὴν πόλιν, post aliquam insignem cladem. Quum tamen addat Plutarchus Sibyllam hoc ipsam ore proclamasse, ἀναφθεγξαμένην, videtur aliud agens Σίβυλλαν scripsisse, quum Πυθίαν cogitaret. Ceterum huc fortasse respiciebat Horatius, lib. IV, od. 4, v. 65, de populo romano ita canens : « Merses profundo, clarior evenit. »

10. E Plutarcho in Demosthenis vita, t. IV, p. 723, tanquam Sibyllinum olim decantatum : Χρησμὸς ᾔδετο παλαιὸς ἐκ τῶν Σιβυλλείων. Citatur ultimus præterea versus a Zenobio, centur. 4, prov. 78, et Diogeniano, centur. 5, prov. 75, quorum prior, cum Plutarcho fere consentiens, ab Erythræa Sibylla prædictum hoc ait de Philippo ad Chæroneam victore, mox insidiis perituro, male tamen inversis apud utrumque verbis in hunc modum : Κλαίει ὁ νικήσας, ὁ δὲ νικηθεὶς ἀπ., ubi medelam recte Scaliger vidit. At Gemistus Pletho, Παραλειπομένων, lib. II, citatus ad h. l. a Scaligero, tres eosdem versus affert ex oraculo Pythio, confusos videlicet cum alio oraculo, citato apud eumdem Plutarchum, ibid., tanquam a Pythia dato, priorique valde cognato, quippe ab iisdem fere verbis incipiente :

Τὴν ἐπὶ Θερμώδοντι μάχην μένε παμμέλαν ὄρνι·

Navibus immittet duri certamina belli,
Quas dolus exitio dabit, improbitasque regentum.

IX.

Utrem te mersare licet, demergere non fas.

X.

Absim Thermodonte procul pugnaque cruenta,
More aquilæ, spectans e cælo et nubibus altis.
Flet victus; sed victori sors dira paratur.

XI.

Vobis, o populi Argeadum ditione superbi,
Imperitans bona multa feret, mala multa Philippus.
Nam prior imponet victricia jura subactis
Urbibus et populis; alter decora omnia perdet,
Hesperiis simul atque Eois obrutus armis.

XII.

Sed quum Trojugenis tulerit victoria laudem
Phœnicum in bello, fient vix credita cuiquam.
Pontus enim flammis ardebit, perque profundum
Ignea vis nimbos et fulmina sæva rotabit,
Immanemque simul petram, quo se insula fundo
Firmabit, non visa prius nec cognita; tunc et
Deterior vincet præstantem viribus hostem.

XIII.

Tempus et illud erit, flavo quum Pyramus amne
Provehet alluviem sacra usque ad litora Cypri.

Τηνεί τοι κρέα πολλὰ παρέσσεται ἀνθρώποισιν.

Hoc est :

Absim Thermodonte procul pugnaque cruenta ;
Namque ibi se humanæ dabit ingens copia carnis.

Quorum tamen neutrum Delphis allatum, sed utrumque ab otiosis hominibus ex eventu confictum quivis videt, haud sine respectu ad Bacidis fragmentum III infra proferendum.

11. E Pausania, Achaic. cap. 8. Scriptum est autem, ut res ipsa ostendit, post Philippum, Demetrii filium, a Romanis victum ad Cynoscephalas; is enim cum antiquiore et feliciore Philippo in hoc oraculo comparatur.

12. E Plutarcho, de resp., Pyth. p. 570. Innuuntur satis eleganter satisque poetice Thera et Therasia vulcanio motu in mari Cyprio enatæ, anno ante Chr. 200, qui annus bellum Punicum secundum, Φοινίκων ἀγῶνα, consecutus est. In fine bellum prædicitur Macedonicum secundum, quo Ætoli, licet infirmiores, χείρονες ἄνδρες, Romanorum auxilio Philippum devicerunt.

13. E Strabone, lib. I, p. 53, et XII, p. 536 : legitur etiam apud Tzetzen, Chil. VII, § 143, et in nostris Sibyllinis, lib. IV, v. 97, sq., ubi notata vide.

14. Versum de Rhodo, Ἔσται καὶ Ῥοδίοις, κ. τ. λ., e nostris Sibyllinis hausimus, lib. IV, v. 101; sed auctor nobis Pausanias, Corinth. cap. 7, ita scribens : Καὶ Ῥοδίοις ἐσείσθη μάλιστα ἡ νῆσος, ὥστε καὶ λόγιον τετελέσθαι Σιβύλλῃ

ΙΔ.

[Ἔσται [14] καὶ Ῥοδίοις κακὸν ὕστατον, ἀλλὰ μέγιστον.]

ΙΕ.

Πολλαὶ μὲν [15] ἀναστάσεις καὶ μετοικισμοὶ πόλεων Ἑλληνίδων, πολλαὶ δὲ βαρβαρικῶν στρατιῶν ἐπιφάνειαι, καὶ ἀναιρέσεις ἡγεμονικῶν.

ΙΓ.

Καὶ [16] τὸ Ῥωμαίοις πρὸ ἐτῶν ὁμοῦ τοι πεντακοσίων προειπεῖν [τὴν Σίβυλλαν] τὸν χρόνον ἐν ᾧ ἅπαντα τὰ ἔθνη πολεμήσοιεν ἅμα· τοῦτο δὲ ἦν τὸ πολεμῆσαι τοῖς οἰκέταις ἀποστᾶσιν.

ΙΖ.

Τρὶς δὲ [17] τριηκοσίων περιτελλομένων ἐνιαυτῶν
Ῥωμαίους ἔμφυλος ὀλεῖ στάσις, ἁ Συβαρῖτις
Ἀφροσύνα.

ΙΗ.

Ἔσχατος [18] Αἰνεαδῶν μητροκτόνος ἡγεμονεύσει.

ΙΘ.

Ταυτὰ δὲ [19] τὰ πρόσφατα καὶ νέα πάθη περί τε Κύμην καὶ Δικαιάρχειαν..., ἐκρήξεις πυρὸς ὀρείου, καὶ ζέσεις θαλασσίας, καὶ πετρῶν καὶ φλεγμονῶν ὑπὸ πνεύματος ἀναῤῥίψεις, καὶ φθορὰς πόλεων ἅμα τοσούτων καὶ τηλικούτων, ὡς μεθ' ἡμέραν ἐπελθοῦσιν ἄγνοιαν εἶναι καὶ ἀσάφειαν ὅπου κατῴκηντο, τῆς χώρας συγκεχυμένης.

Κ.

Ἔλεγε δὲ [20] ὁ δαίμων τὴν φωνὴν εἶναι Σιβύλλης. . . . , καὶ βραχέα κατήκουσεν, ὧν ἦν καὶ τὸ περὶ τὸ Βέσβιον ὄρος καὶ τὴν Δικαιάρχειαν ὑπὸ πυρὸς φορᾷ γενησομένην.

ΚΑ.

Ἐσθλὸς ἐὼν [21] . . . . . νούσῳ. . . τυραννίδα λείψει.

ΚΒ.

Αὐσόνιος [22] θήρ.

τὸ ἐς τὴν Ῥόδον ἔδοξεν. Porro versus iste antiquioris esse videtur originis, quam Sibyllina nostra, diuque antea vulgo jactatum fuisse atque in proverbium cessisse, quippe qui ter in nostris libris legatur, semel tamen de Tenedo, non de Rhodo, lib. III, v. 486.

15. E Plutarcho, de Pyth. Or. p. 567. Ibi tribuuntur hæ prædictiones Sibyllæ, et quidem, ut videtur, Erythrææ, quanquam hoc ultimum ex ipsis Plutarchi verbis minus tuto colligitur. Huc vero inter recentiores prophetias visæ sunt inserendæ propter illud ἀναστάσεις ἡγεμονικῶν, quod ætatem sapit non admodum antiquam.

16. E Plutarcho, ibid. p. 571. Putavit Reiskius e Romanorum Sibyllinis libris hæc esse desumpta: sed quo pacto? Ceterum hæc verba, ὡς ἅπαντα τὰ ἔθνη πολεμήσοιεν ἅμα, ad servile bellum pertinere Plutarchus ipse docet, in subducendis annorum rationibus probe secum et cum historiis constans, dum a Sibylla Tarquiniana ad Spartaci bellum annos numerat fere quingentos.

17. E Dione Cassio, lib. LVII, § 18, et LXII, § 18, bis quippe Romæ decantatum sub Tiberio et sub Nerone, sed cum neutrius imperatoris temporibus annorum ratione conveniens, uti jam a plerisque notatum et per se patet.

XIV.

Et Rhodiis veniet clades postrema, sed ingens.

XV.

Multæ eversiones migrationesque civitatum græcarum, multæ barbaricorum exercituum incursiones, et imperiorum ruinæ.

XVI.

Et illud fuisse quingentis ante annis a Sibylla prædictum Romanis tempus, quo adversus omnes simul gentes bellarent; ita scilicet servile bellum significabatur.

XVII.

Centenis novies circumvertentibus annis,
Seditio Romæ populum ac Sybaritica perdet
Nequitia.

XVIII.

Ultimus Æneadum matrem necat induperator.

XIX.

Quid has ruentes et subitas clades circa Cumas et Dicæarchiam, eruptiones montani ignis, fervores maris, lapidumque et flammarum, urgente vi spiritus, ejectiones, quibus tot et tantæ urbes ita sunt afflictæ, ut interdiu visentibus dubitatio suboriatur, ubinam sitæ illæ fuerint, quum tota confusa circum regio appareat.

XX.

Aiebat autem Genius vocem hanc esse Sibyllæ....., audivitque pauca, e quibus fuit etiam vaticinium illud de monte Vesevo ac de Dicæarchia ignis effluvio peritura.

XXI.

Rex erit ille bonus, morboque tyrannida linquet.

XXII.

Ausonius ferus.

18. Ex eodem, lib. LXII, § 18, et est sub Nerone confictum.

19. E Plutarcho, ibid. Referuntur hæc a Plutarcho aperteque referenda sunt ad Vesevi incendium, quanquam omisso nunc montis nomine, sed apertius in fragm. seq.

20. E Plutarcho, de sera Num. vind. p. 240, sq. Hoc fragmentum manifesto pertinet eodem quo prius, ac sine dubio idem est, sed paulo expressius. Confer Sibyllina nostra, lib. IV, v. 127, sq.

21. E Plutarcho, ibid., p. 241, respicitque ad Titi imperatoris mortem, ipso Plutarcho interprete. Sed unde sumptum? Ex aliquo nempe sub illa tempora conficto vaticinio, ut illud de Nerone fragm. XVIII.

22. E Xiphilino, epit. Dion. LXXVII, sub finem libri, omissa tamen Sibyllinæ originis mentione : quanquam Fabricio assentimur, Bibl. gr., t. I, p. 268, desumptum hoc putanti ex aliquo istorum temporum pseudo-Sibyllino.

ΕΚ ΤΩΝ ΤΗΣ ΦΑΕΝΝΟΥΣ [1].

Α.

Δὴ [2] τότ' ἀμειψάμενος στεινὸν πόρον Ἑλλησπόντου,
Αὐλήσει Γαλατῶν ὀλοὸς στρατὸς, οἵ ῥ' ἀθεμίστως
Ἀσσίδα πορθήσουσι· θεὸς δ' ἔτι χύντερα θήσει
Πάγχυ μάλ', οἳ ναίουσι παρ' ἠϊόνεσσι θαλάσσης.
Εἰς ὀλίγον τάχα γάρ σφιν ἀοσσητῆρα Κρονίων
Ὁρμήσει, ταύροιο διοτρεφέος φίλον υἱὸν,
Ὃς πᾶσι Γαλάτῃσιν ὀλέθριον ἦμαρ ἐφήσει.

Β.

Ὦ βασιλεῦ [3] Θρηκῶν, [λήψῃ] πόλιν ἐν προβάτοισιν.
Αὐξήσεις δὲ λέοντα μέγαν, γαμψώνυχα, δεινὸν,
Ὅς ποτε κινήσει πατρίας [θειμήλια] χώρας·
Γαῖαν δ' αἱρήσει μόχθων ἄτερ· οὐδέ σέ φημι
Σκηπτούχοις τιμαῖσιν ἀγάλλεσθαι μάλα δηρὸν,
Ἐκ δὲ θρόνων πεσέειν, οἷοι κύνες ἀμφὶς ἔχουσι.
Κινήσεις δ' εὕδοντα λύκον, γαμψώνυχα, δεινόν·
Οὐδ' ἐθελοντὶ γὰρ εἴσω ὑπὸ ζυγὸν αὐχένα θήσει.
Δὴ τότε Βιθυνῶν γαῖαν λύκοι οἰκήσουσι,
Ζηνὸς ἐπιφροσύνῃσι· ταχὺ δ' ἐπιβήσεται ἀρχὴ
Ἀνδράσιν, οἳ Βύζαντος ἕδος καταναιετάουσι.
Τρίσμακαρ Ἑλλήσποντε, θεόκτιτα τείχεά τ' ἀνδρῶν.
. . . . θείαισιν ἐφετμαῖς,
Ἣν λύκος αἰνόλυκος πτήξει κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης.
[Εἰ] μὴ [γάρ με] ἴσασιν ἐμὸν ναίοντες ἕδεθλον,
Οὐκέτι σιγήσω πατρὸς νόον, ἀλλ' ἀναδείξω
Ἀθανάτων λογίων θνητοῖς εὔσημον ἀοιδήν.
Θρῇσσα κύει μέγα πῆμα, τόκος δέ οἱ οὐκέτι τηλοῦ.
Πειρᾷ παῖδα κακὸν . . . . . καὶ τῇδε φέρουσα.

1. De Phaënno seu Phaënnide, confer Exc. I, cap. 6, ubi ætas ejus definitur tertio ante Christum sæculo incipiente.

2. E Pausania, Phoc. cap. 15. Significat Gallorum transitum in Asiam circa annum ante Chr. 270. Tauri autem filius Attalus est, rex hujus nominis primus, Attalo Philetæri fratre natus, qui vix ad regnum evectus magnificam de Gallis victoriam reportavit, anno 239. Solebant autem Attali testante et exemplis monstrante Pausania, taurorum vocabulo interdum designari, paronymia quadam, ut nobis quidem videtur, a voce ἰταλός, antique scilicet ac poetice usurpata ad vitulum designandum, quæ fortasse Macedonica dialecto ἀτταλὸς vel ἄτταλος dicebatur. Pythiæ oraculum est apud Suidam, v. Ἄτταλος, huic ipsi regi datum: Θάρσει, ταυρόκερως, κ. τ. λ. Sed confer omnino Pausaniam, loc. cit. et adde nostrum Exc. I, cap. 6.

3. E Zosimo, lib. II, § 37, et Tzetze, Chil. VII, § 143. Hic tamen sex tantum priores versus affert, et quidem paululum interversos: nam qui primus Zosimo nobisque, idem Tzetzæ tertius est. Agitur autem de Lysimacho, notissimo Thraciæ rege, quem Seleucus Syriæ (sævus is leo lupusque vocatur) eversurus sit. Id accidit anno ante Chr. 281. Quo tempore Bithyniam ab utroque exercitu vas-

EX PHAENNUS SEU PHAENNIDIS ORACULIS.

I.

Tunc angusta super freta trajicit Hellesponti,
Sibila sæva ciens, Gallorum exercitus atrox,
Triste ferens Asiæ fatum, sed tristius illis
(Nam sic Dii voluere) tenent qui litora ponti.
His tamen ultorem mittet mox Jupiter ipse,
Progenitum tauri generoso e sanguine regem,
Lurida qui victis immittet funera Gallis.

II.

Inter oves urbem accipies, rex inclite Thracum:
Augebis vero magnum horribilemque leonem,
Qui patriæ quondam quatiet fundamina sedis.
Hic terram invadet, nulloque labore subactam
Corripiet. Tum, crede mihi, non firma tenebis
Sceptra diu, solioque cades: tam multa canum vis
Urgebit, quum tu magnum horribilemque leonem
Excieris somno, juga non impune ferentem.
Hinc Bithyna lupi crudeles arva tenebunt,
Consilio Jovis æterni: mox jura capessent,
Qui stabiles habitant sedes Byzantis in urbe.
Felix Hellesponte, et mœnia condita Divis.
...............sic lege jubente Deorum,
Quum lupus ille ferus fati juga dura subibit.
Quod si me proprii cessant agnoscere cives,
Haud tamen æterni celabo arcana parentis,
Clara sed humano generi præsagia pandam.
Thracia grande malum sibi parturit; est prope partus.
Experiere gravem sobolem, jactata periclis.

tatam fuisse non est dubium. Everso autem Lysimacho, simul regnum Thraciæ interiturum canitur, atque inde Byzantinorum civitati rerum prosperarum cursus incepturus. Male hæc omnia Zosimus accepit de Prusia Cynego, Bithyniæ rege, filii Nicomedis armis evertendo. Pejus multo Tzetzes de Byzantino regno a Persis et Scythis vexato. De ipsis autem oraculi versibus aliquid est dicendum. Corruptus erat textus in multis, quem nos conjectando restituimus. Ita vers. 1, λήψῃ legimus pro λείψεις, quo facilius Lysimachi res, Bithyniam cum Thracia conjungentis, intelligerentur. Vers. 3, θειμήλια pro vulg. κειμήλια, licet non ignoremus rectiorem magisque usitatam esse formam θεμέλια seu poetice θεμείλια: sed nulla fere vox tot formas induit apud Græcos. Vers. 15, pro vulg. οἵ με γὰρ εἴσασιν, proximam et unice veram lectionem intulimus, nec male sonantem, quum in ἴσασι veteris digammi memoria hiatum excludat. Vers. 19, textus incertus et mutilus sensum vix ullum facit, in quo tamen suspiceris olim fuisse ἐκεῖ καὶ τῇδε φέρουσα. Vers. 20, ἕλκος figurate dictum est, ut in Sibyllinis christianis, lib. XI, v. 200, et fortasse III, v. 382.

Τρηχὺ γὰρ Ἠπείρου πλευραῖς ἐπαΐσσεται ἕλκος,
Καὶ μέγα οἰδήσει, ταχὺ δὲ ῥαγὲν αἱμορροήσει.

Γ.

Ἡ [4] Φαεννὼ πρὸ χρόνου μὲν ἐνιαυτῶν τοσούτων
Τὰ πρὶν ὀλίγῳ πρὸ ἡμῶν εἰποῦσα πεπραγμένα,
Πῶς τῶν Ῥωμαίων ἄνακτα ἡττήσουσιν οἱ Πέρσαι,
Τραχήλῳ τε πατήσουσιν, οἷα δεδουλωκότες,
Καὶ σφὸς λαὸς καὶ πρόγονος πῶς τοῦτον κράτους ῥίψει,
Καὶ πῶς Πέρσαι κατάσχωσι πᾶσαν τὴν Βιθυνίαν,
Καὶ Σκύθαι πῶς συῤῥάξουσι μάχην Ῥωμαίων γένει,
Κατ' ἔπος λέγουσα ταυτὶ στόματι διηρμένῳ,
Αὐξήσεις δὲ λέοντα μέγαν, γαμψώνυχα, δεινὸν,
Ὅς ποτε κινήσει, κ. τ. λ.

ΕΚ ΔΙΑΦΟΡΩΝ ΧΡΗΣΜΩΔΩΝ ΓΥΝΑΙΚΩΝ.

ΠΕΛΕΙΑΔΩΝ [1].

Ζεὺς [2] ἦν, Ζεὺς ἔστι, Ζεὺς ἔσσεται· ὦ μεγάλε Ζεῦ.
Γᾶ καρποὺς ἀνίει· διὸ κλῄζετε μητέρα γαῖαν.

ΦΗΜΟΝΟΗΣ [3].

Α.

Συμφέρετε [4] πτερά τ' οἰωνοὶ, κηρόν τε μέλισσαι.

Β.

Ἀγχοῦ δὴ [5] βαρὺν ἰὸν ἐπ' ἀνέρι Φοῖβος ἐφήσει
Σίντῃ Παρνησοῖο· φόνου δὲ Κρήσιοι ἄνδρες
Χεῖρας ἁγιστεύουσι· τὸ δὲ κλέος οὔποτ' ὀλεῖται.

ΒΟΙΟΥΣ [6].

Ἔνθα τοι [7] εὔμνηστον χρηστήριον ἐκτελέσαντο
Παῖδες Ὑπερβορέων Παγασὸς καὶ δῖος Ἀγυιεύς,

4. E Tzetze, Chil. VII, § 143, nec differt a priore fragmento, quanquam absurdis Tretzæ conjecturis perversum, dum ad Byzantinam historiam trahitur.

1. De Peleadibus seu Peleis sive, ut quidam vocant, Peliis, confer Pausaniam, Phoc. cap. 12, sub finem, et auctores quicumque de Dodona scripserunt, et nostrum Exc. I, cap. 6.

2. Hi dicuntur a Pausania primi omnium hexametro numero decantati fuisse versus : confer iterum Exc. I.

3. De Phemonoë quædam habet Fabricius, t. I, p. 210, sq., ed. Harl. Prima hæc omnium Pythiarum fuisse ferebatur, et prima hexametrum cecinisse, Pausan., ibid., cap. 5, quanquam idem Pausanias alibi aliter sentit; confer not. pr. et seq.

4. E Plutarcho, de Pyth. resp. t. VII, p. 584, et Philostr. in Apollon. lib. VI, § 11. Et Plutarchus quidem primum hunc hexametrum versum Delphis pronuntiatum ait, unde ad Phemonoën, quæ Delphici templi ministra fuit, recte necne referri solet, ex incerta fide Pausaniæ supra citati. Sententia hujus oraculi bis a Philostrato expressa est, lib. VI, § 10 et 11, pertinetque ad primam Delphici Apollinis ædem e luto

Vulnus ab Epiro veniet, laterique profundum
Hærebit, jamjamque tumet, jam sanguine manat.

III.

Phaënno tot ante annis ea prædixit quæ nuper evenerunt, Persas nempe Romanorum regem debellaturos, et victo, tanquam servo, insultaturos; additque quomodo suus eum populus atque avus regno sint dejecturi, atque Persæ omnem sint Bithyniam occupaturi, et Scythæ cum Romanorum gente conflicturi, hæc ad verbum sublimi ore proclamans :

Augebis vero magnum horribilemque leonem,
Qui patriæ quondam, etc.

E DIVERSARUM FEMINARUM ORACULIS.

PELEADUM.

Jupiter est, fuit, atque erit : o rex Jupiter alme.
Terra parit fruges : terram vos dicite matrem.

PHEMONOES.

I.

Vos, o apes, ceram, vos plumam afferte, volucres.

II.

Mox gravis affliget, Phœbo mittente, sagitta
Hostem Parnassi; madidas qua cæde piabit
Creta manus; facti nec fama abolebitur unquam.

BOEUS.

Huc ab Hyperboreis juvenes templa inclita Phœbo
Venerunt positum, Pagasusque, et divus Agyeus,

factam, superinductis avium plumis cera conjunctis.

5. E Pausania, Phoc. cap. 6, extr. Agitur de Crio quodam Euboïco tyranno seu latrone, Delphici templi violatore, Phœbi sagittis occiso, cujus deinde cædis Deus ipse expiationem apud Cretam quæsisse ferebatur : cfr. intpp. ad Paus. In tertio igitur versu ἁγιστεύσουσι (sic enim pro ἁγιστεύουσι reponendum ducimus) sensu est activo capiendum. In secundo malis fortasse φόνοιο δέ vel φόνου δέ γε, etsi nihil mutare audemus.

6. De Bœo confer Pausan. Phoc. c. 5, tradentem fuisse illam origine Delphicam, quæ hymnum in Apollinis ac Delphorum honorem cecinisset. Clemens autem Alexandrinus inter alias fatidicas mulieres ejus quoque meminit, Strom. I, p. 399, ed. Ox., unde nec nobis omittenda visa est.

7. E Pausania, loc. cit. Agitur de Hyperboreis, templi et oraculi Delphici conditoribus, quorum præcipuus et celeberrimus Olen fuit. Aperte autem, et ipso teste Pausania, ex hymno mulieris hujus, non ex oraculo seu vaticinio, desumptum est hoc fragmentum.

Ὠλήν θ', ὃς γένετο πρῶτος Φοίβοιο προφάτας,
Πρῶτος δ' ἀρχαίων ἐπέων τεκτήνατ' ἀοιδήν.

ΒΑΚΙΔΟΣ [1].

Α.

Φράζεο [2] βαρβαρόφωνον, ὅταν ζυγὸν εἰς ἅλα βάλλῃ
Βύβλινον, Εὐβοίης ἀπέχειν πολυμηκάδας αἶγας.

Β.

Ἀλλ' ὅταν [3] Ἀρτέμιδος χρυσάορον ἱερὸν ἀκτὴν
Νηυσὶ γεφυρώσωσι, καὶ εἰναλίην Κυνόσουραν,
Ἐλπίδι μαινομένῃ λιπαρὰς πέρσαντες Ἀθήνας,
Δῖα δίκη σβέσσει κρατερὸν κόρον, ὕβριος υἱὸν,
Δεινὸν, μαιμώοντα, δοκεῦντ' ἀνὰ πάντα τίθεσθαι.
Χαλκὸς γὰρ χαλκῷ συμμίξεται, αἵματι δ' Ἄρης
Πόντον φοινίξει· τότ' ἐλεύθερον Ἑλλάδος ἦμαρ
Εὐρύοπα Κρονίδης ἐπάγει καὶ πότνια Νίκη.

Γ.

Τὴν δ' ἐπὶ [4] Θερμώδοντι καὶ Ἀσωπῷ λεχεποίῃ
Ἑλλήνων σύνοδον καὶ βαρβαρόφωνον ἰῦγὴν,
Τῇ πολλοὶ πεσέονται ὑπὲρ λάχεσίν τε μόρον τε
Τοξοφόρων Μήδων, ὅταν αἴσιμον ἦμαρ ἐπέλθῃ.

Δ.

Καὶ τότε δὴ [5] Σπάρτης μὲν ἀπ' ἀγλαὸν ἄνθος ὀλεῖται,
Μεσσήνη δ' αὖθις οἰκήσεται ἤματα πολλά.

Ε.

Οἵ τ' ἀπὸ [6] Μεσσήνης πατάγῳ χρουνοῖς τε δαμείσης.

F.

Καὶ περὶ τῆς Εἴρας [7], ὅντινα ἁλώσοιτο τρόπον, Βάκιν ἐφώρασα εἰρηκότα.

Η.

Ἀλλ' ὁπόταν [8] Τιθορεὺς Ἀμφίονί τε Ζήθῳ τε

1. De Bacide, confer Fabric., tom. I, p. 136, sqq. edit. Harl., et ex antiquis maxime Pausan., Phoc. c. 12, qui eum vocat ἄνδρα χρησμολόγον ἐκ Βοιωτίας κατάσχετον ἐκ Νυμφῶν, neque ullum alium Bacin videtur agnoscere. At Ælianus, Var. Hist. XII, cap. 35, et Philetas Ephesius a Suida et Scholiastis vel citatus vel exscriptus, tres Bacides fuisse aiunt, diversos patria, primum nempe Bœotum (Eleonium Suidæ, Hellena male Æliano), secundum Atheniensem sive Atticum, tertium Arcadem. Ægre id feras; et Bacin Bœotum, quem alii falso Arcadem putabant, clarum aliquando vatem Athenis vixisse potius credas. Certe Athenis vulgo cum Sibylla Erythræa, tanquam fama proximus, conjungi solebat, ut apud Aristophanem sæpe. Scriptane reliquerit oracula, incertum; sed multa sub ejus nomine ficta ferebantur, teste Aristophane, citatis in hoc ipso Excursu locis. Talia sunt sequentia pleraque ejus fragmenta, et ea præsertim quæ ad Medicum bellum pertinent.

2. Ex Herodoto, lib. VIII, § 20. Monentur Eubœenses ut ab incursu regis Persarum Xerxis, Hellespontum ponte

Atque Olen, primus cecinit qui oracula Phœbi,
Antiquis numeris qui pangere carmina cœpit.

BACIDIS.

I.

Cura tibi, quando in pontum juga byblina mittet
Barbarus, Eubœa pingues arcere capellas.

II.

Navibus ille autem quum litora sacra Dianæ
Junxerit et salso Cynosuram rore madentem,
Spe cæca properans magnas disperdere Athenas,
Sancta Themis fastus animorum, æstusque tumentes
Comprimet, et furias evertere cuncta paratas.
Scilicet æs æri confliget; sanguine pontum
Inficiet Mavors; tu libera, Græcia, surges,
Quando aderit tibi rex Divum et Victoria læta.

III.

Asopi virides ac Thermodontis ad oras
Barbaricæ Græcis acies clamore coibunt.
Hic multi ante diem fato plectentur acerbo,
Quando sagittiferis veniet lux ultima Medis.

IV.

Amissum florem populi tum Sparta dolebit,
Atque omni rursus Messene habitabitur ævo.

V.

Messenen armisque et fontibus interituram.

VI.

De Iræ quoque expugnatione, quonam modo eventura esset, Bacin ego deprehendi vaticinantem.

VII.

Sed quando inferias Tithorensi a plebe precesque

trajecturi, caveant. Patet vero istud oraculum post eventum a falso Bacide esse confictum.

3. Ex Herodoto, lib. VIII, § 77. Agitur de prælio navali ad Salamina. Respicit vero ad hoc oraculum idem scriptor iterum infra, § 96.

4. Ex Herodoto, lib. IX, § 43, de pugna ad Platæas. Longe igitur diversa sunt oracula pseudo-Sibyllina vel pseudo-Delphica de pugna Chæronensi a Plutarcho et Plethone servata, licet ab iisdem pæne verbis incipientia; vide supra not. ad incertæ Sibyllæ fragm.

5. E Pausania, Messen. cap. 27; agitur de restituenda Messeniis pace, non Leuctrico bello, sed post primum Messeniacum bellum, etsi postea id oraculum Epaminondas ad se traxit.

6. E Pausania, ibid.

7. E Pausania, ibid. Agitur de Ira oppugnata captaque a Spartanis Messeniaco bello secundo.

8. E Pausania, Bœot. cap. 17, de Tithorensibus Phocidis et Thebanis Bœotiæ, circa cespitem quemdam ex Am-

Χύτλα καὶ εὐχωλάς, μειλίγματά τ' ἐν χθονὶ χεύῃ,
Θερμομένου Ταύροιο κλυτοῦ μένει Ἠελίοιο·
Καὶ τότε δὴ πεφύλαξο πόλει μόρον οὐκ ἀλαπαδνὸν
Ἐρχόμενον· καρποὶ γὰρ ἀποφθινύθουσιν ἐν αὐτῇ,
Γαίης δασσαμένων, Φώκου δ' ἐπὶ σῆμα φερόντων.

ΕΚ ΔΙΑΦΟΡΩΝ ΧΡΗΣΜΩΔΩΝ ΑΝΔΡΩΝ.

ΜΟΥΣΑΙΟΥ [1].

Α.

Αὐτίκα δὲ [2] Χθονίη σφῷν δὴ πινυτὸν [φάτο] μῦθον,
Σὺν δέ τε Πύρκων ἀμφίπολος κλυτοῦ Ἐννοσιγαίου.

Β.

Ὥστε [3] ἀποπλῆσαι τὸν χρησμὸν τόν τε ἄλλον πάντα τὸν περὶ τῆς ναυμαχίης ταύτης [τῆς πρὸς Σαλαμῖνα] εἰρημένον Βάκιδι καὶ Μουσαίῳ, κ. τ. λ.

Γ.

Ταῦτα μὲν [4] [τὰ Βάκιδος ἐς τὴν πρὸς Θερμώδοντα μάχην], καὶ παραπλήσια τούτοισι ἄλλα Μουσαίῳ ἔχοντα οἶδα ἐς Πέρσας.

Δ.

Καὶ γὰρ [5] Ἀθηναίοισιν ἐπέρχεται ἄγριος ὄμβρος,
Ἡγεμόνων κακότητι· παραιφασίη δέ τις ἔσται,
[Ἦτοι γ'] οὐ λήσουσι πόλιν, τίσουσι δὲ ποινήν.

Ε.

[Ὡς [6] αἱ ἐπὶ Λήμνου ἐπικείμεναι νῆσοι ἀφανιζοίατο κατὰ τῆς θαλάσσης.]

ΕΥΚΛΟΥ.

Α.

Καὶ [7] τότ' ἐν εἰναλίῃ Κύπρῳ μέγας ἔσσετ' ἀοιδὸς,
Ὅν τε Θεμιστὼ τέξει ἐπ' ἀγροῦ δῖα γυναικῶν,
Νόσφι πολυκτεάνοιο πολυκλείτου Σαλαμῖνος.
Κύπρον δὲ προλιπὼν, διερός θ' ὑπὸ κύμασιν ἀρθεὶς,

phionis tumulo detrahendum vel non detrahendum, stulta æmulatione certantibus : confer Pausan. loc. cit.

1. De Musæo, confer Fabric. Bibl. gr. t. I, p. 119, ed. Harl.

2. E Pausania, Phoc. cap. 5, qui tamen hoc fragmentum ex Eumolpiis Musæi, non ex ejus oraculis citat. Agitur autem de antiquissimo Delphico oraculo quod Telluris et Neptuni fuit, antequam Themidis ac deinde Apollinis fieret. Vulg. φάτε legitur sine sensu, ubi nos cum Sylburgio φάτο.

3. Ex Herodoto, lib. VIII, § 96, sed omissis versibus, quos tamen concinere ait cum Bacidis de eadem re (nempe de Salaminia pugna) oraculo seu fragm. II.

4. Ex Herodoto, lib. IX, § 43, sed oraculo ipso non citato, quod prope accessisse credimus ad Bacidis de eadem re fragmentum III.

5. E Pausania, Phoc. cap. 9, qui et eo

Et vota accipiet cum fratre Amphione Zethus,
Lumine jam Solis Taurum irradiante calentem,
Tu noxam instantem patriæ vitare memento :
Namque olli fruges videas marcescere, si quis
Terram auferre queat, Phocique apponere busto.

E VARIORUM VIRORUM ORACULIS.

MUSÆI.

I.

Protinus his Tellus sapientes ore loquelas
Edidit, et Pyrco, tuus, o Neptune, minister.

II.

Ita ut oracula implerentur, in primis quæ de illo navali ad Salaminem prælio edita feruntur a Bacide et Musæo.

III.

Hæc de pugna Thermodontiaca reperias apud Bacidem, et his alia simillima, quæ a Musæo prædicta sunt in Persas.

IV.

Cecropidis etenim sævus superingruet imber,
Fraude ducum; sed erit damni solamen acerbi :
Quippe urbem minime fallent, sed facta piabunt.

V.

Quod adjacentes Lemno insulæ aliquando mari essent hauriendæ.

EUCLI.

I.

Et tum fluctisona in Cypro se magnus ad auras,
Attollet vates, pariet quem dia Themisto
Rure, tuos extra, Salamis ditissima, muros.
Posthabita Cypro, maris hic provectus in undas,

carmine significari docet navalem pugnam ad Ægos-Potamos, sicut in fragm. VIII incertæ Sibyllæ, supra, p. 124, sq.

6. Ex Herodoto, lib. VII, § 6, sed tanquam interpolatum Musæi oraculis ab Onomacrito, quem eo crimine pulsum in exsilium a Pisistrato fuisse narrat.

6. De Euclo, qui græce Εὔκλοος sive Εὔκλους, confer Fabr. t. I. p. 35, ed. Harl. Is ante Homerum oracula scripsisse ferebatur, sed falso, nec ob aliam, ut videtur, causam, quam propter sequens de Homero vaticinium, posteris temporibus confictum.

7. E Pausania, Phocic., cap. 14. Aperte hoc quidem de Homero, quem Cyprium fingit Euclus Cyprius. Matrem vero ejus Themisto, patriam facit Salamina Cypri. Et huc pertinet Salaminis nomen in illo notissimi versus hemistichio : Σαλαμὶν, Χίος, Ἄργος, Ἀθῆναι. Cum hujus autem oraculi fine conferendus omnino locus Sibyllinorum nostrorum, lib. III, v. 419, sqq. partim fortasse hinc desumptus.

Ἑλλάδος εὐρυχόρου μοῦνος κακὰ πρῶτος ἀείσας,
Ἔσσεται ἀθάνατος καὶ ἀγήραος ἤματα πάντα.

B.

Στρατείαν [8] δὲ τὴν ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα ἀπὸ τοῦ βαρβάρου ἔστιν εὑρεῖν προμηνυθεῖσαν ἐν τοῖς Βάκιδος χρησμοῖς· πρότερον δὲ ἔτι Εὔκλῳ τὰ ἐς αὐτὴν πεποιημένα ἐστί.

ΑΜΦΙΛΥΤΟΥ [9].

Ἔρριπται [10] δ' ὁ βόλος, τὸ δὲ δίκτυον ἐκπεπέτασται,
Θῦνοι δ' οἰμήσουσι σεληναίης διὰ νυκτός.

ΛΥΣΙΣΤΡΑΤΟΥ [11].

Κωλιάδες [12] δὲ γυναῖκες ἐρετμοῖσι φρύξουσιν.

ΔΙΟΠΕΙΘΟΥΣ [13].

Φράζεο [14] δή, Σπάρτη, καίπερ μεγάλαυχος ἐοῦσα,
Μὴ σέθεν ἀρτίποδος βλάστη χωλὴ βασιλεία.
Δηρὸν γὰρ μοχθοί σε κατασχήσουσιν ἄελπτοι,
Φθερσίβροτόν τ' ἐπὶ κῦμα κυλινδομένου πολέμοιο.

ΑΝΩΝΥΜΟΥ [15].

Ἀλλ' ὅτε δὴ Νύμφαι δροσερὴν [16] κατὰ ἄστυ χορείην
Τερπόμεναι στήσονται ἐϋστεφέας κατ' ἀγυιάς,
Καὶ τεῖχος λούτροιο [17] πολύστονον ἔσσεται ἄλκαρ·
Δὴ τότε μυρία [18] φῦλα πολυσπερέων ἀνθρώπων,
Ἄγρια [19], μαργαίνοντα, κακὴν ἐπιειμένα ἀλκήν,
Ἴστρου καλλιρόοιο [20] πόρον διαβάντα σὺν αἰχμῇ,

8. E Pausania, Phocic., c. 24.

9. De Amphilyto, confer Fabr. t. I, p. 137, et Herodotum qui eum Acarnanem vatem vocat, lib. I, § 62, quod vel mutandum, vel Ἀκαρνάν intelligendum tanquam Ἀχαρνεύς, ex Acharnis Atticæ pago, more quodam antiquo loquendi, uti jam notaverunt intpp.

10. Ex Herodoto, loc. cit. Hoc oraculo obscure invitatur Pisistratus ad opprimendos noctu incautos cives.

11. De Lysistrato nihil nos quidem rescivimus, nisi fuisse illum Atheniensem vatem, qui sequens cecinerit oraculum, Herodt. lib. VIII, § 96.

12. Ex Herodt. loc. cit. et Strabone, lib. IX, p. 398: sed Strabo illud vaticinium Apollini tribuit, omissa Lysistrati mentione. Agitur de pugna navali ad Salamina. Fuit enim Κωλιὰς ἄκρα in Attica, ubi templum Veneris Coliadis: atque eo fama est ejecta fuisse Persicæ classis naufragia. Et in hoc quidem versu codd. omnes apud utrumque laudatorem φρίξουσι ferunt; sed optima est ac certissima Kühnii conjectura φρύξουσι, id est, pisces ceterave alimenta remorum lignis frigent assabuntve, sicut ex armis hostium cæsorum ignem accensum iri prædicitur apud Ezechielem prophetam, cap. 39, et in Sibyllinis nostris lib. III, v. 731.

13. De Diopithe confer annotata in Exc. II, pag. 111. Quidam duos fuisse putant, unum Atheniensem, qui decreta adversus Anaxagoram, Plut. loc. cit., et de Piræo, Ælian. l. cit. proposuerit; alterum Lacedæmonium, qui a Plutarcho vocatur ἀνὴρ εὐδόκιμος ἐπὶ χρησμολογίᾳ, quique oraculum modo citandum de Agesilao protulerit. Sed nos unum malumus agnoscere, qui et Aristophani, loc. cit. χρησμολόγος vocatur et ὁ μέγας Διοπείθης. Is enim, quamvis genere Athe-

Aspera cantabit Græcis mala primus et unus,
Quem laus fine carens seniique ignara manebit.

II.

Expeditionem barbari hostis in Græciam videre est in Bacidis prædictam oraculis; sed et antiquius in iis quæ ab Euclo de illa re composita sunt.

AMPHILYTI.

Jacta tibi funda est, expansum rete, voraces
Advenient thynni nocturni ad sideris ignes.

LYSISTRATI.

Coliades frigent remis ad litora fractis.

DIOPITHIS.

Sparta, cave inprimis, quamvis te gloria tollat,
Ne claudi subeas unquam nova regna tyranni;
Multa etenim te damna prement nil tale timentem,
Aspera per tumidos surgent quum prælia fluctus.

ANONYMI.

Quum vero liquidas ducent media urbe choreas,
Lætaque subsilient hilares per compita Nymphæ,
Murus et auxilium cogetur ferre lavacris:
Tum venient, multis conflatum gentibus agmen,
Immites animis et sævo robore freti;
Trajicient Istri flumen, Mavortis in armis,

niensis, potuit vaticinandi fama etiam Spartæ aut inter Spartanorum socios clarus haberi.

14. E Plutarcho, de Sibyll. resp., t. VII, pag. 571, et in Agesil., t. III, p. 617, et in Lysandr. t. III, p. 48, ed. Reisk. Legitur et apud Pausaniam, Laconicis, cap. 8, qui illud responsum Delphico oraculo tribuit; sed malumus Diopithem ejus auctorem quam interpretem facere. Confictum procul dubio oraculum ad excludendum regni hæreditate Agesilaum, claudi pedis causa.

15. Ultimum addimus oraculum quod forlasse omnium ultimum ad Bacidis aut Sibyllæ exemplar confictum fuit. Hoc autem ferunt inventum in lapide quodam, tum quum, Valentis imperatoris jussu Chalcedonis mœnia diruerentur, atque inde materies Constantinopolim transveheretur ad reparandas Constantianas thermas, paulo ante Gothorum irruptionem, quæ facta est anno post Chr. 368. Bis autem hoc fragmentum nobis servatum est, primum ab Ammiano Marcellino, l. XXXI, init.; deinde a Socrate, H. N. Eccl. lib. IV, cap. 8. Otiosi alicujus hominis Byzantini et pagani fetum statim quivis agnoscat.

16. Amm. δροσεραί, ac deinde χορείαις τερπόμεναι στροφόωντες, male omnia; et melius Socrates, quem sequimur. Innuitur vero magna vis aquarum, novi aquæductus ope, per urbem discurrentium, quæ poetice Nymphæ vocantur.

17. Versus hic apud Ammianum mire corruptus est. Commune tamen utrique citanti πολύστονον, quod nos de Chalcedoniorum luctu interpretamur.

18. Amm. Οὔνια φῦλα, quod a recentiore librario Chunnorum causa scriptum videtur. Deinde idem πολυσπέρμων, male: confer Sibyllina nostra, lib. I, v. 1. Et idem in fine ἀποροῦσι pro ἀνθρώπων, sine sensu.

19. Hic versus Ammiano deest.

20. Amm. χαμψιρόοιο πόρον περάοντα.

21. Amm. χώραν.

Καὶ Σκυθικὴν ὀλέσει χώρην [21] καὶ Μυσίδα γαῖαν·
Θρηϊκίης [22] δ' ἐπιβάντα σὺν ἐλπίσι μαινομένῃσιν,
Αὐτοῦ [23] κεν βιότοιο τέλος καὶ πότμον ἐπίσπῃ.

ΠΑΡΩΔΙΑΙ ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΕΙΟΙ [1].

Α.

Ὦ μέλεοι θνητοὶ καὶ νήπιοι [2]..........
Οἵτινες ἀφραδίῃσι θεῶν νόον οὐκ ἀΐοντες,
Συνθήκας πεποίησθ' ἄνδρες χαροποῖσι πιθήκοις,
Καὶ κέπφοι τρήρωνες ἀλωπεκιδεῦσι πέπεισθε,
Ὧν δόλιαι ψυχαί, δόλιαι φρένες.......
Εἰ γὰρ μὴ Νύμφαι γε θεαὶ Βάκιν ἐξαπάτασκον,
Μηδὲ Βάκις θνητούς, μηδ' αὖ Νύμφαι Βάκιν αὐτὸν,
Οὔπω θέσφατον ἦν Εἰρήνης δέσμ' ἀναλῦσαι,
Ἀλλὰ τότε πρῶτον.....
Οὐ γάρ πω τοῦτ' ἐστὶ φίλον μακάρεσσι θεοῖσι,
Φυλόπιδος λῆξαι, πρίν κεν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ.
Ἕως ἡ σφονδύλη φεύγουσα πονηρότατον βδεῖ,
Χὴ κώδων ἀκαλανθὶς ἐπειγομένη τυφλὰ τίκτει,
Τουτάκις οὔπω χρῆν τὴν εἰρήνην πεποιῆσθαι.....
Οὔ ποτε ποιήσεις τὸν καρκίνον ὀρθὰ βαδίζειν,
Οὐδέποτ' ἂν θείης λεῖον τὸν τραχὺν ἐχῖνον...
Φράζεο δὴ μήπως σε δόλῳ φρένας ἐξαπατήσας
Ἴκτινος μάρψῃ.......

Β.

Ἀλλ' ὅταν [3] οἰκήσωσι λύκοι πολιαί τε κορῶναι
Ἐν ταὐτῷ, τὸ μεταξὺ Κορίνθου καὶ Σικυῶνος,
Πρῶτον Πανδώρᾳ θῦσαι λευκότριχα κριόν.
Ὃς δέ κ' ἐμῶν ἐπέων ἔλθῃ πρώτιστα προφήτης,
Τῷ δόμεν ἱμάτιον καθαρὸν καὶ καινὰ πέδιλα.
Κἂν μέν, θέσπιε κοῦρε, ποιῇς ταῦθ', ὡς ἐπιτέλλω,
Αἰετὸς ἐν νεφέλῃσι γενήσεαι· αἰ δέ κε μὴ δῷς,
Οὐκ ἔσει οὐ τρυγὼν, οὐδ' αἰετὸς, οὐ δρυκολάπτης.

22. Amm. Παίονά θ' ἱπποβάτην σὺν Κέλταις μαινομένοισι, unde fortasse Παιονίης in textu reponendum pro Θρηϊκίης, quod videtur e glossa natum. Sed ἐλπίσιν omnino servandum. Quid enim Celtæ circa Istrum?

23. Amm. ταὐτὸ καὶ βιότοιο τέλος καὶ ὄλβις ἐφέζει, sine sensu.

1. Sibyllarum aliorumque vatum fragmentis addimus Aristophanis et Luciani parodias, quibus, dum sui temporis falsos vates exagitant, dicendi genus illud, quod Sibyllæ, Bacidis et oraculorum commune fuit, imitando atque illudendo magis illustrant.

2. Ex Aristophane in Pace, v. 1063,

Vastabuntque agros Scythicos et Mysidis arva :
Sed quum Threiciam invadent horrenda minantes,
Hic vitæ finem invenient fatumque supremum.

PARODIÆ ARISTOPHANIS.

I.

O miseri et stulti mortales..........
Quid, Divum ignari mentis (socordia tanta est),
Vos homines cum simiolis mala fœdera initis,
Et fatui mergi præbetis vulpibus aurem,
Quarum mens infecta dolis.........
Namque Bacin Nymphæ nisi decepere docentes,
Nec Bacis ipse homines, nec vos, Nymphæ, Bacin ipsum,
Nondum erat in fatis dissolvi vincula Pacis;
Sed tum, quum primum.......
Necdum Dis superis visum, intermissa relinqui
Bella, prius quam nupta lupo se junxerit agna.
Namque ut blatta jacit fugiens inamabile virus,
Ut properans cæcos avis edit garrula pullos,
Sic tu ne nimium properans male fœdera jungas.
Nunquam tu recta facies procedere cancrum,
Nec facies unquam ut lævis siet asper echinus...
Ergo cave tua circumagat ne pectora fallax
Insidiis milvus.......

II.

Ast ubi jam domus una lupis, cornicibus una
Fiet utrisque placens, inter Sicyona Corinthumque,
Ariete Pandoram primam placaveris albo.
Tum qui nostra tibi vates feret omina, vestem
Huic mundam crepidasque novas donare memento.
Quod si, dive puer, recte mea jussa sequaris,
Fies mox aquila in cælo : sin parcus omittas,
Non aquila in cælo, sed nec turtur neque picus.

sqq. ed. Brunck. Ibi Bacidis præcipue deridentur imitatores, unde illud Εἰ γὰρ μὴ Νύμφαι γε, κ. τ. λ. Bacis enim Nympharum instigatione canere se jactabat, vocatus ideo a Pausania, loc. supra cit., ἀνὴρ κατάσχετος ἐκ Νυμφῶν.

3. Ex Aristophane, in Avibus, v. 967, sqq. Videtur comicus simul Bacidis parodiam facere, simul Homeri, cujus est cantilena Κάμινος hoc initio : Εἰ μὲν δώσετε μισθὸν, ἀείσω, ὦ κεραμῆες..., Ἦν δ' ἐπ' ἀναιδείην τρεφθέντες, κ. τ. λ.

Γ.

Φράζευ [4], Ἐρεχθείδη, λογίων ὁδὸν, ἥν σοι Ἀπόλλων
Ἴαχεν ἐξ ἀδύτοιο διὰ τριπόδων ἐριτίμων.
Σώζεσθαί σ' ἐκέλευσ' ἱερὸν κύνα καρχαρόδοντα,
Ὃς πρόσθεν λάσκων, καὶ ὑπὲρ σέο δεινὰ κεκραγὼς,
Σοὶ μισθὸν ποριεῖ· κἂν μὴ δρᾷς τοῦτ', ἀπολεῖται·
Πολλοὶ γὰρ μίσει σφε κατακρώζουσι κολοιοί.

Δ.

Φράζευ [5], Ἐρεχθείδη, κύνα Κέρβερον ἀνδραποδιστὴν,
Ὃς κέρκῳ σαίνων σ'.....

Ε.

Ἔστι [6] γυνὴ, τέξει δὲ λέονθ' ἱεραῖς ἐν Ἀθήναις,
Ὃς περὶ τοῦ δήμου πολλοῖς κώνωψι μαχεῖται,
Ὥστε περὶ σκύμνοισι βεβηκώς· ὃν σὺ φύλασσε,
Τεῖχος ποιήσας ξύλινον πύργους τε σιδηροῦς.

F.

Μὴ [7] πείθου· φθονεραὶ γὰρ ἐπικρώζουσι κορῶναι·
Ἀλλ' ἱέρακα φίλει, μεμνημένος ἐν φρεσὶν, ὅς σοι
Ἤγαγε συνδήσας Λακεδαιμονίων κορακίνους.

Ζ.

Κεκροπίδη [8] κακόβουλε, τί τοῦθ' ἡγεῖ μέγα τοὖργον;
Καί κε γυνὴ φέροι ἄχθος, ἐπεί κεν ἀνὴρ ἀναθείη.
Ἀλλ' οὐκ ἂν μαχέσαιτο.....

Η.

Ἀλλὰ [9] τόδε φράζευ· πρὸ Πύλου Πύλον, ἥν σοι ἔφραζον,
Ἐστὶ Πύλος πρὸ Πύλου.....

Θ.

Αἰγείδη [10], φράσσαι κυναλώπεκα, μή σε δολώσῃ,
Λαιθαργὸν, ταχύπουν, δολίαν κερδὼ, πολύϊδριν.

Ι.

Ἀλλ' ἔτι [11] τόνδ' ἐπάκουσον, ὃν εἶπέ σοι, ἐξαλέασθαι,

4. Ex Aristoph. Equit. v. 1015, sqq. Initium oraculorum frequens hoc fuisse videtur, φράζευ vel φράσσαι vel φράζεο δή. Confer infra fragm. IV, VIII, IX, et supra Diopithis fragm. Nec dubitamus totum hemistichium: Φράζευ, Ἐρεχθείδη, Bacidis esse vel pseudo-Bacidis, sæpius sic Atheniensibus adulantis. Idem recurret in fragm. seq. Et sic infra Κεκροπίδη et Αἰγείδη, fragm. VII et IX.

5. Ex Aristph. ibid. v. 1030, sq.

6. Ibid. v. 1037, sqq.

III.

Accipe, Erechtide, quæ sint oracula Phœbi,
Quæ tibi de tripode atque adytis penetralibus effert.
Ipse jubet sacrum, districto dente minantem
Serves usque canem, tibi qui morsu atque latratu
Mercedem referet; ni faxis, quippe peribit:
Graculus hunc odio crocitans nam plurimus urget.

IV.

Accipe, Erechtide, quis sit tibi Cerberus iste,
Qui servos facit, et cauda qui blandus adulat.

V.

Est mulier, sanctis olim quæ gignet Athenis
Impigrum contra culices pugnare leonem
Pro populo, ceu pro catulis: quem tu bene serves
Mœnibus ilignis ferratæque objice turris.

VI.

Ne credas, odio crocitat quæ percita cornix:
Accipitrem sed ama, memor ut Lacedæmone multos
Egerit ille tibi captos indagine pisces.

VII.

Cecropide demens, magnum hoc tibi nempe videtur!
Imponat modo vir, portabit femina fascem.
At non pugnabit.....

VIII.

Accipe et hoc: Pylos ante Pylon, sicut tibi dixi,
Est Pylos ante Pylon.

IX.

Ægide, cave vulpicanem, ne te improba fallat,
Velocem, astutam, multa ingeniosa patrantem.

X.

Hæc etiam serva, quæ fert oracula Phœbus:

7. Ibid. v. 1051, sqq.
8. Ibid. v. 1055, sqq.
9. Ibid. v. 1058, sq. Ludit poeta ambages verborum et tautologias et battologias, quæ in Bacidis oraculis, aliisque ad eorum instar confictis, crebræ videntur occurrisse, quarum etiam exempla in nostris Sibyllinis haud rara sunt.
10. Ibid. v. 1067, sq.
11. Ibid. v. 1080, sq.

Χρησμὸν Λητοΐδης, Κυλλήνην, μή σε δολώση.

ΙΑ.

Ἀλλὰ[12] γάρ ἐστιν ἐμοὶ χρησμὸς περὶ σοῦ πτερυγωτὸς,
Αἰετὸς ὡς γίγνει, καὶ πάσης γῆς βασιλεύσεις.

ΙΒ.

Ἀλλ' ἐγὼ[13] εἶδον ὄναρ, καί μοι δοκεῖ ἡ θεὸς αὐτὴ
Τοῦ δήμου καταχεῖν ἀρυταίνῃ πλουθυγίειαν.

ΠΑΡΩΔΙΑΙ ΛΟΥΚΙΑΝΕΙΟΙ[1].

Α.

Ἀλλ' ὁπόταν[2] Πρωτεὺς, Κυνικῶν ὄχ' ἄριστος ἁπάντων,
Ζηνὸς ἐριγδούπου τέμενος κάτα πῦρ ἀνακαύσας,
Ἐς φλόγα πηδήσας, ἔλθῃ ἐς μακρὸν Ὄλυμπον,
Δὴ τότε πάντας ὁμῶς, οἳ ἀρούρης καρπὸν ἔδουσι,
Νυκτιπόλον τιμᾶν κέλομαι ἥρωα μέγιστον,
Σύνθρονον Ἡφαίστῳ καὶ Ἡρακλῆϊ ἄνακτι.

Β.

Ἀλλ' ὁπόταν[3] Κυνικὸς πολυώνυμος ἐς φλόγα πολλὴν
Πηδήσῃ, δόξης ὑπ' Ἐριννύϊ θυμὸν ὀρινθεὶς,
Δὴ τότε τοὺς ἄλλους κυναλώπεκας, οἵ οἱ ἕπονται,
Μιμεῖσθαι χρὴ πότμον ἀποιχομένοιο λύκοιο.
Ὃς δέ κε, δειλὸς ἐὼν, φεύγῃ μένος Ἡφαίστοιο,
Λάεσσι βαλέειν τοῦτον τάχα πάντας Ἀχαιοὺς,
Ὡς μὴ ψυχρὸς ἐὼν θερμαγορέειν ἐπιχειρῇ,
Χρυσῷ σαξάμενος πήρην, μάλα πολλὰ δανείζων,
Ἐν καλαῖς Πάτραισιν ἔχων τρὶς πέντε τάλαντα.

Γ.

Εὐξείνου[4] πόντοιο παρ' ἠϊόσ', ἄγχι Σινώπης,

12. Ibid. v. 1085, sq.

13. Ibid. v. 1090, sq.

1. Lucianus ad Aristophanis exemplum parodiis Sibyllinis non semel usus est; sed videtur non tam ad Sibyllina antiqua respexisse quam ad recentiora, quæ tum pullulabant, christiana scilicet nostra. Minime enim dubium, quin, amico suo Celso assentiens, Christianos, ut Sibyllistas, traducere voluerit.

2. E Luciano, de Morte Peregr. t. VIII, p. 293. Insultant hi versus ridiculo simul et immani fato Peregrini philosophi cynici, qui et Proteus ludibrii causa vocabatur; ridendusne magis an miserandus, quum stulta gloriæ insolentis cupidine, inter Olympiorum ludorum spectacula vivum se coram populo cremandum dedisset.

3. Ex eodem, ibid., sub Bacidis no-

Cyllenen prudens caveas, ne te improba fallat.

XI.

Oraclum mihi pennigerum tua fata revelat :
Ales eris Jovis, et toto dominaberis orbe.

XII.

At mihi per somnos Dea se dedit ipsa videndam,
In populum plena fundens bona plurima pelve.

PARODIÆ LUCIANI.

I.

Ast ubi jam Proteus, Cynicorum maximus unus,
Ad Jovis altisoni templum succenderit ignem,
Insiliensque rogo superas conscenderit arces;
Tunc omnes, quotquot vescuntur munere terræ,
Noctivagum jubeo venerari heroa potentem,
Herculeoque tuoque throno, Vulcane, sedentem.

II.

Ast ubi multisono Cynicus cognomine, flammam
Insiliet, furiis agitatus pectora famæ,
Tunc et vulpicanes, illum quicumque sequuntur,
Ipsos fata lupi jubeo pereuntis obire;
Aut si quis metuens Vulcani fugerit æstus,
Saxis hunc subito plebs impetat omnis Achiva,
Frigida ne gestans præcordia, calda loquatur,
Distendens grandi turgentem fenore peram,
Patrarum ter quinque ferens ex urbe talenta.

III.

Litora ad Euxini ponti vicina Sinopæ,

mine, et adversus Cynicos omnes, qui ad sequendum Peregrini, ducis sui, exemplum facete invitantur.

4. Ex eodem, in Alexandro seu Ψευδομάντει, t. V, p. 75, ed. Bip. Datur vero hoc oraculum tanquam Sibyllinum, ὡς Σιβύλλης προμαντευσαμένης, quo quidem non inepte traducitur falsus vates Alexander Abonotichites, qui sub imperatoribus Romanis vixit, ὑπ' Αὐσονίοισι, ad Ἀβώνου τεῖχος, urbem Euxini, quam Τύρσιν vocat poeta : τύρσις enim antiqua dialecto πύργος est seu τεῖχος. Hic autem similitudine nominis cum Alexandro magno, et numeris literarum ΑΛΕΞ (1, 30, 5, 60), et quatuor nominis syllabis designatur, prorsus ad Sibyllinorum nostrorum morem. Sic enim ibi passim, ad indicandum principis cujusque nomen, literarum μονάδες et δεκάδες nu-

Ἔσται τις κατὰ Τύρσιν ὑπ' Αὐσονίοισι προφήτης,
Ἐκ πρώτης δεικνὺς μονάδος, τρισσῶν δεκάδων τε,
Πένθ' ἑτέρας μονάδας καὶ εἰκοσάδα τρισάριθμον,
Ἀνδρὸς ἀλεξητῆρος ὁμωνυμίην τετράκυκλον.

meratæ inveniuntur, præsertim libri V initio et in ultimis quatuor libris. Pariter etiam ab auctore libri XII, v. 270, sq., Alexander Severus designatur: Τοὔνομ' ἔχων βριαροῖο Μακηδονίοιο ἄνακτος, Στοιχείου ἀρχομένου, atque ita libro XIV.



Ad Turres erit Ausonio sub rege propheta,
Post primam monadem decadas tres qui tibi monstrat
Et monadas quinas et ter vicesima signa,
Quique ducis clari nomen rotat orbe quaterno.

v. 18, Aureolus vocatur ἄναξ τετρασύλλαβος, idem fere quod nunc ὁμωνυμίη τετράκυκλος, ducta metaphora a curru rotis quatuor instructo.



EXCURSUS III.

DE SIBYLLINIS ROMANORUM LIBRIS.

De Sibyllinis Romanorum libris, argumento notissimo et a multis tractato, eam disserendi viam ingrediemur, ut primum de eorum origine et historia, postea de modo ac ratione ipsos adeundi, inquiramus. Ita noster Excursus quasi sponte in duas scindet se partes, etsi, propter ambarum conjunctionem arctissimam, visum est nobis, ut rerum tenorem unum, ita capitum unam seriem deducere.

CAP. I. *An aliqui revera fuerint apud Romanos Sibyllini seu tales dicti libri.*

Constat inter omnes morem fuisse Romanis ut, quoties prodigium aliquod magnum evenisset aut inusitata calamitas, senatus juberet libros Sibyllinos adiri, ex quorum deinde responsis remedia quædam superstitiosa publicis malis adhibebantur. Antiquissimi credebantur ii libri, quippe allati a muliere quadam alienigena et ignota (Sibyllam plerique putabant) ad Tarquinium seu Priscum seu Superbum, qui et collegio ad hanc rem creato curam eorum commisisse ferebatur. Sed quum abditi penetralibus et a vulgi oculis remoti manerent, dubitari potest, utrum vere tales aliqui fuerint libri, an fabula quondam a rege vafro excogitata, deinde a senatu retenta fuerit, ut fictis oraculis fictisque responsis multitudini imperitæ fucus fieret, adactis jurejurando ministris ne fraudem evulgarent, reconditoque diligenter toto hoc negotio inter arcana imperii. Ita sane in fictitios inanis depositi custodes jure converti posset notissimum illud Catonis apud Tullium, de Nat. Deor. I, § 26, et de Div. II, § 24 : « Mirari se quod non rideret aruspex quum aruspicem videret. » Imo multo deterior horum conditio quam illorum. Nam, ut vana, ut, mendax, ut ridicula fuerit augurum et aruspicum scientia, suberat tamen aliquid certæ rei, neque falso ad plebem jactabatur auspicia capta esse vel observata auguria. Templa rite finiebantur, avium volatus aut cantus notabatur, caveis pulli educebantur, exta prosecabantur, omnia vere fiebant

quamvis vano effectu; ac denique fieri poterat, Catone licet contradicente, ut ex istis auguribus vel aruspicibus quidam bona fide partes suas agerent, eademque religione, qua vulgus tenerent, ipsi tenerentur. Sibyllinorum vero librorum non oracula modo vana fuissent, sed et nomen ipsum. Quod quis credere possit, viros in civitate præcipuos in promovenda tam absurda fraude tandiu conspirasse, diversis licet inter se factionibus divisos, quum tamen responsa nonnunquam alterutris favere necesse esset!

Sed majus aliud occurrit indicium. Nam quum incendio Capitolii fama fuit absumptos esse libros; quum de eorum jactura reparanda in senatu actum est; quum per urbes Italiæ et Asiæ conquiri jussi sunt; quis non videt frustra hæc omnia decreta fuisse, si nulli unquam fuerant libri? Quam enim facile potuit excogitari fabula, qua incolumes flammis erepti et in novas latebras repositi dicerentur, interveniente, si opus fuisset, divinæ manus auxilio? Quanto id efficacius fuisset ad conservandum vulgi errorem quam illo conquirendorum librorum novorum apparatu fiduciam veteribus acquiescentem vel evellere vel commovere? Triplex ergo veritatis argumentum quod custoditi tandiu libri, et quod amissi sunt, et quod restituti. Itaque remota hac suspicione, acceptisque tanquam veris quæ vera sunt, protinus ad ipsorum librorum historiam accedamus.

CAP. II. *De origine librorum apud Romanos Sibyllinorum.*

Ac de origine quidem auctor est nobis locupletissimus Dionysius Halicarnassensis, Antiq. lib. IV, § 62 : Λέγεται δέ τι καὶ ἕτερον ἐπὶ τῆς τοῦ Ταρκυνίου [τοῦ νεωτέρου] βασιλείας πάνυ θαυμαστὸν εὐτύχημα τῇ Ῥωμαίων ὑπάρξαι πόλει, εἴτε θεῶν τινος, εἴτε δαιμόνων εὐνοίᾳ δωρηθέν... Γυνή τις ἀφίκετο πρὸς τὸν τύραννον, οὐκ ἐπιχωρία, βίβλους ἐννέα μεστοὺς Σιβυλλείων χρησμῶν ἀπεμπολῆσαι θέλουσα. Οὐκ ἀξιοῦντος δὲ τοῦ Ταρκυνίου τῆς αἰτηθείσης τιμῆς πρίασθαι τὰς βίβλους, ἀπελθοῦσα τρεῖς ἐξ αὐτῶν κατέκαυσε· καὶ μετ' οὐ πολὺν χρόνον τὰς λοιπὰς ἐνέγκασα, τῆς αὐτῆς ἐπώλει τιμῆς. Δόξασα δ' ἄφρων τις εἶναι, καὶ γελασθεῖσα ἐπὶ τῷ τὴν αὐτὴν τιμὴν αἰτεῖν περὶ τῶν ἐλαττόνων ἣν οὐδὲ περὶ τῶν πλειόνων ἐδυνήθη λαβεῖν, ἀπελθοῦσα πάλιν τὰς ἡμισείας τῶν ἀπολειπομένων κατέκαυσε, καὶ τὰς λοιπὰς τρεῖς ἐνέγκασα τὸ ἴσον ᾔτει χρυσίον. Θαυμάσας δὲ τὸ βούλευμα τῆς γυναικὸς ὁ Ταρκύνιος, τοὺς οἰωνοσκόπους μετεπέμψατο, καὶ διηγησάμενος αὐτοῖς τὸ πρᾶγμα, τί χρὴ πράττειν ἤρετο. Κἀκεῖνοι διὰ σημείων τινῶν μαθόντες ὅτι θεόπεμπτον ἀγαθὸν ἀπεστράφη, καὶ μεγάλην συμφορὰν ἀποφαίνοντες τὸ μὴ πάσας αὐτὸν τὰς βίβλους πρίασθαι, ἐκέλευσαν ἀπαριθμῆσαι τῇ γυναικὶ τὸ χρυσίον ὅσον ᾔτει, καὶ

τοὺς περιόντας τῶν χρησμῶν λαβεῖν. Ἡ μὲν οὖν γυνὴ τὰς βίβλους δοῦσα, καὶ φράσασα τηρεῖν ἐπιμελῶς, ἐξ ἀνθρώπων ἠφανίσθη. Hæc Dionysius, qui post alia quædam item ad Sibyllinos libros pertinentia, auctorem ipse citat Varronem : Λέγω δὲ ἃ Τερέντιος Οὐάῤῥων ἱστόρηκεν ἐν τῇ θεολογικῇ πραγματείᾳ, libros haud dubie sic vocans celebratissimos illos *Rerum Divinarum*, quos de eadem re testes adduci mox videbimus a Lactantio et Servio.

Pauciora Lactantius, sed idem fere sonantia, refert, Div. Inst. lib. I, cap. 6, ubi in illo Sibyllarum catalogo sæpe a nobis alias laudato, septimam a Varrone poni ait : « Cumanam nomine Amal-« theam, quæ ab aliis Demophile vel Herophile nominetur : eamque « novem libros attulisse ad regem Tarquinium Priscum [sic], ac pro « his trecentos philippeos postulasse; regemque aspernatum pretii « magnitudinem, derisisse mulieris insaniam : illam in conspectu re-« gis tres combussisse, ac pro reliquis idem pretium poposcisse. Tar-« quinium multo magis insanire mulierem putavisse. Quæ denuo tri-« bus aliis exustis, quum in eodem pretio perseveraret, motum esse « regem ac residuos trecentis aureis emisse. »

Servius in plerisque consentit, ad Æn. VI, v. 72, nec dubie Varronem ipse etiam ducem sequens; nam quum ejus auctoris de Erythræa Sibylla sententiam citasset, ita pergit : « Constat, regnante Tarquinio, « quamdam mulierem nomine Amaltheam, obtulisse ei novem libros, « in quibus erant fata et remedia Romana, et pro his poposcisse ter « centum philippeos, qui aurei tum pretiosi erant. Quæ contempta, « alia die, tribus incensis reversa est, et tantumdem poposcit, ac denuo « contempta est. Item tertio, aliis tribus incensis, cum tribus tantum « reversa est, et accepit quantum postulaverat pro novem, hac ipsa « re commoto rege, quod pretium non mutabat. Tum mulierem su-« bito non apparuisse. »

Tria ergo hæc testimonia Dionysii, Lactantii, Servii, unum sunt Varronis, a quo si quid differunt aut si quid inter se, id in paucis ac levibus accidere mox demonstraturi sumus.

Sed Varronis ipsius auctores quinam fuerint, inquirere si placet, videtur ipsos nobis indicare, dum ad antiquos Annales provocat, affectator eruditionis archaïcæ Gellius, lib. I, cap. 19 :

« In antiquis, inquit, Annalibus memoria super libris Sibyllinis hæc « prodita est. Anus hospita atque incognita ad Tarquinium Superbum « regem adiit, novem libros ferens, quos esse dicebat divina oracula; « eos velle venumdare. Tarquinius pretium percunctatus est : mulier « nimium immensum poposcit. Rex, quasi anus ætate desiperet, deri-« sit. Tum illa foculum coram cum igni apposuit, et tres libros ex

« novem deussit, et ecquid reliquos sex eodem pretio emere vellet, « regem interrogavit. Sed enim Tarquinius id multo risit magis, « dixitque, anum jam procul dubio delirare. Mulier ibidem statim « tres libros alios exussit; atque idipsum denuo placide interrogavit, « an tres reliquos eodem pretio emat. Tarquinius ore jam serio atque « attentiore animo fit; eam constantiam confidentiamque non insuper « habendam intelligit; libros tris reliquos mercatur nihilo minore « pretio quam quod erat petitum pro omnibus. Sed eam mulierem « tum a Tarquinio degressam postea nusquam loci visam constitit. »

Talis ergo fuit antiquorum, quos Gellius vocat, Annalium traditio, a quo non multum Varro discedit, ideoque duces eosdem sequi videtur. Quosnam vero illos? utrum proprio nomine Annales, qui a Pontifice maximo scribi et proponi soliti sunt usque ad sextum urbis Romæ sæculum? Verum illi meros magistratuum fastos continebant cum aliqua rerum publicarum sacrarumque mentione, brevissima tamen, nec quantum apud Gellium amplificata. An XVvirum commentarios intelligas? quos verisimile est non statim inchoatos fuisse ab origine collegii sui, id est, a librorum Sibyllinorum consecratione; nec quidquam de eo argumento scriptum habuisse, nisi serius additum e vulgari fama aut incerta traditione. Magis placet apud Gellium crassiore sensu veteres Annalium, id est, historiarum scriptores intelligere, quales duo potissimum in causa esse possunt : 1° Fabius Pictor, qui religionum Romanarum originibus multum immoratus erat, teste ipso Gellio, libro I, cap. 12, et X, cap. 15, quique apud Dionysium designari videtur his verbis : οἱ τῶν ἱερῶν ἐξηγηταί : 2° Valerius Antias, frequens etiam a Gellio citatus, qui de Sibyllis ac Sibyllinis aliquantum exspatiari debuit, quoniam de ludis sæcularibus diligenter egerat, Varronique de ea re auctor fuerat, notante Censorino cap. 17.

Uterque quum servatis Romæ publicis literis, quæ paucæ supererant, tum iis quoque usus erat traditionibus quas vel in patria sua sparsas apud vulgus repererat, vel ab antiquioribus Græcis, Cumanis præcipue, scripto mandatas, quibus uterque sine dubio nonnulla ex ingenio suo addiderat ad cetera componenda atque adornanda, partim ergo fide dignus, partim suspicionis reus, qua de lite judicium infra ferendum erit.

Utercumque autem Varroni et Gellio præluxerit, certum est plerosque qui post Varronem scripserunt, non aliis usos esse testimoniis quam ipsius Varronis aut a Varrone profectis, quum vel ipsum vel se mutuo exscriberent. Itaque Dionysii loc. supra cit.; Plinii, lib. XIII, § 27; Solini, cap. 2 et 5; Lactantii, loc. sæpe cit., et illum sequentis Isidori, lib. VIII, cap. 8; Servii ad Æn. VI, v. 36 et 72; Joannis

Lydi, de Mensibus, lib. IV, § 34 ; Zonaræ, Annal. VII, § 11 ; Tzetzæ, ad Lycophr. v. 1278 ; Suidæ, v. Σίβυλλαι et Χρηματίζεσθαι et Ἡροφίλα, testimonia non sunt controversia digna, nisi quantum inter se aut a Varrone differunt. Differunt autem in nonnullis, quorum quædam sunt levioris, quædam gravioris momenti.

Levioris, ut quum de numero librorum discrepant, quos plerique tres de novem servatos tradunt, pauci unum de tribus, alii inter utramque sententiam fluctuant. Quid vero, si singulis voluminibus inclusi erant terni libri? Sed id diligentius erit tractandum, ubi de forma et habitu agetur librorum Sibyllinorum, infra, cap. 3.

Levior etiam controversia de pretio. Quid enim refert si Lydus, loc. cit. τριάκοντα χρυσοῦς, non τριακοσίους scripsit, properantius fortasse latina vertens homo græcus? Simili festinatione Anonymus in præfatione ad Sibyllina nostra scripsit : Ἔδωκε μὲν ὑπὲρ αὐτῶν ἑκατὸν φιλιππαίους, ubi oportuisset τριακοσίους φ. vel ὑπὲρ ἑκάστου αὐτῶν ἑκατὸν φ. Quod vero pro *aureis* scripsit Lactantius ceterique post eum *philippeos*, noli nimis indignari : nam et apud Servium, doctissimum grammaticum, vocem istam de eadem re usurpatam reperias, unde verisimile est ipsum Varronem ab ea non abstinuisse, siquidem Varroniana Servius, non Lactantiana referre censendus est, qui a citandis christianis auctoribus prorsus abhorret. At enim philippeos, Dii boni! ducentis annis ante Philippum Macedonem! Absurdum sane, nisi mos ille Romæ invaluisset, apud Plautum præsertim frequens, apud Horatium quoque obvius, ut aurei quivis numi philippi aut philippei nominarentur : quem morem, ab omnibus tunc receptum, Varroni acerbius exprobrare, sane iniquum esset. Ridiculum tamen quod addit Servius : « qui aurei tum pretiosi erant », nisi hoc ut multa a sciolis interpolatum est, aut nisi doctus vir voluit non tam philippeos numos metallo et pretio suo definire, quam eam pecuniam, ut pro illo tempore grandem, istis obiter notare verbis.

Transimus ad graviora. De Tarquinio dubitarunt quidam, uter intelligendus esset. Nam quamvis Superbum plerique designaverint, et hæc hodie vulgo recepta sit opinio, quam Varronis etiam fuisse e Dionysii loco supra citato colligi potest, Lactantius tamen ex eodem Varrone Prisci mentionem affert. Et Plinius, quum alias Superbo faveat, lib. XIII, loc. cit. ita scribens : « Inter omnes constat Sibyllam « ad Tarquinium Superbum, etc. », alibi tamen, lib. XXXIV, § 11, tres Sibyllæ statuas in foro Romano positas a Tarquinio Prisco, tanquam ex vulgi opinione, refert. Solinus, Plinium sequi solitus, haud obscure Priscum designat, cap. 2, quum de Sibylla loquitur « quæ « rebus Romanis quinquagesima olympiade interfuit », id est, extre-

mis Prisci temporibus. Nec minus aperte Joannes Lydus, suprà citatus, Priscum designat: Ἐπὶ Ταρκυνίου Πρίσκου τοῦ ῥηγός. Cautiores, ut Servius, Tarquinium dixerunt, omisso cognomine. Quidam etiam, sed unus ille et anonymus, apud Suidam, v. Ἡροφίλα, an sub regibus id factum fuisset, dubitavit, videturque ad consulum potius tempora respexisse: Ἐπὶ τοῖς χρόνοις τῶν ὑπάτων, inquit, ἄλλοι δὲ Ταρκυνίου. Quod quo ineptius atque absurdius fieret, etiam curavit iste, quisquis fuit, nullam de Sibyllæ persona controversiam relinquere, Herophilam vocans, Theodori filiam, id est aperte Erythræam, quam Tarquinio utroque longe antiquiorem fuisse monstravimus in Exc. I, cap. 2.

Hoc omisso, quoniam unus testis, ut aiunt, nullus est (quid si etiam ineptus atque delirus?), controversiam maximam videmus esse inter oppositas Dionysii et Lactantii relationes de Varronis testimonio, uter ab eo Tarquinius designatus fuerit. Dignior tamen fide Dionysius, non solum quod antiquior, sed etiam quod Varronis narrationem plenius exponat, quodque ex professo totam illam Sibyllinam historiam Tarquinii Superbi rebus inseruerit. Plinius etiam, ubi rem eamdem de Superbo narrat, constanti omnium sententia se tuetur: « inter omnes constat », inquit; de statuis autem Sibyllarum ubi loquitur, levius in uno epitheto peccare potuit: qua etiam excusatione Lactantium facile nos quidem absolvi patiemur.

Sed magis ignoscendum ambobus esset, si Varronem ipsum, quamvis alteri sententiæ propiorem, tamen inter utramque ambiguum reperissent. Quod in aliis quoque rebus nominum similitudo effecit, ut inter utrumque regem lis incerta penderet. Ita de Capitolio condito hodieque dubitatur Priscone an Superbo id sit honori vertendum, quanquam plerique fundatum a Prisco, absolutum a Superbo tradunt. Sunt etiam qui putaverint Superbi cognomen utrique commune fuisse, quod in Digestis, lib. I, tit. 2, § 2, scriptum legatur a Pomponio jurisconsulto: « Quæ omnes [leges] conscriptæ « exstant in libro Sexti Papirii, qui fuit illis temporibus quibus Su« perbus Demarati Corinthii filius. » Sed totum illud fragmentum, unde hæc verba desumpta sunt, falso videtur Pomponio ascribi, quoniam in eo alia quædam occurrunt ab historica veritate aliena, præsertim de Papirii scriptis, tanquam Pomponii ætate exstantibus.

Sit tamen de hac re suum cuique judicium; restat, quod supra dicebamus, potuisse de Sibyllinis oraculis Tarquinio oblatis olim inter utrumque regem hæsitare etiam doctos: idque fortasse causa fuit, cur illam totam narrationem Titus Livius, incertus primum utri potius loco insereret, deinde aliud agens, omiserit.

At de librorum venditrice non minor est quam de emptore quæstio. Nam ex auctoribus supra laudatis tres ita rem narrant, ut non Sibylla huc induci videatur, sed apud Dionysium mulier quædam advena, γυνή τις οὐκ ἐπιχωρία; apud Gellium, anus hospita atque incognita; apud Servium, mulier quædam nomine Amalthea. Quare vix dubitamus similia Varronis fuisse verba, quæ de mulieris conditione aut patria nihil certi statuerent. Qui fit igitur ut Lactantius ex Varronis fide Sibyllam eam diserte et Cumanam vocet? Nobis quidem videtur Varro, quum ex historicorum veterum fide narrationem suam instituisset, non potuisse tamen quin vulgatam suo tempore famam literis consignaret, Sibyllæque illi, quæ vulgo Tarquinium adiisse credebatur, locum in catalogo faceret.

Quippe in ipsa luce cæcutire nobis videatur, si quis neget Varronis tempore vulgatem fuisse famam de libris a Cumana Sibylla scriptis, ab eademque Tarquinio oblatis. Neque enim Sibyllinam iis originem palam denegare, facile erat, quum eum titulum publice et quidem jam ab origine possiderent, teste Gellio, l. cit. : « Libri tres in sacrarium conditi « Sibyllini appellati », id est, a Sibylla scripti. Neque superbiæ Romanæ multum placere poterat, antiqua licet, traditio mulieris ignotæ fata urbis æternæ circumvehentis mercaturamque ex iis instituentis, χρηματιζομένης, uti bis Suidas ait, v. Ἡροφίλα et Χρηματίζεσθαι. Vulgo igitur a Sibylla quum scripti, tum allati credebantur ii libri; quumque nulla in Italia notior esset Sibylla quam Cumana, vulgo putabant illos a Cumana scriptos et allatos. Id vero Varroni, doctissimo viro, minime probari potuit. Primum ille Cumanam antiquam seu Cimmeriam Nævii ad Tarquinium venisse non credidit, qui sciret hanc inter et Tarquinium nimium spatii interesse, circiter sexcentos annos. Atque hanc ejus dubitationem recte notavit Servius ad Æn. VI, v. 36 : « Varro, inquit, in libris Rerum Divinarum requirit a qua « [Sibylla] sint fata Romana conscripta ; et multi sequentes ab hac « Cumana credunt. Quæ licet longæva dicatur, non tamen valde « congruit eam usque ad Tarquinii tempora durasse, cui libros Si- « byllinos constat esse oblatos. » Nec vero scriptos illos libros a Cumana putavit, quam vel ipsi Cumani scriptum nihil reliquisse fatebantur, teste Pausania, Phocic. cap. 12 : Χρησμῶν δὲ οἱ Κυμαῖοι τῆς γυναικὸς ταύτης οὐδένα εἶχον ἐπιδείξασθαι. His motus argumentis, quum tamen Romanæ vanitati et vulgatæ ante se opinioni satisfacere vellet, novam Sibyllam creavit, a qua libri allati essent, eamque Cumanam vocavit, diversam tamen a priori : libros nec a sua nec a priore Cumana scriptos censuit, sed quum de auctore dubitaret ad Erythræam potius inclinavit, teste iterum Servio, loc. cit. : « Ducitur ta-

« men Varro ut Erythræam credat scripsisse. » Causam addit Servius, quod amissi incendio Capitolio Sibyllini libri ex Erythris repetiti fuerint (confer infra, cap. 6). Cui tam futili tamque fallaci indicio non putamus acquievisse doctissimum virum; sed, deficiente Cumana, eam potissimum elegisse quæ inter Græcas vaticiniis celeberrima haberetur. Neque illam vetere Cumana inferiorem sciebat, sive arte vaticinandi, sive etiam ætate, quum utraque Troïcis fere temporibus coæva fingeretur. Itaque in catalogo Cimmeriam ordine quartam, Erythræam quintam, Cumanam seu Tarquinianam, tanquam a ceteris duabus longe distantem, septimo tantum loco posuit, interjecta Samia.

Restabat quærere quo pacto vel quo jure ab Erythræa scripti libri, ut ipse fingebat, a nova Cumana afferri potuissent; id autem Varro quanam arte expedierit, plane nescimus. Sane Tzetzes, ad Lycophron. loc. cit., incertum suone arbitrio an ex alterius fide, mulierem eam, quæ ad Tarquinium venit, famulam Cumanæ Sibyllæ fingit fuisse, illius nempe antiquioris : Περὶ ἧς δὲ Σιβύλλης νῦν ὁ Λυκόφρων λέγει, Κυμαία ἦν, ἥτις τέθνηκεν ἐν χρόνοις Ταρκυνίου τοῦ Ὑπερηφάνου, βίβλους προφητικοὺς αὐτῆς τρεῖς ἢ ἐννέα καταλιποῦσα, ὧν ἢ μίαν ἢ τρεῖς ἐξωνήσαντο οἱ Ῥωμαῖοι, ὡς τὰς λοιπὰς τῆς ἐκείνης θεραπαίνης ἀναλωσάσης πυρὶ, ὅτι μὴ ἐδίδουν ἐκείνῃ ὅσον ἐζήτει χρυσίον. Audis θεραπαίνης munus mulierculæ inditum. Verum hoc præterquam indecorum nec satis poeticum videri potest, etiam cum temporum ratione, minime convenit propter majorem multo antiquitatem Sibyllæ quæ librorum auctor fingitur : ipsam enim Tarquinii tempore e vivis decessisse non aliam ob causam videtur finxisse Tzetzes, quam fabulæ suæ firmandæ causa, sed id profecto nimis absone. Facilius simulque dignius fuisset per aliquot sæcula pluresque manus libros illos ad ignotam mulierem deducere, quæ venales Tarquinio obtulisset; sed id Varroni non placuit, quia, ne vulgi mentes offenderet, advenam illam mulierem Sibyllam facere omnino volebat.

Hoc uno omisso, patet tota Varronis sententia : Erythræam Sibyllam libros scripsisse, Cumanam novam ab Erythræa scriptos attulisse. Potuit in hac re ducem aliquem sequi seu Romanum seu Græcum : non credimus tamen, primum quod antiquos annalium scriptores aliter sensisse videamus; deinde quod in hac Sibylla Varro nulla se auctoritate tueatur, qui in ceteris auctorum nomina cautus proferat; quod denique eum in hac re propriis conjecturis, non alienis suffragiis usum esse, innuat ipse Servius his verbis : « Ducitur tamen Varro « ut credat. »

Illud vero audacius fecit, quod inventæ a se novæ Cumanæ pro-

priam appellationem, græcum scilicet nomen Amaltheam dedit, Lactantio diserte id affirmante, consentientibus insuper Servio et Joanne Lydo, locis citatis, atque ipso Tibullo, qui omnem de Sibyllis eruditionem suam haud dubie a Varrone acceperat, quum ita scriberet, lib. II, eleg. 5, v. 67, sq. :

Quidquid Amalthea, quidquid Marpessia dixit,
Herophile Phœbo grataque quod monuit.

Admissum a Varrone nomen poeta impune amplecti potuit : falso tamen, quoniam Amalthea proprium est Epiroticæ cuidam Sibyllæ vocabulum, plane ut Herophile Erythrææ. Ceterum in hac appellatione videtur hæsitasse Varro ipse, si vere ejus verba sunt a Lactantio reddita : « Quæ ab aliis Demophile vel Herophile nominatur. » Sed hæc iterum falso dicta : nam Herophiles nomen, ut diximus, alio pertinet; Demophilen autem a nemine adhuc nuncupatam invenimus. Demo tantum ab incolis Cumarum dicebatur Cumana antiquior, teste Pausania citato in Exc. I, cap. 8, quam etiam longe aliter vocaverunt, Melanchrænam Aristoteles, Deïphoben, incertum qua auctoritate, Virgilius : confer Exc. I, loc. cit.

Ita de origine Sibyllinorum apud Romanos librorum, etsi aliquid veri subesse diximus, confusa pleraque et commentis conjecturisque variis intricata sunt. Quod si nostram quoque sententiam afferre licet, Tarquinius Superbus, tyrannorum solertissimus, non is erat qui ullam firmandæ dominationis artem aut nesciret aut negligeret. Facillime autem religione duci populorum animos, nondum præsertim adultorum, probe sciebat, qui tantam curam tantasque impensas in Capitolio ædificando consumpsisset, Liv. I, § 55, sqq. Quantum etiam oraculis et vaticiniis profici posset ad regendam impellendamve credulam plebem, didicerat sane quum ad scitandum Delphici Apollinis oraculum (novum hoc omnino Romanis) legatos mitteret, nec obvium quemlibet, sed liberos ipse suos et Brutum familiæ suæ proximum, ibid. § 56. Porro ille vir, qui cum Græcis, vel ob ipsam communem originem, multum commercii retinuerat, ignorare nullo modo potuit quæ Sibyllarum in Græcia fama esset, quæ Sibyllinorum oraculorum apud vulgus veneratio, quæ religio, quæ fides. Id utique per filios suos Delphis reduces cognoscere potuit; et quis scit an ab ipsis allatum exemplar aliquod talium oraculorum pervolverat? Potuit ergo vir catus sibi in animum inducere ut simile carmen, sed ad res Romanas magis accommodatum, poetastro alicui faciendum locaret, adjuvante fortasse vel suadente amico et hospite suo Aristodemo, Cumarum tyranno (de quo cfr. præcipue Dionys. Halic. lib. VII, § 2, atque ibi intpp.), apud quem postea exsul vitam finiit. Nec

infitiamur potuisse etiam tale carmen regi nec opinanti sponte offerri a poeta adulante; imo et fortasse afferri a muliere quadam ignota, quæ talium rerum mercaturam faceret. Hinc arrepta occasione tyrannus subsidium novum et quasi fulcrum admovere suæ dominationi decrevit. Sed erat fabula excogitanda quæ arcanum quoddam religiosum illi fraudi circumfunderet. Inde mulieris ignotæ commentum, quam Tarquinius Sibyllam ipse fortasse non vocavit, vocari tamen et credi haud ægre tulit : de qua ne quid inquireretur, subito amotam ex oculis, narrationi additum est, id quod apud Dionysium expresse legitur : Ἐξ ἀνθρώπων ἠφανίσθη. Et apud Gellium : « Sed eam mulierem « tunc a Tarquinio degressam, postea nusquam loci visam constitit. » Et apud Servium : « Tum mulierem subito non apparuisse. » Unde et fraus arguitur Lilybitanorum sepulcrum ejus mulieris apud se monstrantium, teste Solino, loco jam citato, cap. 2. Cetera de pretio librorum petito primum nec impetrato, deinde pro duabus ipsorum partibus petito eodem rursusque negato, tandem pro una tertia parte accepto integro, eleganter sane ficta sunt, nec tamen omnino ad solertem Tarquinii mentem referenda. Redolent enim quiddam orientalis ingenii; nec Græcis aliena prorsus fuerunt. Similis certe est narratio apud Suidam bis, v. Βύβλον et Φάκελλος, ex Æliano prolata, quanquam infeliciter decurtata nec satis certo argumento, ita nempe : Ὁ δὲ Ἀπόλλων κελεύει τὸν μὲν ἀποδόσθαι τῷ Νικάνορι φάκελλον βύβλου τετρακοσίων χρυσῶν· ἐὰν δὲ μὴ ἐθέλῃ, ἀεὶ προσεπιτιμᾷν καὶ ἐπαιτεῖν τοῦ χρυσίου προστιθέντα, ἕως ἂν ἀπειπὼν δῷ ὅσον ἂν αἰτηθεὶς τύχῃ τῇ ἐπὶ πάσαις φωνῇ. Quo in loco verba ultima τῇ ἐπὶ πάσαις φωνῇ aliquid in narratione prætermissum produnt, ut olim scriptum putemus τῶν μὲν βίβλων ὑπεξαιρούμενον, τοῦ δὲ χρυσίου προστιθέντα, ἕως ἂν, κ. τ. λ. Fassi jam sumus ignorare nos, quo sit hæc narratio referenda; et fortasse Nicanoris nomen ultro nos ad tempora deduceret Tarquiniis multo posteriora. Fabulam tamen ipsam perantiquam esse putamus, neque a Latinis ad Græcos, sed potius ab Oriente in Græciam, deinde ex Græcia in Latium transiisse, sive a Tarquinio, sive postea ab aliquo latinorum græcorumve scriptorum satis solerter huc invectam.

Ceterum ad ejusdem solertissimi regis consilium referendæ videntur, quæ vulgo erectæ a Tarquinio Prisco dicebantur, Sibyllæ statuæ tres, apud Plinium, loc. supra cit. Quæ postea Augusti temporibus in foro juxta Rostra institutæ, id est, repositæ sunt, eodem teste. Et fortasse numerus statuarum ternarius ad librorum superstitem numerum respiciebat. Quanquam de statuis ipsis, an tres revera a Tarquinio positæ fuerint, videtur hæsitare Plinius : « Non miror, « inquit, tres sint licet. » Id vero nos omnino miramur, et numeri

causa et ætatis. Tantane tum Romæ fuit artificum copia tamque profusus statuarum usus, ut tria unius feminæ signa simul erigerentur? Plinius quidem unam præterea statuam, ad regum tempora pertinentem, agnoscit, Atti nempe Navii, quam Tarquinii Prisci temporibus attribuit, præeunte Livio, lib. I, § 36. Imo septem addit regum signa in Capitolio; sed quis tam antiqua credat, præsertim quum his Bruti statuam additam esse discamus a Dione, lib. XLIII, § 45. Atti vero ipsius effigies hic suspecta est. Nam ullane statua, in foro præsertim conspicua, Gallos urbem tenentes omniaque igne vastantes effugerat? Et ut Sibylla una effugerit, an etiam tres omnes? Relegendus itaque Plinii locus, qui ita se habet, lib. XXXIV, § 11 : « Non « miror, inquit, tres sint licet : una, quam Sextus Pacuvius Taurus, « ædilis plebis, instituit [alii, contra codicum fidem, restituit]; duæ, « quas M. Messala. » Fuerunt hi duo sub Augusti principatu clari, negante licet Harduino; nam quis putet alios ejusdem nominis a Plinio tacite laudari? Augusti ergo tempore, tres illæ statuæ vel institutæ vel restitutæ sunt; antiquiores, esto; sed unde huc translatæ? Jure igitur illæ quoque suspectæ. Et si una Tarquiniis suppar fuerit, duas certe reliquas minime hoc antiquitatis honore dignamur. Nec credimus tantum uni Sibyllæ datum, ut ter in foro spectaretur; imo molestum hoc atque importunum visentibus fuisset. Magis placet trium Sibyllarum statuas serius multo erectas fuisse, et si quis ultra quærat, trium Italicarum, quas Carmentam, et Cumanam, et Tiburtinam fuisse putamus : positas ergo, quod de ultima saltem affirmare pæne ausimus, non ante bella Punica, quibus haud multo anteriorem fuisse Tiburtinæ Sibyllæ cultum supra monuimus in Exc. I, cap. 11.

CAP. III. *Sibyllini libri quales initio fuerint.*

Utcumque comparatos libros et quocumque consilio publice sacratos, fert animus, quales fuerint, cognoscere. Quum tamen quid in eis infuerit, nemini scire liceat, et quæ de ea re conjectando divinari possunt, melius in finem hujus Excursus reservanda sint, de habitu tantum ipsorum exteriore, ceterisque, quæ vel a profanis resciri potuere, nunc agemus.

Volumina potius fuisse quam codices ad nostrum morem complicatos, ex usu illorum temporum satis tuto conjici potest. Exiguæ fuisse molis idem nos docet usus, quum vulgo tot volumina fierent, quot erant operis cujusque partes, quæ ideo libri vocabantur. Ita enim jubebat ipsa voluminum forma, parum sane commoda, si aut gran-

dioris mensuræ aut oneris gravioris essent. Atque aliter vix potuissent novem libri unius feminæ gremio contineri.

De numero tamen vidimus jam supra dissentire inter se auctores, quorum alii tres e novem, alii e tribus unum servatum voluere : confer supra cap. I, pag. 152. Prior magis vulgata opinio; altera magis erudita et exquisita, pro qua stat Plinius, H. Nat. XIII, § 27, ita scribens : « Inter omnes convenit Sibyllam ad Tarquinium Superbum tres « libros attulisse, ex quibus igni duo cremati ab ipsa, tertius cum « Capitolio Sullanis temporibus. » Sed liceat illud saltem reprehendere quod scripsit : « Inter omnes convenit, » quum ante ipsum nemo nobis occurrat hujus sententiæ particeps. Post illum transiit in eamdem partem perpetuus ejus imitator Solinus, cap. 2 ; item Lydus de Mensibus; item Suidas, sive apud Suidam anonymus auctor, v. Ἡροφίλα. Recentiores dubitarunt, ut maxime Tzetzes ad Lycophr, loc. cit. : Βίβλους, inquit, ἢ τρεῖς ἢ ἐννέα, ὧν ἢ μίαν ἢ τρεῖς ἐξωνήσαντο οἱ Ῥωμαῖοι, Zonarasque, lib. VII, § 11, ed. Bonn. iisdem pæne verbis utens : Βιβλία τρία ἢ ἐννέα φέρουσα..... τὸ ἓν ἢ τὰ τρία τῶν βιβλίων κατέκαυσεν. Quare videndum ne utrique dubitandi auctor fuerit communis aliquis auctor, libro nunc deperdito, Dio fortasse Cassius, qui Zonaræ solet ante oculos assidue versari.

Certe causam dissidii inquirentibus nobis, non alia succurrit quam si vel tres libri uno volumine inclusi olim fuerint, vel post incensum Capitolium Sibyllini versus denuo collecti, et quidem numero satis pauci (confer infra cap. 4), unum volumen impleverint. Fieri enim hoc potuit manente prisco dicendi more, quem morem et inferiorum turba scriptorum et Plinius ipse sequitur aperte libros nuncupans, Hist. Nat. VII, § 35, et XVII, § 38. Ausonius quoque, sed veteremne an præsentem rerum statum innuens, ternarium agnoscit numerum in Gripho, v. 86, ubi ab ipso recensentur « tergemini fatalia carmina libri. »

De materia minus ambigitur : constat enim, more antiquo, linteos fuisse libros, id est in tela lintea descriptos, testante id apertissime Symmacho, lib. IV, epist. 34, his verbis : « Et Martiorum quidem va« tum divinatio caducis corticibus inclusa est; monitus Cumanos lin« tea texta ceperunt. » Quo respicit et illud apud Claudianum, de Bell. Get. v. 231, sqq. :

Quid carmine poscat
Fatidico custos Romani carbasus ævi.

Idque non modo probabile, sed et Tarquiniorum temporibus prope necessarium fuit. Constat enim usum chartæ, id est, papyri Ægyptiacæ, ne in Græcia quidem, nedum in Latio notuisse, nisi Psam-

metichi tempore, paulo ante Tarquinium Priscum; vulgatum autem non fuisse ante Ægyptum ab Alexandro armis partam, altero post Tarquinios sæculo : quæ quidem Varronis est sententia apud Plinium, Hist. nat. XIII, § 21, frustra reclamantem, ibid. § 27. Antea vel tabulis ligneis obductis cera scribebant, quod magis ad rationes quotidianas quam ad rem librariam commodum fuit, vel corticibus seu potius corticum libro lævigato, unde ipsa librorum appellatio, vel linteis, quæ materia, utpote firmior, præferebatur in actis publicis et si quid aliud memoriæ hominum diuturnæ mandari oportebat. Inde librorum linteorum in æde Monetæ servatorum frequens apud Livium mentio, præsertim lib. IV, § 7, 20, etc. Isque mos in fastis custodiendis sero admodum Romæ desiit, siquidem Vopiscus inter linteos libros epistolam a se repertam testatur Aureliani principis, in ejus vita, p. 839, ed. Lugd. Bat. 1661. Confer Eggerum nostrum de hoc omni argumento multa et, ut solet, accurata disputantem in egregia sua dissertatione : *De l'influence du papyrus égyptien*, Paris, 1842.

Sed ut ad libros Sibyllinos redeamus, græce illos fuisse scriptos necesse est, quippe ex Græcia ad Tarquinium allatos. Et tunc quidem latina lingua, sive osca magis quam latina utebantur, rudi admodum et inculta, nullas ad grammaticæ leges exacta, quæ nec ad justum opus condendum adhiberi, et multo minus numeris aptari posset. Cujus si quis imaginem sibi fingere velit, relegat vel informia Oscæ linguæ monumenta, vel certe barbaros Fratrum Arvalium cantus : « Enos, lases, juvate, etc. » Neque enim e duodecim tabulis, quanquam illi ætati proximis, sed sæpe postea reparatis castigatisque, linguam tum in Latio vigentem æstimare tutum esset; quas tamen antiquis jam, ut nobis, salebrosas et tenebrosas, nemo erat, Ciceronis tempore, qui facile interpretari posset. Græca vero lingua jam tum, Tarquiniis regnantibus, magnorum poetarum ingeniis expolita, sola carminibus pangendis aut libris condendis idonea erat. Itaque Numæ ipsius libros inventos esse in ejus sepulcro græce scriptos memorant Livius, Hist. XL, § 29, et Plinius, H. nat. XIII, § 27. Quanto magis credendum, acceptam illam linguam et familiarem fuisse Tarquiniis, origine Græcis, quos etiam fortasse juvabat oracula sua vel ipso peregrinæ linguæ arcano ab inquisitione vulgi tueri. Nec ipsis profecto licuisset alia lingua scriptos libros Sibyllæ imputare, quam omnes norant patria, non nomine tantum, Græcam esse. Adde quod narrat Zonaras, Annal. VII, § 11, auctor per se non ita gravis, sed a Dione Cassio multa desumere suetus, librorum Sibyllinorum custodes, qui a Tarquinio præpositi fuerant servandis iis consulendisque, quum nihil plane in istis literis viderent, accersisse e Græcia (Magna videlicet) duos

viros, legendi interpretandique causa : Ὡς δ' οὐ πάνυ τῶν γεγραμμένων συνίεσαν, εἰς τὴν Ἑλλάδα στείλαντες, δύο ἄνδρας ἐκεῖθεν μισθοῦ ἤγαγον τοὺς ἀναγνωσομένους ταῦτα καὶ ἑρμηνεύσοντας. Græce ergo scripti fuerunt ii libri, nec nisi per summum errorem aliter sensisse videtur Julianus imperator apud Cyrillum, lib. VI, p. 194, de Romanæ Sibyllæ beneficiis ita scribens : Ταῦτα μὲν οὖν ἐκ κατοχῆς καὶ ἐπιπνοίας θείας, ἔκ τε τῶν τῆς Σιβύλλης καὶ τῶν ἄλλων, οἳ δὴ γεγόνασι κατὰ τὴν πάτριον φωνὴν χρησμολόγοι, φαίνεται δοὺς ὁ Ζεὺς τῇ πόλει : nisi forte a Sibylla distinguere voluit Marcios fratres, quorum oracula latina publice Sibyllinis adjuncta dicemus infra, cap. 5 : quos nos quidem haud inviti credimus. Sin minus, ad Julianum refellendum satis essent fragmenta Sibyllæ a Phlegonte servata, in hujus Excursus fine proferenda, quorum si non omnium, saltem nonnullorum fides, nobis judicibus, labefactari minime potest.

Atque ex iisdem fragmentis discemus in Exc. II versibus conscriptos fuisse illos libros, et quidem epico metro, quod solum, ut alias diximus, græcis oraculis proprium fuit. Itaque recte se illud habet apud Tibullum, loco citato, II, eleg. 5, v. 16, sq. :

Te duce Romanos nunquam frustrata Sibylla est,
Abdita quæ senis fata canit pedibus.

Nec minus verum est Tertulliani testimonium, contra Nat., lib. II, cap. 12, Sibyllinum carmen *senarium* vocantis *numerum*, ubi librarii inepte ac stulte *senatorium* rescripserant. Suidas quoque, v. Ἡροφίλα, ad horum librorum vatem respiciens : Ἔγραψε βιβλία γ' μαντικὰ ἐπικῶς, et tales fuisse Sibyllarum omnium versus, multis ipsarum testimoniis commonstravimus in App. ad Exc. II.

Utrum vero acrostichiis continuis descripti fuerint ii libri, quod et per se incredibile et certis argumentis refellitur, contra quorumdam veterum opinionem disputabimus infra, cap. 15.

Quod ad scripturæ modum attinet, si quid et de minutioribus dicendum est, uncialis illa fuit haud dubie, quoniam illo tempore vix altera nota fuit; archaïcis literis et iis tantum quæ ante Euclidem vulgatæ erant; servato digammi et aspirationis usu, quem in Magna Græcia diutius quam in Attica permansisse monumenta demonstrant. Serius etiam, obsolescente charta, et evanido atramento, nox altior illis tenebris addita est. Unde non dubitamus manasse atque in vulgus diffusam fuisse famam de impenetrabili horrore hujus scripturæ, quo videtur respexisse Plautus, manentibus adhuc integris iis libris, ita de epistola quadam muliebri facete ludens in Pseudolo, I, 1, v. 23, sq. :

Hæc quidem, pol, credas, nisi Sibylla legerit,

Interpretari alium potesse neminem.

Nam de legendi potius quam de intelligendi difficultate id accipimus, quum certissima conjectura affirmari possit orationem Sibyllinam, ut cetera illius temporis poemata græca (confer nos de Sibyllino genere dicendi, in Exc. II, p. 105, sq), etsi rebus interdum, verbis raro ambiguam fuisse. Quod fidenter et ex ipsa re colligi potest, et comparatione firmari fragmentorum omnium Sibyllinorum, vel quæ jam allata, vel quæ infra proditura sunt.

CAP. IV. *Sibyllinorum librorum historia usque ad Capitolii incendium.*

Tales ergo libros hominum venerationi consecrare quum statuisset rex vaferrimus, religioso quodam secreto muniendos et a profanorum conspectu arcendos probe sensit. Primo tamen satis fore duxit, si duumvirum e nobilissimis electorum curæ ac custodiæ mandarentur, adjunctis illorum officio duobus ministris seu servis publicis, Dion. Halic. loc. cit.: Ὁ δὲ Ταρκύνιος τῶν ἀστῶν ἄνδρας περιφανεῖς δύο προχειρισάμενος καὶ δημοσίᾳ αὐτοῖς δύο θεράποντας παραζεύξας, κ. τ. λ., de quorum utrorumque munere plura dicemus infra, cap. 9. Nec obstat quod pessime scriptum legitur apud Tzetz. ad Lycophr. v. 1278, unum custodem libris præpositum : Καὶ ἐξέδοντο Μάρκῳ Ἀκιλίῳ, κ. τ. λ., cujus erroris causa mox patebit.

Sed brevi regem pœnituit imperfectæ custodiæ, nisi hoc quoque tyrannico astu excogitatum est, sive ad privatas injurias ulciscendas, sive ad percellendos vehementius vulgi animos. Alter quippe duumvirum unius e ministris indicio deprehensus est, quum aliquid proditionis adversus libros sibi creditos moliretur, gravissimoque supplicio mulctatus, uti mox a Dionysio aliisque discemus.

De proditoris nomine auctores hæsitant, nec res est tanti momenti. Dionysius Μάρκον Ἀτύλιον vocat, nisi quod in Vaticano codice Ἀκίλιον legere est : Tzetzes, ad Lycophr. l. cit., Μάρκον Ἀκίλιον : Zonaras, Dionem sequi solitus, Μάρκον Ἀκίλλιον (sic) : Valerius autem Maximus, loco jam cit., *Marcum Tullium*, ut quidem codices superstites habent, sed male, depravata quippe a librariis lectione propter nimiam cum oratoris nomine familiaritatem ; nam breviator Valerii Januarius Nepotianus, inter Scriptt. vett. Maii, t. III, p. 94, Atilium nominat. Sylburgius Aquilium volebat, græce Ἀκύλιον, quæ media forma est inter Ἀτύλιον et Ἀκίλιον, sed ea mera est conjectura ; ac nisi quis a codicum lectione gratis discedere velit, lis omnis posita videtur

inter Atilium et Acilium, notissimum utrumque nomen; Atilii nobilius, quoniam a Livio XXXV, § 24, Aciliam gentem, aut Glabrionum certe in ea gente familiam, plebeiam fuisse discimus.

Hujus vero Atilii crimen parcius indicavit Dionysius : Ὧν τὸν ἕτερον Μάρκον Ἀτύλιον [Ἀτίλιον jam lege], ἀδικεῖν τι δόξαντα περὶ τὴν πίστιν, καὶ μηνυθέντα ὑφ' ἑνὸς τῶν δημοσίων... Plenior et expressior Valerius Maximus : « Tarquinius rex M. Tullium [lege Atilium] duumvirum, « quod librum secreta civilium sacrorum continentem custodiæ suæ « commissum, corruptus Petronio Sabino describendum dedis- « set, etc. » A Tzetze nihil discas : Ὅτι, inquit, πρὸς μεταγραφὴν ἔδοτο, nec aliud quidquam. Zonaras (an ex Dione?) aliquid addit : Οἱ δὲ περίοικοι μαθεῖν ἐθελήσαντες ὅτι ποτὲ τὸ διὰ τῶν βίβλων εἴη δηλούμενον, τὸν ἕτερον τῶν φυλασσόντων αὐτὰ Μάρκον Ἀκίλλιον χρήμασιν ἀναπείσαντες, μετεγράψαντό τινα. Hoc si cum Valerii testimonio conferas, suspiceris necesse est Petronium illum, de quo Valerius, non cognomine tantum, sed et genere Sabinum fuisse, qui pro vetere duarum gentium æmulatione arcanum Romanæ potentiæ deprehendere voluerit : ab eo corruptum Atilium non libros integros, sed ipsorum partem aliquam describendam dedisse.

Grave sane, si verum fuit, delictum, nimis tamen atroci pœna et tyranni ingenio digna punitum, quam sic refert Dionysius : Ὡς πατροκτόνον, εἰς ἀσκὸν ἐνράψας βόειον, ἔρριψεν εἰς τὸ πέλαγος. Valerius Maximus : « Culeo insutum in mare abjici jussit. » Tzetzes, omissa maris mentione : Ζῶντα δὲ τοῦτον εἰς δέρμα βοὸς ἐκβάλλοντες, ἀνεῖλον. Sed Zonaras, seu Dio potius, supplicium accuratius describit : Γνωσθέντος δὲ τοῦ ἔργου ὁ Μάρκος δύο βύρσαις συῤῥαφείσαις ἐμβληθεὶς κατεποντώθη, ὃ ἐξ ἐκείνου μετέπειτα κατὰ τῶν πατροκτόνων ἐπεκράτησε γίνεσθαι, ἵνα μήτε ἡ γῆ μήτε τὸ ὕδωρ μήτε ὁ ἥλιος μιανθῇ αὐτοῦ θνήσκοντος. Agnoscis in fine celebratissimum illum de parricidarum pœna Ciceronis locum, ab oratore juvene nimis fortasse petulanter declamatum, pro Roscio Amerino, § 26, a seniore severius aliquanto damnatum, in Oratore, § 30, siquidem verissimam supplicii rationem et ipsam majorum mentem exponebat : « O singularem sapientiam, judices! Nonne vi- « dentur hunc hominem ex rerum natura sustulisse et eripuisse, cui « repente cœlum, solem, aquam terramque ademerunt », et cetera quæ etiam pueri norunt. Dubitari tamen potest utrum recte senserit Dionysius, parricidii pœnam tunc fuisse sacrilego impositam, an potius inventa adversus sacrilegos pœna, deinde ad parricidas translata fuerit. Multo enim serius, nec ante Marsici belli tempora, Malleolum quemdam parricidii primum fuisse damnatum illoque supplicio afflictum referunt Livii epitomator lib. XLVIII; Cic. ad

Herenn. I, § 13. Nisi quis dicat, pœna in parricidas jam olim a regibus constituta, tum primum repertum esse qui multaretur : nam Cicero certe de ea pœna tanquam a majoribus, non tanquam suo tempore instituta, loquitur, loc. cit. Ceterum quod de feris cum homine in culeo insutis vulgo fertur, multi putant recentius inventum esse : antiquissima quippe lege culei tantum pœnam institutam; Syllam nihil novi introduxisse nisi peculiarem actionem; deinde Pompeium bestias quatuor adjecisse; quam ad rem confer Instit. IV, tit. 18, § 6, ibique jurisconsultos.

Sic punito sacrilegio, Tarquinius summam videtur adhibuisse curam ne quod postea tale malum accideret; et libros quidem duumviris ut antea, commisit, sed terra inclusos, neque jam facile aut sine publico jussu attrectandos. Id tum demum neque antea cautum fuisse, colligi potest ex unico Tzetzæ, si tanta est ejus fides, testimonio : Ζῶντα δὲ τοῦτον, inquit, ἀνεῖλον· τὴν δὲ βίβλον ἢ τὰς βίβλους ὀρύξαντες. . . . κατέχωσαν. Utique certum est defossos fuisse, et quidem arca prius lapidea diligenter inclusos, ut ait Dionysius, ἐν λιθίνῃ λάρνακι, ut vero Tzetzes, μετὰ λάρνακος; idque, ne quid securitati deesset, in tutissimo et sanctissimo, qui inveniri potuit, loco, nempe in ipso Capitolio, vel ut Dionysius, in templo Capitolini Jovis. Cave cum editoribus Salmasii in Solinum, p. 78, ed. 1629, legas « in delubro Junonis », quum vir doctissimus non alium auctorem de ea re sequatur quam Dion. Halic., idemque supra et infra aperte scribat, « in templo Capitolini Jovis. »

Videtur tamen obstare quod apud Servium legitur, ad Æn. VI, v. 36 : « Post incensum Apollinis templum in quo fuerant [libri] », et ibid. v. 72 : « Qui libri in templo Apollinis servabantur, nec ipsi « tantum, sed et Marciorum, etc. » et ibid. v. 321 : « Incenso Apollinis « templo, inde Romam allati sunt. » Quibus locis facile sane pro *Apollinis* rescriberetur *Capitolii*, si verisimile esset in eadem voce ter peccatum a librariis. Sed ecce in script. vett. collectione Maiana, t. II, p. 187, inter excerpta Dionis, occurrit mentio nova et improvisa oraculi cujusdam Sibyllini, Gallicos tumultus instare tum præmonentis, quum fulmen de cælo lapsum esset in Capitolium juxta Apollinis ædem, πλησίον Ἀπολλωνίου (sic pro Ἀπολλωνείου) : atque ibi doctissimus editor recte et, ut solet, sagaciter annotavit, refelli hoc argumento eorum opinionem qui cellam Apollini propriam in Jovis Capitolini templo fuisse negarent, inprimis Rucquium, de Capitol. cap. 7. Concedatur itaque Servio, Dionem jam sponsorem habenti, in Capitolio quidem et in Jovis templo, sed tamen in Apollinis seu cella sive ædicula seu sacello reconditos fuisse a Tarquinio Sibyllinos li-

bros, sub ejusdem dei tutela cujus instinctu scripti essent, ac fortasse sub ipsis dei pedibus, quod postea in Palatii cella Apollinea repetitum ab Augusto videbimus.

Illic eos jacentes invenit, expulsis mox regibus, publica libertas. Et mirum sane, institutam a tyranno religionem novam necdum adultam, tanto casu commotam non fuisse. An igitur senatus, quum regiæ potestati succederet, publicæ credulitatis vel ipse particeps fuit vel contemptor videri noluit? An, quod vero propius, paratum tuendæ dominationi instrumentum sibi non inutile fore putavit? Utique nihil librorum honori derogatum est. Tantum, quæ assumpta fuerat a Tarquinio eorum tutela ad rempublicam transiit, quod ait Dionysius : Μετὰ δὲ τὴν ἐκβολὴν τῶν βασιλέων, ἡ πόλις ἀναλαβοῦσα τὴν τῶν χρησμῶν προστασίαν, κ. τ. λ.

Imo tum videtur crevisse eorum librorum religio, postquam vere cœperunt in usu esse. Nam quod fuerat sine dubio Tarquinii consilium, ut aliquando opportune adirentur ad sedandos regendosve civium animos, id eo regnante nunquam videmus usurpatum. Mox autem post expulsos reges, liberæ reipublicæ anno sexto, Valerio Publicola IV consule, aditos libros ex eorumque responso sacrum factum Diti Patri videmus apud Plutarch. in ejus consulis vita, t. I, p. 423, ed. Reisk. Imo sunt qui illud sacrum simulque ludorum sæcularium originem ipsi libertatis anno primo, Publicola primum consule, assignent : confer quæ de ea re dicentur infra, cap. 15.

Quam sæpe postea sint aditi, quæve ex iis remedia publicis malis adhibita, longum sit hic enumerare, nec longum modo, sed supervacuum, quum infra suo loco seriem omnem Sibyllinæ apud Romanos historiæ quasi in annales redacturi simus. Satis nunc sit dixisse, crescente hominum circa illa oracula superstitione, eo tandem deventum esse ut fere tertio quoque vel quarto anno propter aliquod sive portentum sive malum publicum senatus decreto libri inspicerentur, ex eoque sacra aliqua procurarentur. Quod præcipue observare licet inter annos ab Urbe condita DXXXVI et DLXXXV, quoniam hujus intervalli plena superest memoria apud Livium, solitum hujusmodi religiones diligenter suis locis referre, nec immerito : nam Xvirum commentarii, quos in his rebus sequi videtur, a quo tempore diligenter haberi cœpti erant, inter pretiosissimos Romanæ chronologiæ fastos habendi procul dubio fuerunt.

Sed quanta fuerit illis temporibus auctoritas Sibyllinorum librorum, nullo magis argumento discas, quam quod adversus eorum fidem per quatuor amplius sæcula suspicio nulla videtur orta, nisi semel anno CCXCIII, quum propter aliqua prodigia consultis libris, apud Li-

vium, III, § 10, « pericula a conventu alienigenarum prædicta; inter « cetera monitum ut seditionibus abstineretur », ubi statim addit Livius : « Id factum ad impediendam legem tribuni criminabantur. » Quippe tum duumviri e patriciis tantum eligebantur, uti infra dicetur, cap. 9. Sed vel illa suspicionis umbra evanuit, postquam lata lex est ut, aucto duumvirum numero, pars e patribus, pars e plebe eligeretur : confer nos ibid.

Mansit ergo deinde per annos fere quadringentos librorum fides inconcussa; nec quidquam de eorum conditione mutatum, ne Gallico quidem bello, quum urbs capta et incensa fuit, quoniam in Capitolio sub Jovis et Manlii tutela secure jacentes, hostis barbari manus et ignes effugerunt. Quæ, juxta nonnullos, causa fuit cur in quibusdam gentis Manliæ numis effigies nomenque Sibyllæ retineretur (confer apud Vaillantium, Num. antiq. fam. Rom., t. II, p. 96, numum ejus gentis delineatum : mulieris caput tortis capillis redimitum cum nomine SIBYLLA). Nisi forte Manlius ille, cujus is numus est, L. TORQUATUS TRIUMVIR, unus fuit e Xviris seu XVviris S. F., quod sculptus in aversa parte tripus indicat; idque vero propius.

Ceterum illam cum Sibylla cognationem merito Manliis invidere potuerunt Cornelii, postquam, ut ferunt, P. Cornelius Rufus, ex libris Sibyllinis, Punico bello secundo, ludos Apollineos instituere jussus, ex eo vulgari appellatione Sulla, quasi Sibylla, dictus est, illudque cognomen ad nepotes suos transtulit, teste in commentariis ipso dictatore, sive ejus liberto Epicadio, sicut Macrobius docet, lib. I, cap. 17, et Charisius, lib. I, col. 85, ed. Putsch.; partim etiam Gellius, lib. I, cap. 12.

Mansit utique, quem diximus, idem libris honor idemque status, consultis sæpe, statimque, ubi consulti essent, sub terram repositis, tanquam procul ab omni metu, usque ad Syllana tempora seu Marsicum bellum : quod diserte ait Dionysius loco cit. : Οὗτοι διέμειναν οἱ χρησμοὶ, μέχρι τοῦ Μαρσικοῦ πολέμου κείμενοι κατὰ γῆς ἐν τῷ ναῷ. Marsicum vero bellum intelligas sociale potius, quo libri cum ipso Capitolio exusti sunt, uti dicetur infra, cap. 6.

CAP. V. *De libris quibusdam aliis publico jussu ad Sibyllinos adjunctis.*

Interim præmittendum aliquid de libris quibusdam aliis fatidicis, quos honoris causa Sibyllinis consociatos, testimoniis auctorum paucis quidem, sed minime aspernandis, comperimus. Ter hoc factum,

eoque honore libri insigniti sunt Tiburtinæ sive Albuneæ Sibyllæ, Marciorum fratrum, Begoës nymphæ.

Sed de Tiburtina Sibylla multa jam diximus in Exc. I, cap. 10, ubi et obiter quæsivimus quonam maxime tempore ejus libri in Capitolium translati viderentur; nempe, uti nobis placuit, ante Punica bella, quinto fere post Romam conditam, tertio ante Christum sæculo. Primo eam loco ponendam ducimus eorum vatum quorum libri Sibyllinis publice adjuncti sunt, quoniam de ipsa ante ceteros excogitari debuit honor ille, neque ulli videtur melius convenisse. Quam enim decebat Sibyllæ Sibyllam comitem addi tanquam sororem! Aperta per illam via ceteris deinde facilius patuit. Ac, nisi fallimur, ab illo etiam tempore cœperunt Romani tres Italicas agnoscere Sibyllas, Carmentam, Cumanam, Tiburtinam, quarum postea tres statuas Romæ in foco circa Rostra positas supra diximus, cap. 2, extr.

Serius putamus in Sibyllinum consortium receptam esse Begoën nympham, etsi de illa vix certi quidquam afferri potest in extrema documentorum penuria. Primus ac pæne unus de tanto vatis hujus privilegio testis est Servius, ad Æn. VI, 72, de Sibyllinis libris ita loquens : « Qui libri in templo Apollinis servabantur [id est, uti supra dictum, cap. 4, in templo Jovis Capitolini, Apollinis cella]; « nec ipsi tantum, sed et Marciorum, et Begoës nymphæ, quæ artem « scripserat fulguritarum apud Tuscos. » Nec ille plura, vacillante etiam in codicibus nominis scriptura : nam alii *Begoës* habent, alii *Bygoës*, quidam *Bygoïs*. Ipsam nympham docet nos idem numeratam fuisse ab Etruscis inter auctores eos qui libros scripserant *fulgurales* a Cicerone dictos, de Divinat. lib. I, § 33; a Servio autem, ad Æn. I, 42, *libros de fulguratura*, vel, ut supra lectum est ad lib. VI, 72, *de arte fulguritarum* (supple *arborum*), seu verius fortasse *fulguritorum* (supple *locorum*), id est, de ritu expiandi locum fulmine tactum, quem Festus *fulguritum* vocat, proprio, uti putamus, nomine, antequam expietur; dicendum postea *bidental*, ab ovis bidentis immolatione. Plures hujusmodi libros fuisse certum est apud Etruscos, a quibus Romani maximam partem rituum ac cærimoniarum suarum acceperant : duplicis imo generis fuerunt, distinguente Cicerone, l. cit. *fulgurales* et *tonitruales* libros, quorum priores, uti videtur, de locis fulguratis, alteri de ominibus e tonitru capiendis agebant.

Ad tonitruales referendi quorum fragmenta non exigua primum a latinis compilatoribus, Capitone, Fonteio, Labeone, Figulo, Plinio excerpta, et ex etrusca lingua in latinam translata, deinde rursus excerpta et græce versa, feliciter nobis servata sunt a Joanne Lydo,

libro de Ostentis, edito curis clarissimi viri Car. Bened. Hase, post Valerium Maximum, ed. Lemaire, Par. 1823. Primus et antiquissimus eorum librorum habebatur, qui Tarchonti a quibusdam, Tageti a pluribus tribuebatur, partim latinis, partim tuscis literis scriptus, de quo plura Lydus, ibid. § 2, sqq. Ex istis superstitiosæ literaturæ reliquiis discas quid sibi velit auditum tonitru, luna capricornum obtinente vel aquarium vel pisces vel aliud signum, Lyd. ibid., § 39, sqq.; quid fulmen hac vel illa anni tempestate de cælo cadens, ibid. § 43, sqq. Sed nihil ibi de procurandis hujusmodi ostentis, quod fulguralium potius librorum opus fuit.

Inter fulgurales præcipuum locum videtur obtinuisse Begoës nymphæ liber, latine an tusce scriptus, incertum est; latinam ejus interpretationem, vel etruscam lectionem cum latina conjunctam, in Capitolio senatus jussu consecratam fuisse, libentius opinamur quam tuscam solam, quia de tusco libro, propter obscuritatem ejus linguæ, deliberari in senatu ægre potuit; etsi non ignoramus juvenes patricios in Etruriam mitti solitos olim fuisse, linguæ simul et religionis ediscendæ causa, juxta Valerium Maximum, lib. I, cap. 1, initio, quod tamen ad paucos adolescentes pertinuisse credimus (decem ille missos ait, sed utique non quotannis), et iis præsertim ortos gentibus quæ sacerdotia publica ambire atque obtinere prope hereditario jure consuevissent. Porro quæ forma fuerit operis a Begoë scripti, hodie vix conjici potest, quanquam superstes ejus fragmentum exstat, sub Vegoiæ quidem nomine; sed idem illud esse quod Begoës seu Begoïs, e tuscis in latinas literas utcumque translatum, nemo sanus dubitet. Unde et illud conjici potest, servatum quidem in Capitolio fuisse unum ejus libri exemplar, et sic publica auctoritate sancitum librum ipsum, non tamen, quemadmodum Sibyllinos, a vulgari usu prohibitum, quandoquidem excerptæ ex eo paginæ impune discurrebant. Est autem fragmentum istud inter auctores de Re agraria, pag., 258, sq., ed. Gœs. hoc titulo : IDEM VEGOIAE ARRUNTI VELTHUMNO, quod interpretari facile est : Item ex Vegoiæ seu Begoiæ libro Arrunti Velthumno (libri male Velthymno), Etrusco alicui duci, inscripto; ubi Gœsius legendum censebat *Arruntio Eutycho*, quam ob causam ipse non dixit : certe *Arruns* sive *Aruns* notum est apud Etruscos nomen; Eutychus græcum magis est quam etruscum. Totus itaque locus ita se habet, et est ad vitæ potius quam ad fulguritorum doctrinam pertinens : « Vegoiæ Arrunti Velthymno. Scias mare ex æthere « remotum. Cum autem Juppiter terram Hetruriæ sibi vindicavit, con- « stituit jussitque metiri campos signarique agros : sciens hominum « avaritiam vel terrenam cupidinem, terminis omnia scita esse vo-

« luit, quos quandoque ob avaritiam prope novissimi sæculi datos « sibi, homines malo dolo violabunt, contingentque atque movebunt. « Sed qui contigerit moveritque possessionem promovendo suam, al- « terius minuendo, ob hoc scelus damnabitur a Diis. Si servi faciant, « dominio mutabuntur in deterius. Sed si conscientia dominica siet « [Gœs. fiet], celerius domus extirpabitur, gensque ejus omnis interiet. « Motores autem pessimis morbis et vulneribus afficientur, membris- « que suis debilitabuntur. Tum etiam terra a tempestatibus vel tur- « binibus plerumque labe movebitur. Fructus sæpe lædentur decu- « tienturque imbribus atque grandine, caniculis interient, robigine « occidentur, multæ dissensiones in populo fient. Hæc scitote, cum ta- « lia scelera committuntur. Propterea neque fallax, neque bilinguis « sis, disciplinam pone in corde tuo. » Spurium ac recentis notæ pu- tavit esse Gœsius hoc fragmentum, quod quædam in eo inveniret prope ad sanctæ Scripturæ dictionem accedentia, qualia sunt : « terrenam « cupidinem.... prope novissimi sæculi.... disciplinam pone in corde « tuo. » Quid vero si hæc verbatim ex etrusco sermone translata, speciem aliquam peregrinæ linguæ retinuerunt? Idem pro *novissimi* legendum censebat *octavi*, quod Christiani septem ætates ante mundi consummationem supputare, ut ipsi visum, solerent; octavum vero post judicium : attulitque in eam sententiam Joannis Damasceni testimonium, lib. III, cap. 1; quod oppido falsum est : aut enim decem, ut in Sibyllinis passim, aut sex, non septem, mundi ætates numerabant, tanquam septima, sabbati instar, requiem justis promittente. Cetera non graviora objiciuntur a viro docto, neque videmus cur de fragmenti origine ambigi possit. Mixtum illud ex etrusca superstitione et optima morum disciplina, quo utroque nomine Vegoiæ seu Begoës libri digni a senatu Romano censeri potuerunt qui inter libros sacros locum haberent. Conferenda certe cum fragmento citato Numæ lex notissima : « Quei terminom exarassit, ipsus et boves sacri sunto, » unde apparet quanta fuerit illis antiquis terminorum, id est, privatæ cujusque rei servandæ, religio, qua nititur omnis humana societas. Et huc pertinet mythus ille Termini dei, in Capitolio, ne Jovi quidem ipsi loco cedentis.

Ceterum Begoës libri, si ex unici, quod nunc superest, fragmenti dictione judicentur, videntur circa Punicorum bellorum tempora latine versa esse : et tunc fortasse publice cum Sibyllinis consecrati sunt, haud multo post Tiburtinæ libros; ita autem consecrati, quod jam monuimus, ut ab hominum lectione non prohiberentur. Si quis quid de illa nympha ejusve libris plenius aut expressius invenerit, id nobis frustra quæsitum minus desiderabimus.

De Marciis fratribus seu de Marcio vate, plura exstant documenta. Celeberrimum autem T. Livii, lib. XXV, § 12, ubi Punico bello secundo, post Rom. cond. anno DXLII (ipsi DXL), post Cannensem cladem quarto, religionem novam plebi injectam narrat ex carminibus Marcianis : « Vates hic Marcius illustris fuerat, et quum conquisitio « priore anno ex senatusconsulto talium librorum fieret, in M. Atilii « prætoris urbani, qui eam rem agebat, manus venerant : is protinus « novo prætori Sullæ tradiderat. Ex hujus Marcii duobus carminibus, « alterius, post rem actam editi, cum rato auctoritas eventu, alteri « quoque, cujus nondum tempus venerat, afferebat fidem. Priore car« mine Cannensis prædicta clades in hæc fere verba erat : « Amnem « Trojugena Cannam Romane fuge, ne te alienigenæ cogant in campo « Diomedis conserere manus. Sed neque credes tu mihi, donec com« pleris sanguine campum, multaque millia occisa tua deferat amnis « in pontum magnum ex terra frugifera ; piscibus atque avibus fe« risque quæ incolunt terras, iis fuat esca caro tua : nam mihi ita Ju« piter fatus est. » Et Diomedis Argivi campos et Cannam flumen, qui « militaverant in iis locis, juxta atque ipsam cladem agnoscebant. Tum « alterum carmen recitatum non eo tantum obscurius, quia incertiora « futura præteritis sunt, sed perplexius etiam scripturæ genere : « Hostem, Romani, si expellere vultis, vomicamque quæ gentium « venit longe, Apollini vovendos censeo ludos, qui quotannis comiter « Apollini fiant, quum populus dederit ex publico partem, privati « uti conferant pro se suisque. Iis ludis faciundis præerit prætor is « qui jus populo plebeique dabit summum. Decemviri græco ritu ho« stiis sacra faciant. Hæc si recte faxitis, gaudebitis semper, fietque « res vestra melior : nam is divus exstinguet perduelles vestros qui « vestros campos pascunt placide. » Ad id carmen explanandum diem « unum sumpserunt : postero die senatusconsultum factum est, etc. » Cujus narrationis partem posteriorem cum altero Marcii responso integro, totidem pæne verbis reddidit Macrobius, Saturn. lib. I, cap. 17, sed manifesto ex ipsius T. Livii fide, cui nihil ideo vel parum addit grammatici auctoritas. Id unum fere ab eo discas, duos vatis hujus libros, non duo tantum oracula, senatus jussu consecratos esse, qua de re aliquid nos infra.

Plures apud latinos auctores Marcii nominis, tanquam vaticiniis clari, meminerunt, sed paucis plerique verbis ; atque illud inprimis mirari licet, quod alii cum Livio et Macrobio Marcium vatem tanquam unum, alii Marcios fratres tanquam duos aut plures memorent. Cum Livio consentit Plinius, H. N. lib. VII, § 33 : « Divinitas et quædam cæli« tum societas fuit . . . apud Romanos in Marcio. » Arnobius, lib. I,

p. 38, ed. Leyd. : « Si Bacis, si Helenus, si Martius [sic male scri-« ptum], aliique similiter vates hariolantes essent vita et luce privati, etc. » Ammianus Marcellinus, lib. XIV, § 1 : « Velut Amphiarao referente aut Martio [sic], quondam vatibus inclytis. » Festus imo, v. *Negumate*, prænomen nomini subdit : « In carmine, inquit, Cn. « Marcii vatis. » Sed Cicero nihil definit : quum enim de Divin. lib. I, § 50, unius meminisse videatur : « Similiter, inquit, Marcius et « Publicius vates cecinisse feruntur, » idem atque in eodem opere aliam videtur traditionem sequi, de Divin. lib. I, v. 40 : « Quo in « genere Marcios quosdam fratres, nobili loco natos, apud majores « nostros fuisse, scriptum videmus. » Et lib. II, v. 55 : « Nec ego Pu-« blicio, nescio cui, nec Marciis vatibus, nec Apollinis opertis cre-« dendum existimo. » Et Symmachus, lib. IV, epist. 34, loco jam alias citato, « Marciorum fratrum » meminit. Sed disertissime Servius, ad Æn. VI, v. 70 : « Ex responso Marciorum fratrum, quorum exstabant, « ut Sibyllina, responsa », et paulo infra ad v. 72 : « Qui libri [Si-« byllini] in templo Apollinis servabantur, nec ipsi tantum, sed et « Marciorum. » Quid ergo putes, nisi duos fratres fuisse vaticiniis insignes, unum tamen Cneum illustriorem, qui carminum vulgo ambobus ascriptorum, præcipuus auctor haberetur?

Fuisse illos nobili loco natos, a Cicerone discimus, nempe ex antiquissima et æquæva pæne reipublicæ Romanæ, summisque semper honoribus decorata, quamvis plebeia, Marcia gente. Claros autem vaticiniis fuisse jam bello Punico secundo, patet ex allato Livii loco : unde anterius illos vixisse, forsan aliquis colligat. Quum tamen duo, quæ supersunt, eorum oracula manifesto ad idem bellum respiciant, nempe ad Cannensem cladem ipso nomine designatam et ad diuturnam Pœnorum in Italia commorationem, patet vel ipsos usque ad id temporis durasse, tertio igitur ante Christum sæculo jam provecto, anno fere 216, assignandos, vel falsa et supposita tanquam ipsorum cursitasse vaticinia. Quod nobis quidem magis placet; minime enim vero simile est hominum adhuc viventium oracula publicis religionibus fuisse consecrata. At objici potest, quod jam notavimus, nec Livium nec Macrobium de consecratione quidquam hiscere; Servium vero, qui solus id affirmet, temporis mentionem nullam facere; itaque potuisse libros Punico bello secundo coævos serius aliquanto consecrari. Id vero minime probamus, quod nulla postea hujus rei succurrerit occasio, quæ tum erat opportunissima. Itaque ducimur, ut credamus Marcios quidem illo bello antiquiores vixisse; oracula vero sub eorum nomine supposita post Cannensem cladem consecrata fuisse ad plebis animos attollendos, paris scilicet fraudis exemplo ter antea

commissæ, primum a Tarquinio in Sibyllinis, deinde ab ipso senatu in Tiburtinæ Albuneæ Begoësque libris, uti modo diximus.

Atqui supra jam notavimus, non oracula tantum illa duo quæ ex Livii fide retulimus, sed libros integros horum vatum consecratos publico jussu fuisse. Et librorum quidem mentio recurrit apud Servium, ad Æn. VI, 72, loc. supra cit. Sed duone revera libri fuerint, ut palam Macrobius asserit, nempe utriusque fratrum singuli libri, an unus duorum, plurali nomine falso designatus, non satis videtur iis, quas modo protulimus, auctoritatibus evinci, quoniam nec Macrobius nec Servius ullo, præter Livium, auctore usi videntur, Livius vero carminum solummodo duorum mentionem facit. Certius est, quod Symmachus nos docet, corticibus inscripta fuisse ista carmina, ut ipse ait loco cit. : « Marciorum quidem fratrum divinatio caducis codicibus inclusa [vel, ut alii volunt, inculcata] est. » Non sic in Sibyllinis libris, quos linteos fuisse diximus.

Quod si e fragmentis superstitibus judicium aliquod de reliquis etiam oraculis Marcianis ferre licet, fuerunt illa apertiora et clariora quam vulgo vaticinia solent : præterea tam Romanis rebus, tamque negotiis præsentibus accommodata, ut merito de eorum origine suspicio cuivis suboriri debuerit. Genus fuit dicendi quale illis temporibus sperari poterat, archaïcum sane, non tamen ad illam veteris archaïsmi formam, quæ in decem tabulis et in fratrum arvalium cantu barbariæ propior occurrit; latina jam oratio ac pæne Plautina; sed metri imperitia ævum illud prodit, quo nondum satis informata erat Romana Musa ad hexametri versus modulationem græcam, Scipionum auspiciis jam tum in Latium invectam, necdum Ennii curis expolitam. Ac certe non illo epitaphio deterior, quod in sepulcro Scipionum Romæ legitur, Cornelio Scipioni Barbato, Africani majoris proavo dicatum, licet paulo posterius exaratum, apud Orell. inscr. 550, quod ad nostram fere orthographiam ita scribi potest :

Cneo patre prognatus, fortis vir sapiensque,
Cujus forma virtute parissuma fuit,
Consul, censor, ædilis qui fuit apud vos.

Quibus versibus antiquitatis causa ignoscendum est, quod in *forma* producatur ultima, dorico fortasse more; et *virtute* scriptum sit pro *virtuti*, antiquo ex usu ; et in *fuit*, tanquam *fuvit*, *u* longum fiat, non sine Ennianis exemplis; et in *parissima* primum *a* producatur, contra hodiernam regulam, et *or* in *censor*, græcum magis ad morem quam latinum.

Scimus ab Hermanno, viro doctissimo, sed in conjecturis grammaticis ac metricis audentissimo, multum operæ esse impensum, ut hos

et Marcianos versus ad Saturnii metri normam, qualem sibi finxerat ipse, redigerentur. Sed in utrisque epici rhythmi vestigia ita manifesta insunt, ut minime cuiquam liceat ea turbare, quippe quæ ad justos numeros quasi sponte redeant, si modo antiquioris grammaticæ ratio habeatur. Id quod in Marcianis præsertim experiri facile est. Mutavit enim ex iis Livius ea tantum quæ sui temporis auribus duriora fore arbitraretur; simul numeros passim abrupit, ne historicæ dictionis gravitatem infringi sineret, sed id parce ac leviter. Ambo igitur carmina, partim nostris, partim Alciati aliorumque conjecturis restituta, sic fere legi velimus :

Amnem, Trojugena, Cannam, Romane, fuge[sis],
Ne te alienigenæ in campo cogant Diomedis
Consertare manus [pugnando]. Sed neque credes
Tute mihi, donec complessis sanguine campum,
Multaque millia cæsa tuorum deferat amnis
In pontum magnum ex terra frugiferente;
Piscibus atque avibus[que] ferisque colentibu' terras,
Iis fuat esca caro tua : nam mi ita Jupiter [orsus].

Et deinde :

Hostem, Romani, si [ex agro] expellere voltis,
[Atque isthanc] vomicam, quæ gentium adveni' longe,
[Divo] Apolline [rite] vovendos censeo ludos,
Qui quottannis comiter [ipsi] Apolline fiant,
Quum populus dederit ex publico [undique] partem,
Privati uti conferitent pro se[que] suisque.
Iis ludis faciundis præsiet [ordine] prætor
Is, qui jus populo plebeique dabi' summum.
Decemviri græco ritu hostiis sacra faxint.
Hæc si recte faxitis, gaudebiti' semper,
Fiet vostraque res melior : namque is Deus [ultro]
Exstinguet [gentes advorsas] per[que] duelleis
Vostros, qui vostrum [pinguem] pascunt placide [agrum].

Quæ in iis pauca uncis quadratis inclusa leguntur, nova sunt, præter unum *ex agro*, quod Macrobii est. Ceterum ea, ut incerta, minus tuemur. Orthographiam hodie consuetam in plerisque secuti sumus, ne fastidium lectoribus moveretur, nec in omnibus tamen, ne nimium a textu discederetur. In primo versu pro *fugesis* scribendum erat *fugessis*, metri causa, nisi consuetudo obstitisset. *Consertare* pro *consercre* rectum videtur, ut infra *conferitent* pro *conferant*, quod etiam Solini exemplo defendi potest, *feritantia* scribente pro *ferentia*. *Tute* pro *tu ipse* antiquum est et Virgilio ipsi probatum. In sexto me-

dia syllaba ante vocalem cæsuræ causa producitur, quæ in undecimo brevis remanet. In decimo et sexto decimo *t* finale elisum est contra usum Ennianum, id in *s* tantum admittentem, sed tum, quum hæc scribebantur, non satis fortasse definitum : vulgarem Noster pronuntiationem in hoc quoque secutus fuerit. *Apolline* bis pro *Apollini* scripsimus antiquo more. Deinde *quottannis* neminem offendet, qui *quottidiana* etiam apud Catullum legerit. In *plebei*, v. 16, media non minori jure producitur quam in *diei*. Pessimus est sequens versus, qui facile ita restitui poterat :

Tum bis quinque viri græco ritu sacra faxint.

Sed nihil mutandum censuimus, quia in prima voce, ingrata licet et metro repugnante, potuit Noster sibi indulgere, præsertim quum in *decem* secunda pronuntiando corripi soleret. *Hostiis* autem pro dissyllabo uti potuit, duabus ultimis contractis, et sic utcumque conficere versum, neglecta ante *h* elisione. Ultimus versus, ut licuit, restitutus affertur; non placet tamen propter additum in fine *agrum*.

Sed omissis istis grammaticis quisquiliis, ad institutum redeamus, id est, ad Sibyllinos libros, quos in æde Jovis, ubi modo relicti erant soli, nunc adventitiis comitibus auctos, incendii Capitolini commune manebat exitium.

CAP. VI. *De librorum Sibyllinorum restauratione post incendium Capitolinum.*

Anno ab Urbe condita DCLXXI, L. Scipione et C. Norbano coss. qui annus Syllæ dictaturam proxime præcessit, tempus ipsum diserte assignante Tacito, Hist. III, § 72; bello igitur civili, si ad Romanas tantum discordias spectes; sive ad Samnites nondum debellatos, sociali, ut alibi Tacitus ait; sive, ut Dionysius improprie, Marsico ; Capitolium exarsit, incertum qua de causa : secundum Tacitum, « fraude privata, » sed quidni fortuito casu? quæ omnium frequentissima causa sæpius a doctis et curiosis omittitur.

Eo igne Sibyllini libri, quamvis sub terra defossi, atque ita maxime a flammis defensi, interiere, magno sane religiosorum luctu, quod simul cum arce imperii publicorum fatorum pignus intercidisset. Communis tamen miseria bellique simul externi metus ceteros omnes dolores obstupefaciebat.

Victor Sylla, compositis bellis, et quamvis asperis remediis, sanato ad tempus civilis discordiæ morbo, dum restituendæ seu potius arbitrio suo constituendæ reipublicæ animum intendit, etiam religio-

nibus publicis consuluit; Capitolii reficiendi opus inchoavit; « pontificum augurumque collegium amplificavit, ut quindecim essent », notante T. Livii epitomatore ad librum LXXXIX. Quo tempore fuisse etiam pariter auctos decemviros sacrorum ad quindecim, docebimus infra, cap. 9. Mansit illis inde XVvirum nomen, etsi postea sæpe aucto numero, præsertim sub imperatoribus, ut ibidem dicetur, ubi de illorum collegio acturi sumus. Hic enim de libris potius.

Vix sane cuiquam dubium videri potest, tum quum hæc a Sylla decernerentur, cogitasse illum de libris quoque Sibyllinis restituendis, quorum jam custodiæ providebat. Id tamen non ante in senatu agitatum est, quam triennio post ejus dictaturam, biennio post Capitolium a Lutatio dedicatum, anno Urbis conditæ DCLXXVIII, Cn. Octavio, C. Scribonio Curione coss. Qua de re ipsa Lactantii verba proferenda sunt, Div. Inst. lib. I, cap. 6 : « Fenestella, diligentissimus scriptor, de quindecimviris dicens, ait, restituto Capitolio, retulisse ad senatum C. Curionem cos. ut legati Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllæ conquisita Romam deportarent : itaque missos esse P. Gabinium, M. Otacilium, L. Valerium, qui descriptos a privatis versus circa mille Romam deportarunt. Idem supra ostendimus dixisse Varronem. » Supra quippe, eodem capite, Varronem ipsum citaverat « in libris Rerum Divinarum » de Sibyllinis oraculis tradentem, auctum esse eorum numerum « Capitolio refecto, quod ex omnibus civitatibus et Italicis et Græcis præcipueque Erythris coacti allatique sint Romam [novi libri], cujuscumque Sibyllæ nomine fuerint. » Sed de ea re libentius videtur Lactantius ducem sequi Fenestellam, auctorem sub Augusto viventem, Varrone paulo juniorem, cujus iterum testimonium affert, de Ira Dei, cap. 22 : « Fenestella legatos Erythras a senatu esse missos refert, ut hujus Sibyllæ carmina Romam deportarentur, et eos consules Curio et Octavius in Capitolio, quod tunc erat curante Q. Catulo restitutum, ponenda curarent. »

Plenior quidem Varrone Fenestella, si uterque e Lactantii excerptis judicetur. Potuit tamen plura de hac re habere Varro, quæ apud Lactantium desint, quæque Fenestellæ facem prætulerint. Quanquam Dionysius Halicarnasseus, qui Varronem sequitur, non multo plus ex eo quam Lactantius attulit. Græca verba hæc sunt, Antiq. loc. cit. : Οἱ δὲ νῦν ὄντες χρησμοὶ ἐκ πολλῶν εἰσι συμφορητοὶ τῶν τόπων, οἱ μὲν ἐκ τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων κομισθέντες, οἱ δ' ἐξ Ἐρυθρῶν τῶν ἐν τῇ Ἀσίᾳ, κατὰ δόγμα βουλῆς ἀποσταλέντων πρεσβευτῶν ἐπὶ τὴν ἀντιγραφήν· οἱ δ' ἐξ ἄλλων πόλεων καὶ παρ' ἀνδρῶν ἰδιωτῶν μεταγραφέντες. Paulo expressior est Tacitus, sive apud eum Tiberius Augustus in epistola ad senatum,

Annal. VI, § 12 : « Quod a majoribus quoque decretum erat post exu-« stum sociali bello Capitolium, quæsitis Samo, Ilio, Erythris, per « Africam etiam ac Siciliam et Italicas colonias carminibus Sibyllæ, « una seu plures fuerint, datoque sacerdotibus negotio, quantum « humana ope potuissent, vera discernere. »

Hi sunt igitur præcipui de ea re testes, Varro et Fenestella apud Lactantium, Tiberius apud Tacitum, quorum verba comparanda nunc et attentius discutienda sunt.

Legatos qui librorum conquirendorum causa missi fuere, solus Fenestella nominat, P. Gabinium, M. Otacilium, L. Valerium, omnes ignotos, sed haud dubie e quindecimviris, non solum quod talis cura ad illud amplissimum collegium præcipuo et quasi proprio jure pertinebat, sed quod hæc in eo loco scripta sunt a Fenestella, in quo, teste Lactantio, de quindecimviris agebatur.

At enim excerptor Fenestellæ Lactantius, missos legatos Erythras tantum meminit. Nihilominus Varroni credendum, disertius tradenti collectos libros « ex omnibus civitatibus et Italicis et Græcis, « præcipueque Erythris », præsertim quum et Dionysius consentiat, et Tacitus in Tiberii epistola. Tacitus etiam nominatim quæsitos ait « Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam et Siciliam et Italicas co-« lonias. » Hæc autem e Varrone desumpta eo certius putes, quod cum ejus Sibyllarum catalogo (confer Exc. I) plane conveniunt, in quo non ultimæ recensentur Samia, Mermessia sive Trojana, Erythræa, Libyca, Cumana. Italicæ coloniæ additæ sunt propter solas Cumas, quoniam is Græcus Italiæ tractus Romanas acceperat colonias, præsertim in ipsa Cumarum vicinia, ubi Græca urbs, Dicæarchia, colonis acceptis, Puteolorum nomen induit, Liv. XXXIV, § 45, et Vell. I, § 15. Sicilia vero huc accedit propter Siculæ Sibyllæ nomen, de qua nos in Exc. I, cap. 11. Nempe ubicumque Sibyllæ alicujus memoria exstaret, ibi jussi sunt legati de Sibyllinis carminibus inquirere.

Sed Cumis quidem nihil reperiri potuit, confitentibus, uti jam monuimus, ipsis Cumanis : χρησμῶν δὲ οἱ Κυμαῖοι τῆς γυναικὸς ταύτης οὐδένα εἶχον ἐπιδείξασθαι, Pausan. loc. sæpe cit. Nec plus videlicet in Sicilia, ubi de Sibylla nihil præter nomen et sepulcrum, fortasse vacuum, in antro quodam monstratum, superfuisse diximus, Exc. I, cap. 11. Multo etiam minus in Africa ; nam ibi ne ulla quidem traditio de Sibylla constabat : confer Exc. I, cap. 12. Præcipuum ergo itineris fructum legati unde reportarunt? Samo, nisi fallimur, et Erythris ; Samo quidem, quod ibi publice asservabantur Samiæ Sibyllæ oracula, uti diximus, Exc. I, cap. 4 ; Erythris vero propter insignem Erythræorum carminum famam, de qua nos ibid. cap. 2 et 3. Nam Ilii quidem, id est, in

Troade, nullum carmen inveniri potuit ab Erythræo diversum, quoniam Iliensem seu Trojanam Varronis Sibyllam eamdem cum Marpessia Pausaniæ cumque Erythræa ceterorum esse diximus, ibid. cap. 3. Dum autem præcipua Sibyllarum domicilia invisebant legati, quis dubitet ex aliis quoque locis allata ad ipsos fuisse, seu gratiæ seu lucri causa, multa sub Sibyllarum nomine servata passim oracula, Colophone, Rhodi, Delphis, alibi? Quædam etiam aliorum vatum oracula vel data ex adytis responsa pro Sibyllinis adduci potuerunt. Nec dubitamus ipsos Judæos, ad omne mercaturæ genus paratissimos, pseudo-Sibyllina sua Alexandrina, magnam partem sub Philometore Ptolemæo scripta (eadem nempe quæ hodie typis edita leguntur, ed. nostr. lib. III, § 2 et 4) tanquam genuina et authentica protulisse. Imo nova multa velut ex humo pullulasse credimus, et hac occasione data, χρησμολόγους et σιβυλλιστάς omnes, quorum semper magnus numerus apud Græcos fuit (plura nos de his in Exc. II) ad opus poeticum se accinxisse.

Quod si dolosi spes refulserit numi,

ut ait Persius, corvi etiam et picæ repente in luscinias vertuntur. Homines autem Romani, modicæ doctrinæ, acuminis haud ita subtilis, nec ipsi quidem græcæ fortasse linguæ peritissimi, quantum, putas, impediti fuerunt tot affluentibus copiis? Collegerunt tamen quidquid oblatum quærentibus fuit: quod asportare non licuit, transcribendum a privatis curaverunt (ambo id testantur Fenestella et Dionysius), ac necessario molem magnam librorum Romam comportaverunt. Id Varro testatus erat, auctum numerum fuisse dicens, apud Lactantium, loc. cit. idque ratiocinando colligi facile poterat, unde mirum quod apud eumdem additur ex Fenestellæ fide: « Descriptos a privatis ver« sus circa mille Romam deportaverunt. » Atenim tam paucosne invenerant? Aut si plures, quomodo elegerant? Aut si jam delectos attulerunt, supervacaneum erat novum delectum instituere, quem tamen Tacitus factum affirmat, « dato sacerdotibus negotio, quantum hu« mana ope potuissent, vera discere. » Non igitur mille versus Romam importati sunt, sed e multis importatis mille sunt electi.

Difficilem eligendi curam commissam Tacitus ait sacerdotibus, id est, haud dubie, quindecimviris. Porro illos ad tale opus minime comparatos fuisse quivis videt, homines divites ac superbos, nobilitate vel gratia, non eruditione vel ingenio, ad hoc munus evectos, quorum plurimi, ut Romani, ut patricii, literas græcas et ignorabant et aspernabantur. Delectum itaque factum esse oportet a servis publicis, collegio quindecimvirum adjunctis, quos græce peritos et rei metricæ non indoctos fuisse certis indiciis demonstrabimus infra,

cap. 9. Isti quam sibi legem imposuerint, quam admittendi rejiciendive rationem, difficile est vel conjectando assequi. Resectum ab iis putes quidquid non placuit, quidquid a moribus et sacris Romanorum nimis abhorrere visum est, quidquid manifesto ad alios populos pertinebat. Interdictum tamen ipsis fuisse credimus, ne quid de suo adderent, ne quid in textu mutarent corrigerentve. Non tam igitur carmen unum quam carminum lacinias male cohærentes, imo potius dissutas ac dehiscentes consarcinaverunt, mille tantum versus: quos si tribus libris diviserunt, ut vulgo fertur, brevissimos sane fuisse libros fatendum est; sed numeri ternarii memoria falso huc inducta nobis videtur.

Quum enim ex multis oraculis mille tantum versus decerptos esse supra viderimus, libentius illos credimus uno volumine contentos fuisse, atque inde natum Plinii et aliorum errorem, de quo supra, pag. 159. Mos tamen, quemadmodum diximus, mansit, ut libri, non liber, dicerentur; atque ita nobis explanari videntur verba subobscura Varronis apud Lactantium, loc. cit. : « Sibyllinos libros non fuisse « unius Sibyllæ, sed appellari uno nomine Sibyllinos. « Recte, si non libros, sed oracula intelligas. Neque strictiore sensu accipiendus est Tibullus, lib II, eleg. 5, Sibyllas enumerans, quas fingit Sibyllinis libris, suo tempore superstitibus, allaborasse :

Quidquid Erythræa, quidquid Marpessia dixit, etc.

Hoc enim non ex accurata rei notitia, sed e Varroniano Sibyllarum catalogo, poetica licentia desumpsit. At Ausonius in Gripho, v. 85, sq., videtur singulos libros singulis attribuere Sibyllis :

Et tres fatidicæ, nomen commune, Sibyllæ,
Quarum tergemini, fatalia carmina, libri,

quod in tali auctore fortasse non est controversia dignum.

De materia et forma novorum librorum, addendum esset aliquid, si quid tradidissent auctores. In eadem videntur materia, qua priores, exarati, quoniam *carbasa* et *lintea* non desierunt a poetis vocari diu etiam post illud tempus, locis citatis supra, cap. 3, infirmo quidem argumento; antiquitatis tamen imitatio et diu servatus in literis publicis usus, ita factum nobis facile persuadent. Scripturæ vero veterem formam observatam esse vix credas, plane tum desuetam et vix bene notam : talis sane adhibita est qualis in describendis græcis exemplaribus vulgo tunc usurpabatur. Nullam vero, nullam omnino impensam fuisse curam colligendis reparandisve libris, qui olim Sibyllinis comites adjuncti fuerant, Marciorum nempe fratrum et Begoës et Albuneæ, vix opus est annotari.

Sic utcumque restaurato carmine, rursus ad senatum relatum est,

jussuque senatus repositi, teste Fenestella, in novum Capitolium novi libri, iisdem consulibus Octavio et Curione qui primum de iis conquirendis egerant, eodem nempe anno DCLXXVIII, ut appareat quam celeriter ac præpropere hæc omnia gesta sint: ita plerique in senatu earum rerum imperiti et rudes erant; alii non tam de oraculorum veritate quam de utilitate satagebant. Quid vero tum senatus consulto cautum fuerit (nam aliquid caveri necesse fuit), ut libri immunes postea a simili clade præstarentur, nemo nos docuit. Conjectura tantum divinari potest, nihil antiquo mori derogatum, rursusque illos sub terra sepultos, altius fortasse quam antea, et longius remotos a flammarum, si quid accideret, contactu.

CAP. VII. *Librorum Sibyllinorum, postquam restituti sunt, historia.*

Quod ad ipsum librorum usum pertinet, nihil mutatum eo tempore fuisse, satis certum est. Eadem custodum et ministrorum officia, iidem honores. In adeundis libris idem publicum divinumque jus, eadem decretorum solennitas, idem ordo cærimoniarum. Itaque, ut antea, sic post illud incendium et usque ad extremam imperii Romani senectutem, nunquam nisi honorifice designatos illos reperias. Modo *libri* κατ' ἐξοχήν et honoris causa dicti sunt, ut apud Livium sæpissime; modo *libri fatales*, Arnob. VII, p. 251, et passim apud ipsum aliosque; *fatalia carmina*, Auson. in Gripho, v. 86; *fata et remedia romana*, Serv. ad Æn. VI, v. 36 et 72. *Sortes* quoque interdum dicuntur, ut Virgilio, Æn. VI, v. 72, quod sic designari vulgo solerent oracula quælibet, ea vero præsertim quæ ductis sortibus consulerentur (confer infra, cap. 16). Durabat interim vetus de Sibyllæ veritate proverbium, ut est apud Juvenalem, sat. VIII, v. 126:

Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.

Et inde Fronto ad Marcum Aurelium, lib. I, epist. 5, ed. Nieb.: « Nec quisquam prudentissimæ feminæ consiliis potius accederet « quam vaticinationibus Sibyllæ. » Sed hæc omnia, temporis progressu, in consuetudinem demum atque in vanum verborum strepitum abierant. Nihil enim obstare potuit quominus, decrescente in dies publica fiducia, post incendium præsertim, multum e prisca veneratione remitteretur. Neque enim jam antiquitatis fides aderat, et quod maxime religionibus nocet, tempora et anni numerabantur. Quando et unde quæsiti, quomodo restaurati ac refecti fuissent novi jam ex antiquis seu pro antiquis libri, neminem latebat. Et qui plerique a privatis descripti, ut supra Lactantius aiebat, jam antequam Romam

aut in senatum deferrentur, merito suspecti erant, retractati postea servorum publicorum aut scribarum ignobilium arbitrio, mutilati, amputati, decurtati, profecto non auctoritate tantum, sed etiam dignitate deminuti erant. Ita, quamvis senatus jussu denuo consecrati, publicam magis quam divinam vim retinebant. Adde jam tum inflexos publicos mores, et Epicureæ sectæ licentiam præsertim apud optimates diffusam. Imo illud tempus fuit, quum undique ruptis quasi frenis exspatiabatur ambitio procerum, nihil sacrum sanctumve habens, fas nefasque miscens, si quid cujus consiliis vel favere vel obstare videretur. Adibantur ergo, ut antea, licet rarius, libri Sibyllini, sed adibantur nullo credente, nisi imperito admodum et ex vulgi fæce. Nobilium modestissimus quisque vel mussabat, vel ridebat. Cicero ad Lentulum ep. 7, qui Sibyllinis responsis crederent, homines « religiosos » vocabat. Factiosi responsa, qualia vellent, pessimis artibus impetrabant; sin minus, ea sus deque agendo, nunc ad se trahebant, nunc in suos inimicos retorquebant. Huc pertinet responsum illud Sibyllinum fusius infra memorandum, de Ægypti rege armis non reducendo, quod C. Cato, tribunus plebis, ante sententiam senatus evulgari a quindecimviris coegit, taxatus ob id « nefariæ promulgationis » a Cicerone ad Lentulum ep. 5. Adde conficta a Cæsarianis responsa, « non posse Parthos nisi a rege devinci », et « Romanos si salvi vellent, « regem eligere oportere », Sueton. in vita Cæsaris, § 79; Cic. de Divin. II, § 54.

Etiam illud Sibyllinorum librorum auctoritati multum officiebat, quod de græcorum omne genus oraculorum falsorumque Sibyllinorum vilitate, quæ tum apud Romanos summa fuit, notavimus in Exc. II, pag. 113, sqq. Id jam sub Marii tempora monstravimus. Atque illud malum sine dubio crevit post incensum Capitolium restitutosque libros : nam eorum quæ a quindecimviris rejecta erant bonam partem in vulgus emanare necesse fuit; alia interim undique, ut fit, quanquam sero, affluebant. Et tum fortasse primum lectitari Romæ cœperunt et vulgi manibus tractari judaïca pseudo-Sibyllina, quorum vestigia quædam in quarta Virgilii ecloga multis deprehendi visa sunt, nobis quidem valde incerta, de quibus plura nos in Exc. IV. Porro tum accidit id quod sæpe fieri solet, ut quo magis publicarum religionum fides imminuta sit, eo magis privatæ gliscant superstitiones. Adventitia scilicet oracula et omni auctoritate destituta plus inveniebant fiduciæ quam publici consecratique libri. Imo perversi ac scelerati homines, quibus nihil aliunde sacrum erat, suis ipsi quoque Sibyllinis utebantur, incertum quibus aut unde acceptis, ut Lentulus ille prætor, Catilinæ socius, quem Sallustius, § 47, et Cicero, in Ca-

tilin., III, § 4, solitum narrant palam jactare : « Ex libris Sibyllinis « regnum Romæ tribus Corneliis portendi : Cinnam atque Sullam an- « tea; se tertium, cui fatum foret urbis potiri. » Conferendi de hac re Florus, IV, § 1, et Quintil. V, § 10. Quædam hujus modi pseudo-Sibyllina, sub initium belli civilis inter Pompeium et Cæsarem moti, decantata fuisse docet nos Dio Cassius, lib. XLI, § 14 : Καὶ λόγιά τινα ὡς καὶ τῆς Σιβύλλης ὄντα ᾔδετο. Hæc unde orta nescimus. Tantum de Lentuli tribus Corneliis nunquam cogitavimus quin nobis in mentem venirent tria bestiæ cornua apud Danielem, cap. 7, ad quæ etiam non obscure alluditur in Sibyllinis nostris, lib. V, v. 221. An et quomodo aliquid de illis cornibus ad Lentulum pervenerit, nec scimus, nec multum quærimus. Sed divus Augustinus alio respici putavit, de Gramm. p. 233 : « Inde est illud, inquit, τρία κάππα κάκιστα, id est, « tria kappa pessima, de Cornelio Sylla, de Corn. Cinna, de Corn. « Lentulo : hi enim per tres literas designati in libris Sibyllinis. » Quod fatemur nos plane non intelligere; notus est enim et in proverbium abiit minime Sibyllinus versus :

Καππάδοκες, Κρῆτες, Κίλικες, τρία κάππα κάκιστα,

unde suspicamur quædam confudisse Augustinum.

Quid vero interim publici libri? Raro illos videmus aditos post incensum Capitolium. Semel, ut diximus, anno DCXCVIII, quum Catonis, tribuni plebei, violentia contra jus et fas responsum promulgatum est. Iterum anno DCCV, Marcello et Lentulo coss., ob arborem sponte defossam. Rursus anno DCCXVI, Claudio et Norbano, ob collapsum Virtutis simulacrum. Ter tantum aut non multo amplius extremis illis reipublicæ temporibus, quæ Syllæ dictaturam subsecuta sunt, per annos fere quinquaginta! Nec sub imperatoribus multo sæpius, uti infra adductis ipsis annorum numeris ostendemus, manentibus licet et libris et custodibus et ministris, sed tanquam verentibus principibus ne quid ex istis arcanis latebris sibi minus faustum erueretur. Accedebat etiam illa circa res prodigiosas incuria, de qua jam suo tempore querebatur Livius, lib. XLIII, § 13 : « Non sum nescius, « inquit, ab eadem negligentia qua nihil deos portendere vulgo nunc « credant, neque nuntiari admodum nulla prodigia in publicum, « neque in annales referri. »

De libris tamen bene meruerat Augustus quod eos, post sexaginta duntaxat annos, vetustate jam obsolescentes, seu terræ humore ac situ putres, rursus describendos et, ut videtur, adversus simile incommodum præmuniendos curaverat. Summa id cura factum docet Dio, lib. LIV, § 17, libris nempe ipsa quindecimvirum manu describi jussis, ne quis profanus introspiceret : Καὶ τὰ ἔπη τὰ Σιβύλλεια ἐξίτηλα ὑπὸ

τοῦ χρόνου γεγονότα τοὺς ἱερέας αὐτοχειρίᾳ ἐκγράψασθαι ἐκέλευσεν, ἵνα μηδεὶς ἕτερος αὐτὰ ἀναλέξηται. Quanquam non ab ipsis quindecimviris, ut jam ante in simili re notavimus, sed ab eorum ministris, servis illis, quos diximus, publicis, descriptos libros intelligi oportet. Hoc Dio in annum ab Urbe condita DCCXXXVI retulit, atque hinc fortasse discere possumus, quanam id sit occasione factum. Tunc enim agebatur de ludis sæcularibus anno proximo celebrandis, mota re, ut Zosimus tradit, lib. II, § 4, per Ateium Capitonem, jurisconsultum illum doctissimum, qui de jure sacrificiorum decem libros scriptos reliquisse fertur. Atqui tum necessario de tempore ac de modo ludorum celebrandorum, quos nemo viderat, pauci fando acceperant, inquirendum fuit: quamobrem a doctis vel religiosis viris editos tum de ea re libros facile credimus, in quibus necessario priscorum exemplorum priusque redditorum oraculorum mentio fiebat (unde etiam Phlegonti innotuisse putamus fragmenta Sibyllina ab ipso servata, de quibus commentandum infra, cap. 16); et tum, si unquam, prœmaturæ illorum senectuti, jussu Augusti, subventum fuisse remur.

Accessit mox alia ejusdem principis cura, de qua Suetonius in ejus vita, § 31 : « Postquam pontificatum maximum, quem nunquam Le« pido auferre sustinuerat, mortuo demum suscepit, quidquid fatidi« corum librorum græci latinique generis nullis vel parum idoneis « auctoribus ferebatur, supra duo millia contracta undique cremavit: » ac solos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito; condiditque « duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi. » Qua in narratione tres sunt partes distinguendæ, proscriptio nempe falsorum oraculorum, delectus inde novus Sibyllinorum, ac denique sedes iis assignata non jam in Capitolio, sed in ipsa Augusti domo Palatina.

Prima pars gravi etiam Taciti auctoritate firmatur, sive quis malit, Tiberii ad senatum scribentis, Annal. VI, § 12, loco plenius infra citando : « Quia multa vana sub nomine celebri vulgabantur, sanxisse « Augustum, quem intra diem ad prætorem urbanum deferrentur, ne« que haberi privatim liceret. » Eamdem rem apud utrumque, sed diverse narrari patet : comparanda igitur hæc inter se testimonia. Ac de tempore quidem, quo illa res gesta est, nullam reliquit controversiam Suetonius : nempe post Lepidi mortem, quam Dio Cassius, lib. LIV, § 27, retulit in annum DCCXLI, Tiberio et Varo coss. Recte Dio : nam eo anno cœpisse Augustum Pontificis Maximi titulo uti, monumenta et numi confirmant. Recte etiam Augustus, quod illam dignitatem non, ut antea sub Lepido, vanam et inanem videri passus est, sed statim ad ordinandas religiones animum convertit. Inter alia vero, ac fortasse præ aliis omnibus, falsorum oraculorum licentiam compescere voluit,

ex qua multa turbarum germina oriri posse non ignorabat quum adversus publica sacra, tum adversus ipsam rempublicam. Neque deerat exemplum similis inquisitionis Punico bello secundo factæ, de qua nos supra, cap. 4. De hoc autem edicto, tanquam non ad Sibyllina tantum, sed ad quælibet similia pertinente, Suetonii verba clare sonant : « Quidquid fatidicorum librorum græci latinique generis « nullis vel parum idoneis auctoribus ferebatur. » Quanquam pseudo-Sibyllinos præcipue damnatos fuisse, Tacitus innuit : « Quia multo ante sub nomine celebri vulgabantur. » Et quidam huc referendum putaverunt Justini Martyris locum, Apolog. I, § 44 : Κατ' ἐνέργειαν δὲ τῶν φαύλων δαιμόνων θάνατος ὡρίσθη κατὰ τῶν τὰς Ὑστάσπου ἢ Σιβύλλης ἢ τῶν προφητῶν βίβλους ἀναγινωσκόντων. Sed de illa tam acerba lege quid sentiendum sit, aptius dicetur in Exc. IV.

Redimus nunc ad Suetonii narrationem, et quidem ad ejus secundam partem, in qua post allatos undique libros, ac publico igne crematos qui falsi visi essent, statim additur : « Solos retinuit Sibyllinos, « hos quoque delectu habito. » Patet hoc accipiendum esse non de publicis libris post incendium restitutis, quorum alium delectum institui nefas fuisset, sed de novis qui ex edicto quotidie ad magistratum afferebantur « sub nomine celebri », e quibus plures rejecti, quidam retenti sunt. Ita Suetonius, et inde sequi videtur auctum fuisse tum librorum numerum qui publice asservabantur. Id vero a nullo alio traditum auctore, nobis valde suspectum est, quia tum minime aliquid de eorum numero novandum erat, quum primum arbitrio principis sede sua antiqua et sacra dimovebantur, ne plus inde labefieret ipsorum auctoritas. Quid igitur de Suetonii sententia, nos quoque delectu habito, retinemus? Translatis in Palatium libris, qui publica auctoritate in Capitolio consecrati fuerant, ceterorum fatidicorum librorum usu interdictum, præter Sibyllinos nonnullos, quos ut nimis antiquos et notos retineri necesse fuit, quorum, præcipui ut opinamur, fuerunt Erythræi, et si qui alii veteribus Sibyllis ascripti prisca hominum veneratione colebantur. Hanc opinionem fatemur cum Suetoniano textu minus convenire : sed nos quidem Suetonium malumus erroris suspectum facere quam Augustum levitatis. Quoniam tamen nimis aperta sunt historici verba, nihil pro certo definire ausimus.

Sequitur ultima pars de sede nova sacris libris attributa. Suetonius ait conditos illos « duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi. » De loco historici omnes consentiunt, fatales Romanorum libros in Palatio reconditos post Augustum permansisse; et tum potissimum illuc eos translatos fuisse patet. Quo enim alio tempore? Quum ædes

Apollinis in Palatio dedicata est, anno post Urbem conditam DCCXXVI? An quum ludi sæculares ex Sibyllino jussu celebrati sunt, anno DCCXXXVII? Verum præterquam apud auctores ad hunc utrumque annum de libris translatis altum silentium est, vix hoc sane fieri potuit, nec in tali negotio quidquam novari sine maximi pontificis sententia. Porro minime sane dignatus esset Augustus referre de ea re ad Lepidum pontificem, adhuc viventem, quem ipse, nec injuria, quo contemptu ac pæne ludibrio habuerit, veterem licet in triumviratu collegam, testis est Dio, lib. LIV, § 15. Post Lepidum igitur mortuum, primo pontificatus sui anno, translatos ex Capitolio libros « sub Palatini Apollinis basi », ut ait Suetonius, condendos curavit, « inclusos duobus forulis auratis, » ut ipse addit. Sed cur duobus? An quod uno veteres libri, altero recentiores inclusi fuerint? Sane hoc probabiliter conjici posset, si novi libris veteribus additi tunc fuissent, ex Suetonii mente, quod supra vel negavimus vel dubium facere studuimus. Magis credimus duo forulos ita paratos fuisse ut alter altero contineretur, quo magis ab incendio, si res ita ferret, defenderentur inclusi libri.

Post Augustum videntur imperatores Romani ab excitandis Sibyllinis religionibus libentius abstinuisse. Ita Tiberius de inundatione Tiberis amnis libros adire vetuit, Tacit. Ann. I, § 76. Id, si Tacito fides, Asinius Gallus in senatu proposuerat : quanquam miramur talis ingenii virum tam religiosum fuisse, potiusque suspicamur aliquid a Tacito confusum, relatumque de hac re in senatu fuisse, postulante Caninio Gallo quindecimviro, de quo infra, homine superstitioso, ut videtur. Utique si Asinius hoc censuit, parum inde profecit ad recuperandam Tiberii gratiam. Idem vero princeps, paucis post annis, quum versus quosdam græcos finem imperii in annum Romæ trecentesimum prænuntiantes per populum discurrere comperisset, teste Dione. lib. LVII, § 18, fatidicos omnes libros inspici jussit, quosdam reprobavit, nonnullos admisit; qua de re audienda sunt et perpendenda ipsius Dionis verba : Καὶ τὰ βιβλία πάντα τὰ μαντείαν τινὰ ἔχοντα ἐπεσκέψατο, καὶ τὰ μὲν ὡς οὐδενὸς ἄξια ἀπέκρινε, τὰ δὲ ἐνέκρινε. Quid sit ἐνέκρινε, rursus quæri potest, sicut illud supra Suetonianum *retinuit*, idemque pronuntiandum de utroque censemus, plurimorum nempe lectione interdictum, quorumdam usum concessum; non, quod alicui primum intuenti videri posset, publicos libros novos veteribus additos. Nam itane sine idonea causa iterum ac tertium intra paucos annos contrectabantur, numero augebantur, alienis admiscebantur ii libri, quorum religio, nisi fixa atque immota, stare non poterat? Hoc tamen si factum est, eo factum consilio arbitramur, ut omnis deinceps de Si-

byllinis veris falsisve controversia clauderetur. Nam aliquanto post, ejusdem principatus anno XVIII, quum de augendo librorum publice receptorum numero in senatu actum esset, scimus intervenisse vix temperatam principis iram, ita rem narrante Tacito, lib. VI, § 12, loco jam cit.: « Relatum inde ad patres a Quintiliano tribuno plebei de libro Sibyllæ, « quem Caninius Gallus quindecimvirum recipi inter ceteros ejusdem « vatis, et ea de re senatus consultum postulaverat : quo per discessionem facto, misit literas Cæsar modice tribunum increpans, ignarum antiqui moris ob juventam; Gallo exprobrabat, quod scientiæ « cærimoniarumque vetus, incerto auctore, ante sententiam collegii, « non, ut adsolet, lecto per magistros æstimatoque carmine, apud « infrequentem senatum egisset. » [Hæc Tiberius, sive ad Augusti tempora, seu quod magis credimus, ad antiquiora exempla respiciens.] « Simul commonefecit, etc. Igitur tunc quoque notioni quindecimvirum is liber subjectus. »

Quæ porro fuerit post talem principis epistolam quindecimvirum sententia, nemo est qui dubitet. Nec minus certum est Tiberio, ita scribenti, aliam fuisse curam quam Sibyllinæ integritatis. Non fuit homo ille religiosus, sed auctoritatis suæ retinentissimus. Attrectari autem sine principis jussu imperii arcana, id demum importunum visum est ægro seni et adversus omne genus oraculorum suspicaci. Itaque non modo tribunum plebis, nimis juvenem, simulque ejus incitatorem, non satis maturum senem, increpuit; sed etiam minime dubitavit senatus consultum per discessionem factum, ideoque ratum et absolutum, rescindere, honestam causam nactus infrequentiam, simulque visus librorum Sibyllinorum auctoritati consulere, dum suam et exerceret et firmaret.

Quod si attentius Taciti narrationem introspicias, auctoris eo plus in hac re valentis, quod ipse quindecimvirum collegii pars fuit, ideoque nihil quod ad libros attineret parvi facere debuit, nonnulla notatu digna reprehendes. Primum, nondum desuesse illo tempore magistratus, quibus id olim juris erat, ad senatum referre quæ sibi e republica viderentur. Deinde patribus licuisse injussu principis deliberare, saltem de iis rebus quæ nec ad summam reipublicæ nec ad principis jura pertinerent. Tertio, penes senatum etiam tum fuisse quidquid ad Sibyllinam rem spectaret, ne Tiberio quidem id ei juris denegante. Quarto, non pervicisse Augusti, non Tiberii decreta, de quibus modo agebamus, quominus, ipso regnante Tiberio, Sibyllina vel sic dicta volumina quædam, publice nondum recepta, non modo manibus hominum tractarentur, sed etiam aperte in curia exhiberentur. Denique fuisse etiam illo tempore viros graves et civitatis

principes qui fidem istis oraculis adhiberent: ipsum quinimo senatum, sive religione, sive incuria, in eorum sententiam qui nimium Sibyllinis faverent, haud ægre concessisse.

Illa tamen Tiberii epistola commonefactus, videtur senatus a tractandis postea Sibyllinis negotiis abstinuisse: neque injussu principis libri deinde aditi, idque perraro. Semel sub Nerone; postea per duo fere sæcula, vix unquam; sub Gordianis et Gallieno bis aut ter, tanquam erigere se conante prisca religione, sed vel eo citius emoriente. Unde et Aurelianus imperator, Marcomannico bello, ann. post Chr. 271, segnem ad libros consulendos senatum increpabat epistola, quam Vopiscus ad nos transmisit in ejus principis vita : « Miror vos, Patres « sancti, tandiu de aperiendis Sibyllinis dubitasse libris, perinde « quasi in Christianorum ecclesia, non in templo Deorum omnium « tractaretis. Agite igitur, etc. » Hic præcipua tangitur causa imminutæ erga hæc oracula fiduciæ, lux nempe novæ religionis in dies aucta. Quam tamen adjuvabat veterum sacrorum negligentia diu jam cum priscæ cujuslibet traditionis contemptu apud gentiles gliscens, non sine philosophorum omne fas moventium culpa : cui morbo remedium quærens senatus, Arnobii tempore, agitabat, utrum Ciceronis de Divinatione libros, Sibyllinis infensissimos, aboleret, Arnob. lib. III, page 103; atque ex ipsis Aureliani verbis colligere est, jam tum et fortasse jam diu non tam vera fide, quam ne publica religio deseri videretur, Sibyllinorum consulendorum mentionem interdum esse factam.

Vix hactenus aliquid attigimus de oraculis quibusdam quæ, tanquam Sibyllina, Romæ sub imperatoribus cursitabant. Quale illud fuit sub Tiberio, juxta Dionem Cassium, lib. LVII, § 18 :

Τρὶς δὲ τριακοσίων περιτελλομένων ἐνιαυτῶν,
Ῥωμαίους ἔμφυλος ὀλεῖ στάσις, κ. τ. λ.,

et illud sub Nerone, ibid., lib. LXII, § 18 :

Ἔσχατος Αἰνεαδῶν μητροκτόνος ἡγεμονεύσει,

et quod dicitur Hadriano sors imperii e Sibyllinis versibus provenisse, apud Spartianum in ejus principis vita (nisi forte pertinet hoc ad ipsa nostra Sibyllina, lib. VIII, v. 52, sqq.; lib. V, v. 47, sqq.); et quod oraculo quodam (an et hoc Sibyllino?) Caracalla dictus fuit Αὐσόνιος θήρ, Xiphil. in ejus vita, § 23; et quod Probum imperatorem « multi ferunt Sibyllinis libris fore promissum, » teste Vopisco in Floriani vita sub finem. Quæ quidem omnia volentibus nobis prætermissa sunt; nihil enim horum ad publicos libros pertinere credimus. Similia multis aliis fuerunt oraculis, ex tempore confictis, quæ, vergente olim republica, sæpe in vulgus emitti solita notavimus supra, pag. 180, sq. Ipsi interim fatales, ut vulgo vocabantur, libri jacebant

tenebris suis involuti, donec urgens aliquod publicæ religionis periculum denuo illos excitaret.

Quod ante eversos gentiles Deos ultimus tentasse dicitur Maxentius, quum, hoste adventante Constantino, Romæ ipse mœnibus inclusus, anno post Christum 312, ad firmandos suorum animos Sibyllina consuli juberet fata, Zosim. lib. II, § 16 : Μαξέντιος δὲ, ἐναποκλείσας ἑαυτὸν, τοῖς θεοῖς ἱερεῖα προσήγαγε... καὶ τὰ Σιβύλλης διηρευνᾶτο· καί τι θέσφατον εὑρών, κ. τ. λ. Sed frustra; nam ipse mox desertus a diis suis, occidit, et a qua frustra auxilium speraverat, religionem paganam secum traxit.

Constantinus tamen, quemadmodum ceteris gentilium sacris, publicæ concordiæ causa, parcere visus est, ita libros Sibyllinos in sua sede obscuros et ignobiles marcere sivit. Semel postea paganismus lacertos movit sub Juliano imperatore; cujus mandato, quum bellum adversus Persas moliretur, postremum aditi libri, teste Ammiano, lib. XXIII, init., discedere eum ab imperii finibus vetuerunt, tanquam sibi consulentes. Atque eos etiam tum in Palatini Apollinis templo, ubi depositi ab Augusto fuerant, asservatos mansisse, docet idem Ammianus, libro eodem, templi illius incendium ita referens : « Eadem nocte Palatini Apollinis templum, præfecturam regente « Aproniano, in Urbe conflagravit æterna; ubi, ni multiplex juvisset « auxilium, etiam Cumana carmina consumpserat magnitudo flamma- « rum. » Iterum ergo idemque periculum effugerunt, ex quo integri evaserant Neroniano incendio, quum Palatium, id est, Cæsaris domus, sed fortasse, reticente Tacito, non ipsum Palatini Apollinis templum arserat.

Quid vero tum, Juliani temporibus, absumpto templo, de librorum cura cautum fuerit, a nemine didicimus. Conjici tamen certo potest, sub principe veterum sacrorum diligentissimo, dignam illis sedem in aliqua deorum æde et fortassis in ipso senatus domicilio esse quæsitam. Nec defuisse quindecimvirum custodiam, etiam post illa tempora, certo scimus, quod inter Symmachi titulos, in illa præclara statuæ ejus inscriptione apud Orell. 1186, ita legamus : LVCIO AVR. AVIANIO SYMMACHO VC..... PONTIFICI MAIORI QUINDECIMVIRO S. F. Quæ statua dedicata fuit Gratiano IV cons., anno post Christum 377, post Juliani mortem decimo quarto. Adeo post sex christianos imperatores tenax remanserat religionum dignitatumque suarum senatoria gentilitas.

CAP. VIII. *De ultimo librorum Sibyllinorum fato.*

Abolita jam fuerant extremo Theodosii edicto gentilia sacra, clausa templa, spoliata passimque diruta, relicta tantum religionis avitæ domi colendæ privata libertate, quum adhuc integri manebant Sibyllini libri, servati sub senatus, uti modo conjecimus, invalida licet, tutela, donec tandem sub Honorii principatu, Stilichonis jussu, cremati sunt, testante et multum dolente Rutilio Numatiano, Itiner. lib. II, v. 51., sqq.:

Nec tantum Geticis grassatus proditor armis,
Ante Sibyllinæ fata cremavit opis.
Odimus Althæam consumpti funere torris;
Nisæum crinem flere putantur aves:
At Stilicho æterni fatalia pignora regni
Et plenas voluit præcipitare colus.

Vides ethnici poetæ indignationem, fabulas huc afferentis obsoletas de Althæa Meleagri matre et de Scylla regis Nisi filia, quæ fatale pignus ambæ dicuntur exstinxisse, hæc nati, illa patris simul et regni. Sed amoto poetici doloris luxu, rem ipsam intueamur, et quo anno commissum hoc a Stilichone fuerit, inquiramus.

Scimus illum egregium ducem, mortuo Theodosio, regni tutelam sumpsisse, anno post Chr. nat. 395, ac demum Honorii jussu, anno 408, vita orbatum fuisse. Istis ergo limitibus quæstio continetur.

Putaverunt quidam, atque inter eos Gallæus, de Sibyll. p. 278, astipulante doctore Prideaux, nec multum dissentiente Wernsdorfio, Rutilii editore doctissimo, in Exc. ad h. l., impulsum eo fuisse Honorium, sive ejus ministrum, propter divulgatos ab ethnicis versus quosdam græcos, quibus canebatur affore christianæ religioni finem post annos a Christo mortuo 365, quod in Honorii quartum consulatum sive annum 398 cadebat, narrante rem totam Augustino, de Civ. Dei, lib. XVIII, § 53, sq., sed ita ut Græcos quidem versus fatiloquos, non tamen Sibyllinos usquam nuncupet.

At ecce anno etiam 399 recitabat in senatu Claudianus carmen de bello Gildonico, in quo Romam sic inducit loquentem, v. 28, sqq.:

Si mea mansuris meruerunt mœnia nasci,
Jupiter, auguriis; si stant immota Sibyllæ
Carmina.....

Idem, carmine in Eutropium, lib. I, v. 11, hoc ipso anno exclamabat:

Pandite, pontifices, Cumanæ carmina vatis.

Tunc igitur et libri immoti, id est, incolumes integrique manebant, et quindecimviri, quos poeta pontifices vocat, titulo adhuc suo frue-

bantur, quamvis suppressis omnibus sacerdotiis novissimo Theodosii edicto : mirum sane, nisi norat poeta hanc utrisque veniam condonatam fuisse in senatus gratiam, ob insitam etiamtum amplissimo ordini librorum istorum venerationem, quos in ipso curiæ gremio violare nemo hactenus ausus erat.

Anno autem sequenti, qui post Christum quadringentesimus fuit, Claudianus de cons. Stilich., lib. III, v. 160, sqq., hæc canebat :

Nam cetera regna
Luxuries vitiis odiisque superbia vertit.
Hæc [id est, Roma]... auguriis firmata Sibyllæ,
Hæc sacris animata Numæ.

Et anno 402, in quarto consulatu Honorii, v. 147, sq. :

Cumanaque rursus
Intonuit rupes, rabidæ delubra Sibyllæ.

Et eodem vel proximo anno de bello Getico, v. 229, sqq. :

Tum somnia vulgo
Narrari; tum monstra Deum, monitusque sinistri;
Quid meditentur aves; quid cum mortalibus æther
Fulmineo velit igne loqui; quid carmine poscat
Fatidico custos Romani carbasus ævi.

Quæ omnia ac præsertim hoc ultimum non scripsisset, si recens aboliti fuissent publica auctoritate isti libri.

At etiam anno 404, panegyrico in VI consulatum Honorii, v. 388, sqq., spatium sæculare sic definitur :

.....Jam flavescentia centum
Messibus æstivis detondent Gargara falces;
Spectandosque iterum nulli celebrantia ludos
Circumflexa rapit centenus sæcula consul.

Unde quidam putarunt Honorio sextum consule celebratos fuisse sæculares ludos, falso quidem: nam eos ludos post Severum factos fuisse negat aperte Zosimus, lib. II, § 7, qui nec a Philippo imperatore serio editos putavit anno post clausum a Severo sæculum quadragesimo tertio. Celebrari autem ab Honorio vetabant nova sacra tum maxime dominantia. Quare poetica tantum circumlocutione scriptum hoc a Claudiano fuisse ultro fatemur. Sed ne ludens quidem ita locutus esset aulicus poeta, neque ludos illos huc intulisset Sibyllinæ institutionis memores prorsusque Sibyllinos (confer infra cap. 15), si recens tum dolor apud gentiles arsisset ablatæ sibi et imperio Romano Sibyllinæ, quam vocabant, opis.

Quod si in allato Rutilii loco vera est codicis manuscripti lectio *ante* (pro qua nonnulli *sancta* repositum maluerunt), cremati fuerint

libri oportet aute Stilichonis veram falsamve proditionem, id est, ante pacem cum Alaricho factam anno ad summum 407. Ut ut sit, abolitos fuisse necesse est, simulque suppressum quindecimvirale collegium, inter annos 404 et 408, postquam a Tarquinio Superbo primum ea religio condita erat, annis plusquam nongentis.

Credibile est factum hoc contra senatus vota, Honorii potius jussu quam Stilichonis, qui per decem annos toleraverat intra curiæ parietes eludi supremum Theodosii edictum, non paganæ religionis amore aut spe ejus aliquando restituendæ (quo crimine apud Christianos quosdam scriptores, Orosium præsertim lib. VII, cap. 38, immerito laborat), sed ne initiis novi principatus obesset nobilissimi ordinis invidia. Adulto regno, sublatus est metus; et adnitente (quis enim dubitet?) Christianorum odio, consummatum tandem est illud novissimum paganæ religionis opprobrium. Quo fortasse respiciebat Aurelius Prudentius, quum inter oracula post Christi adventum tacere jussa, Sibyllæ quoque libros et Cumanas sortes recenseret, Apotheos. adv. Jud. v. 119, sqq.:

Non tripodas cortina tegit; non spumat anhelus
Fata Sibyllinis fanaticus edita libris;
Perdidit insanos mendax Dodona vapores;
Mortua jam mutæ lugent oracula Cumæ.

Sic victores triumphabant : sed quid interea victi? Multumne scilicet Rutilio succensebimus, ethnico homini, effundenti circa annum 417 dolorem suum, recenti jactura crudum? quum ne nos quidem Christiani post tantum temporis intervallum a simili gemitu temperare possimus, quamvis aliam ob causam. Utinam enim istos libros antequam cremarentur inspici, et quod in iis repertum esset, saltem per ludibrium divulgari jussisset, posteritatis causa, Stilicho, sive verior ejus damni auctor, Honorius : quemadmodum veterum deorum templa signaque multa decoris sui causa superfuerant; aut quemadmodum in foris plateisque novæ Romæ a se conditæ prostare jusserat ipse Constantinus clarissima religionis simulque artis antiquæ specimina. Sed tum fortasse metus subiit ne sacrilegii augeretur invidia apud gentiles, ac præsertim apud senatum; aut ne diffusa in vulgus oracula, credulisque mentibus excepta, falsos rumores propagarent.

Quod tamen omnino præcaveri non potuit. Nam aliquanto post, quum jam Sibyllinorum librorum confusa vix memoria supererat, adeo ut, qua lingua scripti fuissent, plerique ignorarent, quædam etiamtum oracula, tanquam e veteribus Romanorum Sibyllinis, apud vulgus indoctum cursitabant, eaque latina, non græca, quo magis argueretur imperitia falsariorum.

Tale fuisse credimus oraculum apud Procopium, de bello Gothico, lib. I, § 7, quod initio illius belli, tum quum Romanorum dux Mundus in prælio ad Salonas occisus esset, percrebuisse narratur mentesque hominum perculisse, non quidem ut novum, sed ut olim decantatum : Τότε Ῥωμαῖοι ἀνεμνήσθησαν τοῦ Σιβύλλης ἔπους, ὅπερ ᾀδόμενον ἐν τῷ πρὶν χρόνῳ τέρας αὐτοῖς ἔδοξεν εἶναι. Ἔλεγε γὰρ τὸ λόγιον ἐκεῖνο ὡς ἡνίκα ἂν Ἀφρικὴ ἔχηται, ὁ κόσμος ξὺν τῷ γόνῳ ὀλεῖται, AEPICACAPTAMYN-ΔYSCYMNATIPEPISTAΣI. Sic fere codices, hæsitante multum in latinis elementis reddendis librariorum græcorum manu; quod latine ita legendum senserunt interpretes :

Africa capta Mundus cum natis peribit,

vel si hexametrum utcumque restitui placet :

Africa capta [cadet], Mundus cum [prole] peribit.

Aliud oraculum haud multo post, quum Vitiges urbem Romam obsideret, prolatum est a patriciis, tanquam Sibyllinum, τῶν τινες πατρικίων τὰ Σιβύλλης λόγια προύφερον, docente eodem Procopio, ibid., § 24, qui et sensum oraculi græce interpretatur : Quintili, id est, Julio mense, regnante novo imperatore, Romam a Gothorum metu cessaturam : Τὸν κίνδυνον τῇ πόλει ἄχρις εἰς τὸν Ἰούλιον μῆνα γεγενῆσθαι μόνον· χρῆναι γὰρ τότε βασιλέα Ῥωμαίοις καταστῆναί τινα, ἐξ οὗ δὴ τὸ Γετικὸν οὐδὲν Ῥώμη τὸ λοιπὸν δείσειε. Verba autem latina, corrupta licet, ab historico græco tradita hæc sunt : ΠΝΤΙΥΙΟΙΜΕΝΖΕΚΑΙΙΒΕΝΥΩ·ΚΑΙΚΑΤΕΝΗΣΙΓΡΣΟΕΝΙΙΙΙΙΥΕΤΙΣΟΠΙΑΙΙΕΤΑ, quæ sic haud absurde vertas :

Quinto mense, [novus] cum rex nova jura tenebit,

Urbs erit a Getico marte quieta...

Hæc Procopius; qui utrumque oraculum fatetur ipse frustra cecidisse, causasque hujus rei multas vanas excogitat. Notandum vero, neque hoc, neque fortasse prius oraculum, originem a multitudine duxisse, sed a patriciis in vulgus prolatum fusse : Τῶν τινες πατρικίων τὰ Σιβύλλης λόγια προύφερον, velut manente apud illum ordinem traditione de Sibyllinis responsis olim senatus consulto promulgari solitis; nobilium quippe virorum non paucis, ut et philosophorum doctorumque, priscæ adhuc religioni occulte faventibus, quos inter Procopium ipsum sunt qui nec injuria recenseant.

Quid vero longius persequamur Sibyllinorum librorum historiam, provectam usque ad sextum jam sæculum, post annos ab ipsorum suppressione plus centum? Et hæc ipsa Procopiana fragmenta quibusdam fortasse videbuntur aliena ab argumento nostro; quod quidem ipsi nos rectius consistere fatemur inter Tarquinii Superbi et Honorii imperatoris tempora, haud parva fatorum mensura, novem fere sæcula complexum.

CAP. IX. *De collegio XVvirali.*

Absoluta jam librorum Sibyllinorum historia, necesse est de collegio XVvirali, ipsorum custodiæ fatisque præposito, ea quæ sparsim adhuc obiterque dicta sunt, colligere, resumere, et si quid defuit illi parti, supplere. Qua in tela ordienda utinam præsto nobis essent, quæ Varro *de XVviris S. F.* scripsisse fertur in libris *rerum divinarum ad Cæsarem,* aut quæ Fenestella ejusdem temporis scriptor, citatus uterque a Lactantio, lib. I, cap. 6. Quanquam ex iis ipsis auctoribus manasse pleraque certum est, quæ de hoc argumento e Dionysio Halic. aliisque vel attulimus jam vel afferemus. Nec de initiis hujus sacerdotii multa erunt addenda iis quæ dicta sunt supra, cap. 4. Tantum ea paucis referre necesse est.

Vidimus hactenus creatum hoc fuisse collegium a Tarquinio Superbo, sed modico primum numero, duorum nempe virorum.

Notavimus etiam fuisse custodes illos electos e præstantissimis civitatis, ut ait Dionysius Halicarnasseus, τῶν ἀστῶν ἄνδρας ἐπιφανεῖς δύο, imo, si Zonaræ fides, e senatoribus, βουλευταῖς ἀνδράσι. Quod vero Tzetzes videtur, ad Lycophr. v. 1278, unum tantummodo designare custodem, cui sit causæ imputandum, nescimus, nisi unius e duobus M. Atilii vulgatiori famæ; de cujus etiam proditione et pœna confer supra dicta, cap. 4.

Regibus deinde exactis, constat mansisse duumviros aliquandiu totidem, pariterque e nobilissimis lectos, sive, ut modo Zonaras aiebat, e senatoribus, seu saltem, e patriciis, ut Servio visum ad illud Æn. VI, v. 73 : « Lectosque sacrabo, Alma, viros, » ubi interpres: « Quia nisi patricii tum fiebant. »

Sed post bellum, ut diximus, Gallicum, tribunis adversus omne patricium jus insurgentibus, ïnterque alia rogantibus uti pro duumviris decemviri fierent æquato inter ordines honore, Tit. Liv. VI, § 37, perlata lex, anno post urbem conditam CCCLXXXVII, eodemque anno « creati quinque Patrum, quinque plebis, » ibid. § 42.

Nihil deinde mutatum usque ad Syllana tempora, tum quum dictator augurum sacerdotumque collegia a decemviris ad XVviros auxit, teste Livii epitomatore supra citato, cap. 5, unde merito colligitur pariter auctos tum fuisse decemviros quoque, sacerdotibus annumerandos; idque etsi nemo aperte scripsit, Servius tamen innuit ad Æn. VI, v. 73 : « Sciendum, ait, primum duos librorum fuisse custodes, « inde decem, inde quindecim ad Syllana tempora, » ubi recte legendum proponunt viri docti : « Inde decem ad Syllana tempora, inde « quindecim. » Certe qui antea decemviri, post Syllam quindecimviri

communi auctorum usu vocari incipiunt. Ut, exempli gratia, anno DCXXI, quo Tiberius Gracchus occisus est, legatos in Siciliam sacrorum faciendorum causa missos a senatu videmus « ex amplissimo collegio decemvirali, » apud Ciceronem, in Verr. de Signis, § 49. Item anno DCLII, Mario IV et Lutatio coss., « hostiarum cinis per de« cemviros in mare dispersus, » tradente Julio Obsequente, § 104, qui hoc, ut pleraque, videtur e T. Livio desumpsisse. Contra anno DCCIII, qui post Syllam vicesimus octavus numeratur, scribit Cœlius ad Ciceronem, lib. VIII, ad div. epist. 4, « P. Dolabellam quindecim« virum factum. » Nihil porro inter annos DCLII et DCCIII mutatum reperitur in collegiis sacerdotum, præter illud a dictatore Sylla.

Mirabitur forsan aliquis eo potissimum tempore custodes librorum plures factos, quum, amissis incendio Capitolino iis libris, nihil custodiendum supererat. Sed præterquam jure suspicati sumus cogitasse jam tum dictatorem de libris restituendis, multum sane absit a vero, si quis putet intra ipsam librorum curam constitisse Xvirum seu XVvirum munus. Ita fortasse sub Tarquinio cautum erat. Verum, progressu temporis, illi quorum erat divina revelare mandata, facile effecerunt ut exsequendis etiam iis præessent: quidni enim, si ita jussisset oraculum? Id unde cœperit, ignotum. Certe jam anno CCXCIII duumviri sacrorum a Livio dicti reperiuntur, lib. III, § 10; item anno CCCLXXXVII duumviri sacris faciendis, pro quibus anno sequenti Xviri sacrorum fiunt, Liv. locis supra citt. Neque aliter unquam designari solent quam *IIviri* vel *Xviri* vel *XVviri sacrorum* seu sæpius *sacris faciendis*, sive, ut antiquo more dici malebant, *sacris faciundis*, quod in elogiis vulgo per compendium ita scribitur, XV.VIRI.S.F. (Orell. 2263, 2351, 2385, etc.). Unde colligas muneris eorum præcipuam hanc fuisse partem, ut sacra facerent, id est, Sibyllinis jussa responsis exsequerentur. Præcipuam sane : nam libri fortuitis de causis iisque rarioribus adibantur; sacra vero ex iis libris multa et varia fiebant, quædam etiam annua et perpetua; item sæpe templa aliave opera ex eorum mandato vovebantur, erigebantur, dedicabantur. Hæc omnia penes collegium fuerunt. Nec Romæ modo, sed etiam in provinciis interdum suo munere fungebantur, ut patet ex Dionis fragm. 79, ed. Sturz, quo senatus jussu e decemviris duo proficiscuntur, anno U. C. DCXI, ad Appium Claudium consulem, qui adversus Gallos inauspicato bellum inceperat, nempe ut ex Sibyllino responso in finibus Gallorum sacrificarent (confer Jul. Obseq. ad hunc annum); item, Gracchorum tempore, legatos ex eorum collegio in Siciliam a senatu missos rei divinæ causa, ex Cicerone paulo ante didicimus. Ne quis ergo jam miretur post exustos libros adhuc de Xviris sategisse Syl-

lam, quum vel ipsi dictatori opus fuerit ipsorum ministerio ad dedicandam in Circo Flaminio Herculis ædem, quam, teste Ovidio, Fast. VI, v. 210, sqq., Sibyllinis jussis, nondum igitur amissis libris atque ideo ante incensum Capitolium, voverat.

Ita illius collegii munus, ut omnia Romæ sacerdotia, partim civile, partim religiosum fuit : civile quidem, quod ad librorum curam attinet; religiosum, quod ad sacra. Hinc ipso nomine *sacerdotes* illos vocat Cicero in Verrem de Signis, loc. cit., et eosdem *antistites*, de Divin. II, § 54; *pontifices* vero, licet improprie, Ulpius Syllanus in senatu verba faciens apud Vopiscum, Aurel. loc. cit., et Claudianus in Eutrop., lib. I, v. 11. Apud Gellium, lib. IV, cap. 1, quindecimvir est « arbiter atque interpres Sibyllæ oraculorum. » Livius etiam tribunum plebis inducit sic eos in concione definientem, lib. X, § 8 : « Decemviros sacris faciendis, carminum Sibyllæ ac fatorum populi hujus « interpretes, antistites eosdem Apollinaris sacri, cærimoniarumque « aliarum. » Recte omnia, sicut ex iis constat quæ jam dicta sunt, magisque e sequentibus constabit, nisi quod Apollinare sacrum nondum quum hæc tribunus declamasse fingitur, institutum erat (confer infra cap. 13), quod postea huic collegio proprium summeque honorificum fuit. Majoribus vero sacerdotiis annumerabantur, Dion. Cass., LIII; unde Cicero, de Signis, loc. cit. : « Ex amplissimo collegio XVvirali. » Ex iis itaque collegiis fuerunt, de quibus lege Domitia cautum fuit, anno DCLI, Mario III cos., ut quum antea cooptari solerent (confer inprimis Livium, XL, § 42), deinceps populi comitiis tributis crearentur: quæ lex per Syllam dictatorem paulisper abrogata, deinde per Labienum tribunum, Cicerone consule, restituta est, Dion. XXXVII, § 37 (confer Cœl. ad Cic. lib. VIII, epist. 4), donec lege regia per imperatores eligi cœpti sunt, Dion. LI, § 20. Alia vero minora sacerdotia nonnulla sub eorum cura fuisse constat, ut Dendrophoros Puteolis, Orell. 2385: « Dendrophori curati, qui sunt sub cura XV vir. S. F. », et sacerdotium Matris Deæ Cumis, de quo ipsorum est epistola, Orell. 2263 : « XV[viri] S. F. pr[æfectis] et magistratibus Cumanis, sal. Cum ex epi« stola vestra cognoverimus creasse vos sacerdotem Matris Deum Li« cinium Secundum in locum Claudii Restituti defuncti, secundum « voluntatem vestram permisimus ei occavo et corona, dumtaxat intra « fines coloniæ vestræ, uti. Optamus vos bene valere. Pontius Gavius « Maximus pro magistro subscripsi, XVI kal. septembr. M. Umbrio « Primo, Tit. Cœliano coss., » suffectis nempe consulibus anno post Chr. 289, sub Diocletiano. Ea fuit quindecimvirum in rebus sacris auctoritas. Fruebantur illo honore per totum ævi decursum, διὰ βίου, Dionys. Hal. l. cit. Militiæ onerumque publicorum expertes ipsi, ibid.;

filiæ ab officio Vestalis ministerii immunes erant, Gell. lib. I, cap. 12. In spectaculis laureati sedebant, Arnob., lib. IV, p. 151, ed. var. In pompis atque officiis publicis majestate præ ceteris sacerdotibus insignes erant, ita ut gravitas eorum pæne in proverbium abierit, Gell. loc. cit.

Verum, his omissis, satis amplum iis decus erat quod e primariis civitatis semper assumpti fuissent, quos jam olim Sibylla apud Virgilium, loc. cit., « lectos viros » vocabat; Cicero autem de Divin. I, § 52, « delectos e civitate. » Itaque summo semper studio a nobilibus familiis expetitus fuit honor ille. Cœlius ad Ciceronem, epist. cit. tanquam rem non levis momenti scribit : « P. Dolabellam XVvirum factum. » Sub Augusto Messalæ filium XVviris allectum patri gratulatur scripto in eam rem carmine Tibullus, lib. II, eleg. 5. Sub Domitiano Stellam ingenio et stirpe nobilem adolescentem laudat Statius, Sylv. lib. I, carm. 2, v. 176, quod, miro scilicet principis favore, in album jam sit receptus non senatorum modo, sed et XVvirum :

Certe Cybeleia novit
Limina, et Euboïcæ carmen legit ille Sibyllæ.

Valerius Flaccus, Argon. I, v. 5, sqq. et ipse Tacitus, Annal. XI, § 11, sibi non occulte eum honorem gratulantur. Vitellius ipse jam imperator tripodem in numis suis excudi curabat cum hoc titulo XVVIR SACR. FAC. apud Oisel, Thes. num. ubi vide comment. ad tab. CX, § 4, et confer quæ de numo quodam Manliano dicta sunt supra, pag. 166. Legitur et in epitaphiis monumentisque nobilium virorum inter alios hic titulus loco insigni positus, usque ad extrema Romani imperii tempora; nam anno etiam a Christo 377, statua Symmacho posita inscribebatur PRÆFECTO URBI CONSULI... PONTIFICI MAJORI QUINDECIMVIRO S. F., apud Orellium, n° 1186.

Nihil igitur magnopere mirum si, ex iis qui ad summum imperii regimen accesserunt, fuere nonnulli qui devinciendæ sibi clarissimæ cujusque familiæ causa, vel ut privatis amicitiis satisfacerent, de augendo amplissimi collegii numero satagerent. Et primum Syllam pro dictatoria potestate id sibi juris arrogasse, notavimus supra, p. 192, sq. Post Syllam autem aliquid hujusmodi tentaverat Julius Cæsar : nam, ut cetera, ita XVvirum quoque sacerdotium uno capite auxerat, teste Dione, lib. XLII, § 51 : Ἵνα γὰρ πλείους αὐτῶν [τῶν φίλων αὐτῷ καὶ πιστῶν ὑπαρξάντων] ἀμείψηται, στρατηγούς τε δέκα ἐς τὸ ἐπιὸν ἔτος ἀπέδειξε, καὶ ἱερεῖς ὑπὲρ τὸ νενομισμένον· τοῖς τε γὰρ ποντίφιξι καὶ τοῖς οἰωνισταῖς, ὧν καὶ αὐτὸς ἦν, τοῖς τε πεντεκαίδεκα καλουμένοις ἕνα ἑκάστοις προσένειμε. Item ibidem, lib. XLIII, notatur iterum : Ἔς τε τοὺς πεντεκαίδεκα ἕνα προσαποδείξας. Qua tam levi accessione contentum fuisse

novum dictatorem, notabile est. Volebat igitur suam circa res divinas auctoritatem in minimis experiri? An ad movendas religiones non sine quadam hæsitatione, pontifex ipse maximus, accedebat? An sic ostendebat paris cum Sylla potentiæ moderatiorem apud se usum? Certe ex illa tam timida unius capitis adjectione, satis patet a Syllæ temporibus ad Cæsarem nihil ejusmodi fuisse tentatum. Quin et illa, quantumvis modica, Cæsariana novitas utrum prævaluerit, necne, docti dubitant.

At non tam moderate ab ejus hæredibus actum est, multumque postea crevit sub imperatoribus collegii numerus. Quippe lege regia, ut ait Dio supra citatus, potestas Augusto data erat, sacerdotes quotcumque vellet, etiam extra numerum constituendi : Ἱερέας τε αὐτὸν καὶ ὑπὲρ τὸν ἀριθμὸν ὅσους ἂν ἀεὶ ἐθελήσῃ προαιρεῖσθαι (lege προσαιρεῖσθαι). Quod tantum jus ab eo neglectum aut omissum minime credas. Exemplum autem ab ipso profectum in tantum, inquit Dio, progressum est, ut de numero sacerdotum nihil deinde opus sit accuratius satagere : Ὅπερ που ἐξ ἐκείνου παραδοθὲν ἐς ἀόριστον ἐπηυξήθη, ὥστε μηδὲν ἔτι χρῆναι περὶ τοῦ πλήθους αὐτῶν ἀκριβολογεῖσθαι. Hæc ille : ac nobis quidem necesse est cautum ejus silentium imitari. Quanquam putamus, ut vulgo fieri solet, modesta initia fuisse, nec statim multos, sed plures semper, crescentibus annis, additos. Certe summam numeri definire videtur Servius, loc. supra cit. : « Nam et sexaginta, inquit, fuerunt; « sed remansit in his quindecimvirorum vocabulum ». Unde Joannis Lydi error, de Mensibus, loc. supra cit., tradentis custodiam librorum statim a Tarquinio traditam esse sexaginta patriciis, ἑξήκοντα πατρικίων συστήματι.

Illud vero certissimum est, quod Servius recte notavit, vel sic aucto numero, nomen semper idem mansisse, nempe XVvirum. Id omnia monumenta testantur; adeo ut sub Constantino, tum quum necessario numerus jam sexagenarius impletus erat (qui enim postea ab imperatoribus christianis auctus esset?), Ausonius de libris Sibyllinis adhuc scriberet in Gripho, v. 87 :

Quos ter quinorum servat tutela virorum.

Et idem alibi, epist. 7, v. 15, tricenarium numerum poetice ludens ita designat :

Bisque viros numeres qui fata Amphrysia servant.

Ceterum huic collegio, sicut ceteris, magistrum suum, eoque absente, collegarum unum vel plures pro magistro præfuisse, non est dubium; unde Plinius, lib. XXVIII, § 3, precationem memorat « qua « solet præire quindecimvirum collegii magister », nempe carmen seu precandi formulam ab ipso in sacris recitatam; et apud Orell.

2263, in epistola quadam XVvirum nomine scripta, clausula hæc valde notabilis occurrit: « Pontius Gavius Maximus pro magistro sub- « scripsi ». Talem collegii magistrum fuisse existimamus Q. Marcium Philippum, XVvirum S. F, qui, anno Urbis conditæ DLXXX, verba præibat voti publice concipiendi apud Liv. XLI, § 21, et quicumque alius tali officio in re simili defunctus est (conf. Livii intpp. ad h. l.) Illos vero qui magistri absentis vices gererent, aliquando honoris causa magistros fuisse dictos testantur Fasti Capitolini, qui ludos sæculares tertios, inter annos DX et DXX, factos docent « M'Æmilio M' f. M. Livio M. f. M. n. Salinatore, mag. Xvir. » Quintos autem « Imp. Cæsare Divi f. Augusto. C. Sentio C. f. C. n. Saturnino. « C. Claudio M. f. M. n. Marcello. M. Fufio M. f. Strigone. D. Lælio D. f. D. n. Balbo, mag. XVvir. » Olim igitur duobus, postea quatuor, Augusto ipso præside. Hinc in epistola Tiberii apud Tacitum, Annal. loc. cit.: « Lecto per magistros æstimatoque carmine », nisi forte XVviros per honorem uno omnes nomine magistros dici usus ferebat, quo nempe ministris opponerentur.

Ut enim supra se magistrum, ita infra se ministros habuerunt: quos principio servos fuisse publicos duos a Tarquinio duumviris adjunctos didicimus e Dionysio Hal. lib. IV, § 62, loco sæpe cit.; aucto deinde collegio, plures adjungi necesse fuit, etsi numerum ipsum nec scimus nec scire tanti est. Perpendenda autem Dionysii de iis verba, ibid. paulo infra: Δημοσίους αὐτοῖς [τοῖς πεντεκαίδεκα] παρακαθίστησιν [ἡ πόλις], ὧν χωρὶς οὐκ ἐπιτρέπει τὰς ἐπισκέψεις τῶν χρησμῶν τοῖς ἀνδράσι ποιεῖσθαι, sine quorum, inquit, ministerio non licet libros adiri. Ita munus illorum erat, non modo ut XVviris (olim IIviris seu Xviris) ministrarent atque parerent, sed etiam ut testes adessent, atque ipsos, si quid in adeundis libris per ignorantiam aut fraudem minus recte fieret, admonerent, aut, si opus foret, rem ad magistratus deferrent, quod sub Tarquinio factum vidimus.

Sed aliud illis munus incubuisse suspicamur, nempe ut libros legerent et interpretarentur, quos græce scriptos, antiqua et poetica lingua, literis obsoletis et evanidis (confer supra cap. 3), custodire fortasse, sed intelligere sane non erat quindecimvirum, nobilium hominum et superborum ac plerumque in istis rebus nihil videntium. Lectores quidem et interpretes horum librorum memorat Zonaras, Annal. VII, § 11 (an ex Dione Cassio?), accitos e Græcia, ut imperitiæ romanæ subvenirent: Ὡς δ' οὐ πάνυ τῶν γεγραμμένων συνίεσαν [οἱ Ῥωμαῖοι], εἰς τὴν Ἑλλάδα πέμψαντες, δύο ἄνδρας ἐκεῖθεν μισθοῦ ἤγαγον τοὺς ἀναγνωσομένους ταῦτα καὶ ἑρμηνεύσοντας. Nulla autem causa est cur interpretes illos, nusquam postea in historiis obvios, a

duobus duumvirum ministris distinguamus, qui servi publici facile potuerunt emi atque adduci e Græcia, quales multi Romam advehi solebant patria Græci aut græcis literis imbuti.

Crescente in dies collegii auctoritate atque ideo augescentibus negotiis, fuerunt alia complura ministrorum officia. Erant enim illorum quidam a commentariis, ut apud Orell. 2440 : « Dis Manibus Myrini « Domitiani publici a commentariis XVvir. S. F. » De commentariis confer supra pag. 151. Fuerunt alii, nisi fallimur, ab epistolis, quales in ceteris quoque collegiis fuisse comperimus, ut in collegio pontificali scribam quemdam « ab epistulis », Orell. 2437 ; et habemus epistolarum XVviralium exemplar supra transcriptum, pag. 194.

Porro, quamvis servis primum publicis hoc ministerium commissum fuerit, et Myrinus Domitianus in elogio supra citato *publici* nomen retineat, auguresque et pontifices et omnia fere collegia publicos suos habuerint, quorum frequens mentio in monumentis, cave credas, qui illo titulo utebantur, servili omnes conditione fuisse. Nam quum videatur peculium satis grande iis muneribus obeundis comparari potuisse, verisimile est, inclinatis reipublicæ ac præsertim imperii temporibus, libertinos quoque et ingenuos talibus sæpe ministeriis sponte sua se addixisse. Saltem collegiorum libertos sæpe hæc officia retinuisse constat, deleto servorum nomine, manente publicorum : confer Marinum, de Fr. Arval., t. I, p. 214.

His tot impensis sustinendis certos reditus assignatos fuisse non est dubium : quanquam nec in historiis nec in monumentis quidquam de ea re notatum invenimus, atque ideo nihil nec nobis ipsis notandum, nisi quod ultimo Theodosii edicto publice abolitis gentilium sacris, templis occlusis, et quæ templorum fuerant, vectigalibus fisco additis, supprimi etiam simulque spoliari necesse fuit XVvirale collegium; cujus si non munera, titulos certe et honores, quidni bona quoque et reditus? ad illum usque novissimum diem integros mansisse colligere est ex allato Symmachi elogio, supra, pag. 195.

CAP. X. *Synopsis historiæ librorum Sibyllinorum et collegii quindecimviralis.*

Et nunc post librorum Sibyllinorum collegiique XVviralis complетam, ut potuimus, historiam, priusquam ad ritus in libris consulendis usitatos transeamus, forsan haud inutile videbitur, si, resumptis quæ hactenus dicta sunt, additis quæ omissa, plenos totius rei Sibyllinæ

annales in unam quasi synopsin redigamus. Qua in re, licet diversos auctores sequamur et Livium inprimis Catonianæ annorum supputationi adhærentem, consules omnes ad Varronis, ut pote notiores, numeros revocabimus.

222-245. *Tarquinio Superbo rege.*

Libri a Tarquinio empti et inter sacra repositi.

Duumviri creati.

M. Atilius duumvir, quod libros exscribendos foras dedisset, culeo insutus et in mare dejectus.

Dionys. Hal. IV, § 62; Valer. Max. I, cap. 1; Tzetz. ad Lycophr. v. 1278.

245 vel 250. *Publicola I vel IV consule.*

Mulierum multarum partus imperfecti.

Libri aditi; ex eorum responso, supplicatio Diti facta; ludi publici instituti (an sæculares tum primum facti?).

Valer. Ant. apud Plut. in Publicol. t. I, p. 423, ed. Reisk.; Valer. Max. II, cap. 4; Censorin. cap. 173.

258. *Postumio et Virginio.*

Annonæ gravitas; penuriæ metus.

Templa Cereri, Baccho et Proserpinæ, sacraque annua vota.

Dionys. VI, § 17.

293. *Volumnio et Sulpitio.*

Seditiones ortæ; cælum ardere visum; terræ motus; bos locuta; carnibus pluit.

Pericula a conventu alienigenarum prædicta; monitum ut seditionibus abstineretur; sacrificia votaque.

Liv. III, § 10; Dionys. X, § 2 et 9.

298. *Valerio et Virginio.*

Ludi sæculares primum facti?

Comment. XVvir. apud Censorin. cap. 17.

305. *Valerio Potito et Horatio.*

Ludi sæculares iterum facti?

Valer. Ant. apud Censorin. cap. 17.

318. *Cornelio et Papirio.*

Pestilentia; terræ motus.

Obsecratio a populo facta, duumviris præeuntibus.

Liv. IV, § 21.

321. *Fabio, Foslio et Sergio.*

Pestilentia.

Ædes Apollini vota; sacrificia.

Liv. IV, § 25.

353. *Valerio Potito IV.*

Morbi et bella.

Sacrificium Diti patri in Campo Martio factum; ludi sæculares, secundum quosdam, instituti, secundum alios, iterum facti.

Zosim. II, § 4.

355. *Pomponio, Duilio*, etc.

Pestilentia.

Lectisternium in urbe primum factum est Apollini, Latonæ, Dianæ, Herculi, Mercurio, Neptuno.

Liv. V, § 13.

364. *Tribus Fabiis*, etc.

Urbs a Gallis liberata; modus expiandi libris aditis quæsitus.

Expiatio templorum rite facta.

Liv. V, § 50.

387. *Camillo dictatore V.*

Numerus duumvirum ad decem auctus, ita ut pars ex plebe, pars ex patribus fieret.

Liv. VI, § 42.

389. *Genucio et Servilio.*

Ingens pestilentia.

Ludi scenici Romæ instituti.

Oros. III, cap. 4, conferendus cum Livio VII, 2.

392. *Servilio II et Genucio II.*

Hiatus in foro.

Curtius se præcipitat.

Liv. VI, § 6; Ovid. Fast. VI, v. 403, sqq.; Suid., v. Αἴβερνος; alii.

406. *Popilio et Valerio.*

Pestilentia.

Lectisternium.

Liv. VII, § 27.

407. *Plautio et Manlio.*

An tunc natus androgynus? Confer pag. 236, sqq.

408. *Valerio et Petilio.*

Ludi sæculares iterum facti?

Comment. XVvir. apud Censorinum, cap. 17.

410. *Marcio et Manlio.*

Lapidibus pluit; nox interdiu visa.

Supplicatio.

Liv. VII, § 28.

459. *Fabio et Decio.*

Pestilentia et prodigia; terra multifariam pluit, etc.

Liv. X, § 31.

461. *Papirio et Carvilio.*

Pestilentia.

Æsculapius Epidauro accersi jussus, quod tamen anno tantum insequenti effectum est.

Liv. X, § 47; Ovid. Metam. XV, v. 622, sqq.

488. *Fabio et Junio.*

Pestilentia ingens.

Cælestis ira denuntiata.

Augustinus de Civ. D. III, 17; Orosius, IV, 5.

505. *Ap. Claudio et Junio.*

. . . .

Ludi sæculares tertium celebrati?

Liv. epit. XLIX; Valer. Ant. apud Censorin. cap. 17.

513. *Manlio et Lutatio.*

Sterilitatis agrorum metus.

Floralia instituta.

Vell. I, § 14; Plin. H. nat. XVIII, § 69 (olim § 29), qui tamen annum Urbis indicat 516.

518. *Lentulo et Varo.*

. . . .

Ludi sæculares tertium facti?

Comment. XVvir. apud Censorin. cap. 17.

531. *Flaminio et Furio.*

Bellum a Gallis illatum.

Gallus et Galla, Græcus et Græca in foro Boario vivi defossi (sed confer infra ad ann. 538).

Plut. in Marcell. § 3, t. II, p. 404, ed. Reisk.; Oros. lib. IV, cap. 13; Zonar. lib. VIII, § 19.

536. *Scipione et Sempronio.*

Prodigia multa variaque.

Urbs lustrata; hostiæ majores diis cæsæ; donum Junoni Lanuvinæ missum, aliæque latinæ cærimoniæ.

Liv. XXI, § 62.

537. *Servilio et Flaminio.*

Prodigia varia.

Donum Jovi fulmen aureum; Junoni et Minervæ sacra facta; lectisternium; donum Feroniæ datum ex collata stipe.

Liv. XXII, § 1; Macrob. I, cap. 6.

Eodem anno.

Pugna ad Trasimenum.

Vota diis facta, Jovi, Junoni, Veneri Erycinæ, etc.; supplicatio et lectisternium; ver sacrum.

Liv. XXII, § 9, sq.; epit. Livii ad lib. XXII; Plut. in Fab. t. I, p. 680, ed. Reisk.

538. *Varrone et Æmilio.*

Lapidibus pluit; diversi generis prodigia.

. . . .

Liv. XXII, § 36.

Eodem anno.

Duæ vestales stupri compertæ.

Gallus et Galla, Græcus et Græca, in foro Boario vivi defossi.

Liv. XXII, § 57.

542. *Fulvio et Claudio.*

Carmen Marcii vatis minax et ambiguum.

Ludi Apollinares instituti.

Liv. XXV, § 12; Macrob. I, cap. 17.

547. *Claudio et Livio.*

Prodigia varia.

Pompa Junoni Reginæ facta.

Liv. XXVII, § 37.

549. *Scipione et Crasso.*

Crebrius de cælo lapidatum.

Mater Idæa Pessinunte advehi jussa.

Liv. XXIX, § 10, 11, 14; Ovid. Fast. IV, etc.

554. *Sulpicio et Aurelio.*

Prodigia varia; semimares nati.

Carmen per urbem cani jussum.

Liv. XXXI, § 12.

561. *Cornelio et Minucio.*

Terræ motus crebri.

Supplicatio per triduum.

Liv. XXXIV, § 55.

Eodem anno.

Aquæ ingentes; templa de cælo tacta; alia prodigia.

Novendiale sacrum; supplicatio; urbs lustrata.

Liv. XXXV, § 9.

563. *Glabrione et Nasica.*

Imbres lapidei; fulmina.

Jejunium in quintum quemque annum Cereri institutum; novendiale sacrum; supplicatio.

Liv. XXXVI, § 37.

564. *Scipione et Lælio.*

Templum Lucinæ de cælo tactum; prodigia.

Supplicatio; noctu a decemviris sacrificatum.

Liv. XXXVII, § 3. — An tum vetiti Romani Taurum montem transgredi? Liv. XXXVIII, § 45, 48.

566. *Livio et Valerio.*

Nox interdiu visa; imber lapideus.

Supplicatio in triduum; novendiale sacrum.

Liv. XXXVIII, § 36.

567. *Æmilio et Flaminio.*

Pestilentia.

Supplicatio per triduum.

Liv. XXXVIII, § 44.

571. *Labeone et Marcello.*

Sanguine pluit in area Vulcani.

Supplicatio.

Liv. XXXIX, § 46.

573. *Cethego et Bæbio.*

Prodigia; pestilentia maxima.

Supplicatio per totam Italiam.

Liv. XL, § 19.

574. *Postumio et Calpurnio.*

Pestilentia.

Supplicatio in biduum.

Liv. XL, § 37.

575. *Manlio et Fulvio.*

Procellæ et prodigia.

Sacrificia; supplicatio.

Liv. XL, § 45.

580. *Postumio et Mucio.*

Pestilentia maxima.

Supplicatio; votum in foro conceptum pro salute P. R.; simul supplicatum pro valetudine censoris oculis capti?

Liv. XLI, § 21; Fest. v. *Religionis*, ex intpp. restitutione. Confer nos infra, cap. 11.

581. *Postumio et Popilio.*

....

Supplicationes; feriæ; sacrificia.

Liv. XLII, § 2.

582. *Popilio et Ælio.*

Columna fulmine discussa.

Urbs lustrata; supplicatio; sacrificia.

Liv. XLII, § 20.

585. *Marcio et Servilio.*

Prodigia publica.

Supplicia; majoribus hostiis sacrificatum.

Liv. XLIII, § 13.

587. *Ælio et Junio.*

Prodigia varia.

Supplicatio; quinquaginta capris in foro sacrificatum.

Liv. XLV, § 16.

589. *Manlio et Octavio.*

Pestilentia famesque.

Sacrificia; populus operatus sedit.

Jul. Obs.

605. *Marcio et Manilio.*

Portenta quædam: pars mœnium fulmine dejecta.

Ludi sæculares quartum celebrati?

Livii epitom. XLIX; Valer. Ant. et Varr. apud Censorin. cap. 17; Zosim.

608. *Lentulo et Mummio.*

. . . .

Ludi sæculares quartum?

Secundum quosdam apud Censorin. cap. 17.

611. *Ap. Claudio et Cæcilio.*

Prodigia; clades a Salassis illata.

In libris Sibyllinis inventum, quoties bellum Gallis inferretur, sacrificari in eorum finibus oportere. E decemviris duo ad consulem Claudium missi in Gallias. An tunc Eporedia condita?

Jul. Obs.; Dio Cass. extr. Peiresc. 79. Confer et infra ad ann. 654.

612. *Cæcilio et Fabio.*

Fames et pestilentia.

Supplicatio.

Jul. Obs.

621. *Mucio et Calpurnio.*

Magnorum periculorum metus ex ostentis.

Jovi Ætnæo et antiquissimæ Cereri Ennensi sacrificatum.

Cic. in Verr. § 49; Diod. Sic. lib. XXXIV, fragm. p. 124, ed. Bip.

628. *Lepido et Oreste.*

. . . .

Ludi sæculares IV facti?

Comment. XVvir. apud Censorin. cap. 17.

629. *Plautio et Fulvio.*

Androgynus Romæ natus (an vere hoc anno?).

Sacra Cereri et Proserpinæ, aliisque diis, ritu græco.
Phleg. de Mirab. cap. 10.

636. *Catone et Marcio.*

Prodigia varia.
Sacrificatum.
Jul. Obs.

640. *Acilio et Catone.*

Tres vestales incesti compertæ.
Ædes Veneri Verticordiæ facta.
Val. Max. VIII, cap. 15; Ovid. Fast. IV, v. 157; Jul. Obs. aliique.

646. *Sulpitio et Hortensio.*

Avis incendiaria in Urbe visa.
Homo ab homine in latumiis adesus.
In insula Cimolia sacrificatum.
Jul. Obs.

652. *Mario IV et Lutatio.*

Lapidibus pluit.
Urbs lustrata; cinis hostiarum in mare dispersus.
Jul. Obs.

654. *Mario VI et Valerio.*

....
Eporediam colonia ducta.
Plin. H. nat. III, § 21 (olim § 17) : Vell. I, § 15. Confer et supra ad ann. 611.

671. *Scipione et Norbano.*

Incenso Capitolio, libri Sibyllini intercidunt.
Tac. Hist. III, § 72; Servius; Lactantius; alii.

673 vel 674. *Sylla dictatore.*

....
Herculi templum in Circo Flaminio dicari jussum.
Ovid. Fast. VI, v. 209, sqq.

678. *Octavio et Curione.*

Libri Sibyllini ex Erythris aliisque urbibus conquiruntur.
Tacit. loc. supra cit.; Dionys. Halic. IV, § 62; Varro et Fenestella apud Lactantium, Div. inst. I, cap. 6, et de Ira Dei, cap. 22.

691. *Tullio et Antonio.*

Prodigium publice factum.
Responsum, naturam populo Romano regem parturire. Eo tempore Lentulus Sibyllinis libris imperium sibi Corneliorum tertio portendi jactabat. Alii postea responsum istud ad Octavianum tunc nascentem adulatorie retulerunt.

Sueton. in Aug. § 94; Sall. in Catil. § 47; Cic. in Catil. III, § 4; Flor. IV, § 1; Quintil. V, § 10.

698. *Lentulo et Philippo.*

Statua Jovis in Albano monte fulmine icta.

Responsum, Ægyptium regem non esse cum copiis reducendum.

Dio Cass. XXXIX; Cic. pro Rabir. § 2, et epist. ad Lent. 1, 4, 7; App. de rebus Syr. § 51, et de Bell. civil. § 24.

705. *Marcello et Lentulo.*

Arbor sponte defossa.

Responsum internecionem magnam hominum fore.

Plin. H. nat. XVII, § 38 (olim § 25).

Eodem anno.

Multa tanquam Sibyllina carmina per urbem canebantur.

Dio Cass. XLI, § 14.

710. *Cæsare V et Antonio.*

. . . .

Parthum, nisi a rege, devinci non posse, tanquam e Sibyllinis libris, divulgatum.

Suet. in Cæsare, § 79; Plut. in Cæs., t. IV, p. 275; App. de Bell. civ. § 24; Dio Cass. XLIV, § 15.

716. *Claudio et Norbano.*

Prodigia; simulacrum Virtutis collapsum.

Simulacrum mari lustratum.

Dio Cass. XLVIII, § 43.

736. *Duobus Lentulis.*

Augustus libros Sibyllinos vetustate exolescentes a XVviris rursus describi jubet.

Dio Cass. LIV, § 17.

737. *Furnio et Silano.*

. . . .

Ludi sæculares, aditis prius Sibyllinis, quintum facti.

Dio Cass. LIV, § 18; Horat. carm. sæc.; Censorin. cap. 17; Zosim. II, § 4.

741. *Tiberio et Varo.*

. . . .

Vulgatos omnes oraculorum libros, ad se deferri jussos, supprimit Augustus, retentis solis Sibyllinis, quos tum in Apollinis Palatini templum transferendos curavit.

Suet. in Aug. § 31; Tacit. Annal. VI, § 12.

768 (post Chr. 15). *Druso et Norbano.*

Inundatio Tiberis amnis.

Tiberius libros Sibyllinos adiri vetat.

Tacit. Annal. I, § 76.

772 (19). *Silano et Norbano.*

Tres græci versus, tanquam Sibyllini, vulgo canebantur, exitium Romæ portendentes.

Tiberius conquisitos omnes hujusmodi libros inspici jubet, et plerosque supprimi, quosdam in probatorum numerum recipi.

Dio Cass. LVII, § 18.

785 (32). *Domitio et Vitellio.*

De novo libro Sibyllinis addendo in senatu actum, injussu Tiberii, qui epistola contradixit.

Tacit. Annal. VI, § 12.

794-807. *Claudio imperante.*

Mos durabat adhuc, vel a Claudio renovatus fuit, ut Lavinii crearetur *Pater patratus populi Laurentis*, fœderis ex libris Sibyllinis percutiendi cum P. R.

Inscript. apud Orell. 2276. Confer Liv. VIII, § 11, ubi tamen de Sibyllino jussu reticetur.

800 (47). *Claudio IV cos.*

....

Ludi sæculares sextum celebrati.

Sueton. in Claud. § 21; Tacit. Annal. XI, § 11; Plin. VII, § 48 et VIII, § 42; Censorin. cap. 17.

817 (64). *Basso et Crasso.*

Roma incensa.

Supplicatum Vulcano, Cereri et Proserpinæ; Junonis simulacrum mari lustratum.

Tacit. Annal. XV, § 44.

Eodem anno.

Versus græcus contumeliosus in Neronem, tanquam Sibyllinus, canebatur.

Dio Cass. LXII, § 18.

841 (88). *Domitiano XIV cos.*

....

Ludi sæculares septimum facti.

Sueton. in Domit. § 4; Tacit. Ann. XI, § 11; Censorin. cap. 17.

870 (117). *Nigro et Aproniano.*

Imperium Adriano Sibyllinis libris promissum fuisse nonnulli jactabant.

Spartian. in Adr. initio.

957 (204). *Cilone et Libone.*

. . . .

Ludi sæculares octavum facti, Septimio Severo imperante.

Spartian. in Severo; Herodian.; Zosim.

995 (242). *Attico et Prætextato.*

Terræ motus per multas civitates.

Libri aditi, sed incerto responso.

Jul. Capit. in Gord. jun.

1000 (247). *Philippo Augusto II cos.*

. . . .

Ludi sæculares nonum celebrati.

Aurel. Vict. in Philippo; Eutrop. IX, 3; Zosim.

1015 (262). *Gallieno Aug. et Faustino.*

Terræ motus.

Jovi Salutari sacrificatum.

Trebell. in Gallienis.

1023 (270). *Antiochiano et Orfito.*

Bellum a Gothis illatum.

Claudius e Sibyllino responso se devovet.

Aurel. Vict. cap. 34.

1024 (271). *Aureliano Aug. et Ceionio.*

Bellum a Marcomannis illatum.

Sacrificia in certis locis, quæ barbari transire non possent.

Vopisc. in Aurelian.

1030 (277). *Probo Aug. et Paulino.*

Probo imperium Sibyllinis libris fuisse promissum multi ferunt.

Vopisc. in Florian.

1065 (312). *Constantino II et Licinio.*

Constantinus castra ad urbem movet.

Sibyllini libri Romæ, Maxentii jussu, aditi.

Lact. de Mort. pers. § 44; Zosim. lib. II, § 4.

1116 (363). *Juliano Aug. et Sallustio.*

Terræ motus; bellum cum Parthis.

Vetitus imperator eo anno a limitibus suis discedere.

Amm. Marc. XXIII, initio.

Eodem anno.

Apollinis Palatini templo incenso, pæne perierant Sibyllina oracula, nisi subventum esset.

Amm. Marc. ibid.

1154 (401). *Vincentio et Fravitta* (?).

Ob Gothorum incursus in Italiam de Sibyllinorum librorum oraculis anxie satagit vulgus.

Claudian. de Bell. Get. v. 231, sq.

Inter 1157 *et* 1161 (404-408).

Sibyllini libri cremati Stilichonis jussu.

Rutil. Num. lib. I, v. 51, sqq.

CAP. XI. *De causis et conditionibus librorum adeundorum.*

Aggredimur nunc alteram Excursus nostri partem, in qua de usu librorum Sibyllinorum agemus. Et jam, quod erat præcipuum, scimus qua mente et quo consilio sacrati a Tarquinio Superbo, retenti a senatu Romano, non tam ut publicis malis divina remedia adhiberentur, quam ut illa spe ac fide delusa plebs in officio contineretur. Addendum nunc, etsi jam aliquid tale præmonueramus, illos adire ne XVviris quidem licuisse sine publico jussu, id est, sine senatus consulto, quod satis aperte docet Dionysius Halic. loc. sæpe cit. : Χρῶνται δ' αὐτοῖς ὅταν ἡ βουλὴ ψηφίσηται, prorsus quemadmodum ducta e libris responsa promulgari sine pari decreto non potuisse, εἰ μὴ ἡ βουλὴ ψηφίσαιτο, testabitur Dio Cassius infra citandus, cap. 14. Hoc est Varroni, de Re rust. lib. I, § 1, « publice ad Sibyllæ libros redire. » Hoc est Livio, *decerni*, id est, publice juberi, lib. XXII, § 9, loco plenius infra citando, ubi ait : « Quod non fere decernitur nisi, etc. » Sapienter id cautum, ne aut Sibyllinorum auctoritas nimio usu vilesceret, aut imperii arcano factiosi, tanquam partium instrumento, abuterentur. Atque ille mos adeo obtinuerat, quidquid ad Sibyllina pertineret, penes senatum esse, ut etiam sub Tiberio viderimus senatus consultum de novo libro recipiendo injussu principis esse factum. Quæ autem sub libera republica causa fuerat ut senatus id sibi juris vindicaret, eadem sub principibus fuit ut ad imperatoriam voluntatem idem jus transferretur. Inde Tiberii intercessio, de qua diximus, ibid. : ex qua deinde usu receptum videtur fuisse, ut nec senatus, nisi principis monitu, nec XVviri, nisi ex senatus consulto, quidquam de ea re licere sibi arbitrarentur. Ita principis potestas, senatus auctoritas, Sibyllinorum librorum religio manebat.

Nec vero senatus, nec postea princeps pro sua libidine, sed certis tantum de causis, libros adiri jubebat.

Causas recensuit Dionysius Halic. lib. IV, loco jam cit. his verbis : Χρῶνται δ' αὐτοῖς ὅταν ἡ βουλὴ ψηφίσηται, στάσεως καταλαβούσης τὴν πόλιν, ἢ δυστυχίας τινὸς μεγάλης συμπεσούσης κατὰ πόλεμον, ἢ τεράτων

τινῶν καὶ φαντασμάτων μεγάλων καὶ δυσευρέτων αὐτοῖς φανέντων, οἷα πολλὰ συνέβη, nempe quoties reipublicæ magna aliqua clades vel accidisset vel imminere videretur, sive ob commotam seditionem, στάσεως καταλαβούσης τὴν πόλιν, ut anno post Urb. cond. CCXCIII (confer supra, p. 165, sq.), sive ob acceptam bello cladem, aut graves hostium incursus, δυστυχίας τινὸς κατὰ πόλεμον, ut annis DXXXI, DXXXVII, DCXI, MXXIV, MLXV (confer annales supra exhibitos), sive ob aliqua prodigia, τεράτων φανέντων, ut sæpissime. Hanc enim frequentissimam et præcipuam fuisse causam, quum ex historia constat, tum etiam ex aperto Livii testimonio, lib. XXII, § 9 : « Quod, inquit, non fere « decernitur, nisi quum tetra prodigia nuntiata sunt. » Item Varro de Re rustica, loc. cit. : « Ad cujus libros tot annis post publice solemus « redire, quum desideramus quid faciendum sit nobis ex aliquo « portento. » Infinita prope hujusmodi prodigia quæ Sibyllinis remediis procurata sint, enumerat Cicero de Div. I, § 43. Sed alias causas ipse Livius, quasdam etiam a Dionysio prætermissas agnoscit, ut sæpe pestilentiam, annis CCCXVIII, CCCXXI, CCCLIII, CCCLV, etc. Adde penuriam annonæ aut sterilitatis metum, annis DXIII, DCXII, etc.; Vestalium stupra, annis DXXXVIII et DCXL; incendia, anno DCCCXVII; sed ea plerumque vel prodigiis conjuncta, vel in prodigium versa, ut de pestilentia loquitur ipse ad annum CDLXI : « Portentoque jam similis clades erat », et ad annum DXXXVIII, de Vestalibus incestis : « Hoc nefas quum inter tot, ut fit, clades in prodigium versum « esset. »

Prodigia autem non omnia Sibyllinis curabantur remediis, sed ea tantum quæ publice nuntiata essent, id est, ad Pontificem Maximum vel ad magistratus delata : unde toties apud Livium : « Lapidibus « pluisse nuntiatum est, » et lib. XXI, § 62 : « Multa nuntiata et « temere credita, » et lib. XXIV, § 10 : « Quæ quo magis credebant « religiosi viri, eo plura nuntiabantur. » Fatetur idem ac pæne queritur, lib. XLIII, § 13, suo tempore « nuntiari admodum nulla « prodigia in publicum : » quod supra diximus, magis tum a rebus divinis alienatos fuisse animos, sive quis malit, acutiores et suspicaciores.

Sed jam a summa antiquitate Pontificis Maximi munus erat, ab ipso Numa institutum, ut edoceret « quæ prodigia fulminibus aliove « quo visu missa susciperentur atque curarentur, » Liv. I, § 20. Itaque nuntiata prodigia ad quemcumque demum seu quocumque modo delata primum fuissent, Pontificis Maximi notioni subjici oportebat; is, consultis haud dubie Xviris seu XVviris, ex eorum sententia, seu quæ magis propria vox erat, suggestione, referebat ad magistratus quid

factu opus esse videretur; illi rursus ad Patres referebant, et utrum susciperentur, nec ne, senatus consultum fiebat. Suscipiebantur ea tantum quæ et cura viderentur esse digna, et publica essent, id est in publico nec peregrino loco facta, cujus rei testis est insignis Livius, XLIII, § 13 : « Duo, inquit, non suscepta prodigia sunt, alterum « quod in privato loco factum esset..., alterum quod in loco pere- « grino... Publicorum prodigiorum causa libri a decemviris adi- « ti, etc. » Publici qui haberentur loci, jurisconsulti docent ex Institut. lib. II, tit. 1, et Digest. I, tit. 7. Inde fit, ut etiam viæ publicæ de cælo tactæ nonnunquam mentio sit apud Livium, XXIV, § 10, et XXXV, § 9. Suscepta prodigia, prout animos hominum perculerant, utque idoneum senatui videbatur, nunc solito et ordinario more ex haruspicum responsis procurabantur, aut ex prioribus exemplis per solos pontifices; nunc extraordinariis videbantur indigere remediis, ideoque ad Sibyllina confugiebatur.

Omitti vero minime hic potest extraordinaria causa librorum adeundorum quam e mutilo Festi fragmento, v. *Religionis*, interpretes extuderunt, reparato sic et magna ex parte refìcto textu : « [A. Postu] « mius, Q. F[ulvius censores facti : postquam Fulvius duo filios] ami- « serat [in Illyrico militantes, et propter gravem mor]bum oculo[rum « censuram gerere non poterat, Postumius ut] libri Sibyl[lini adiren- « tur auctor fuit, atque ut pu]blice supp[licaretur pro valetudine « collegæ.] » Ita interpretes, et docte quidem ac speciose, licet admodum audacter, quum Festi reliquiæ sint hæ tantum : « ...mius QF... « amiserat... bum oculo...libri Sibyl...blice supp. » Nec tamen de universo sensu dubitari posse nobis videtur : tanta fuit Josephi Scaligeri et Fulvii Ursini solertia. Mireris tantum aditos libros ob hujusmodi causam fuisse, quantamcumque tibi fingas majestatis censoriæ religionem a Festo laudatam, unde in fine legendum potius suspiceris : «[Quum pro salute P. R.] libri Sibyl[lini aditi fuissent, auctor fuit ut « pu]blice sup[plicaretur etiam pro valetudine collegæ.] » Et illo quidem anno post U. C. DLXXX (Livio DLXXVIII), testis est ipse Livius, lib. XLI, § 21, ob urgentem pestilentiam aditis libris diei unius supplicationem factam fuisse. De censoris valetudine nihil ille : quare nihil tum derogatum putamus antiquo juri, neque aditos libros nisi publicam ob causam; sed supplicationibus adjectum duntaxat, Postumio rogante, collegæ nomen.

Idem juris, easdem librorum adeundorum causas conditionesque fuisse putamus in qualicumque librorum inspiciendorum occasione, sive aliqua belli clades evenisset, sive pestis, sive aliud genus mali; neque unquam sine Pontificis Maximi, eoque præeunte, Xvirum seu

XVvirum suggestione, in senatu relatum esse de eo negotio. Quod si principis voluntate id fiebat, at princeps, qui ipse summus pontifex esset, suo jure præiverat. Itaque in illa deliberatione quam sub Aureliano diximus esse factam, suadente ipso per epistolam ut libri adirentur, auctoritatem XVvirum primo videmus loco allegari : quanquam ibi fatemur aliquid legentibus officere, quod *pontifices* ii dicantur; sed id oratorie et honoris causa, recepto tum usu, uti jam monuimus supra, cap. 9. Ceterum, quo melius lectoribus innotescat totius deliberationis ordo, ipsa jam Vopisci verba proferemus ex Aureliani vita, p. 850, ed. 1661.

CAP. XII. *Deliberatio senatus de libris adeundis.*

« Libet ipsius senatus consulti formam exponere, quo libros in-« spici clarissimi ordinis jussit auctoritas. Die tertio Id. Jan. Fulvius « Sabinus prætor urbanus dixit : « Referimus ad vos, Patres Con-« scripti, Pontificum suggestionem et Aureliani principis literas, qui-« bus jubetur ut inspiciantur fatales libri, quibus spes belli termi-« nandi sacrato Deorum imperio continetur. Scitis enim ipsi, quoties-« cumque gravior aliquis exstitit motus, eos semper inspectos; neque « prius mala publica esse finita, quam ex iis sacrificiorum processit « auctoritas. » Tunc surrexit primæ sententiæ Ulpius Syllanus, atque « ita locutus est : « Sero nimis, P. C., de reipublicæ salute consulimus, « sero ad fatalia jussa respicimus, more languentium qui ad summos « medicos nisi in summa desperatione non mittunt, proinde quasi pe-« ritioribus viris major facienda sit cura, quum omnibus morbis oc-« curri sit melius. Meministis enim, P. C. me in hoc ordine sæpe « dixisse, jam tum quum primum nuntiatum est Marcomannos erupisse, « consulenda Sibyllæ decreta, utendum Apollinis beneficiis, inser-« viendum Deorum immortalium præceptis; recusasse vero quosdam, « et cum ingenti calumnia recusasse, quum adulando dicerent tantam « principis esse virtutem ut opus non sit Deos consuli, proinde quasi « et ipse vir magnus non Deos colat, non de Diis immortalibus spe-« ret. Quid plura? Audivimus literas, quibus rogavit opem Deorum, « qua nunquam cuiquam turpe est ut vel fortissimus adjuvetur. Agite « igitur, Pontifices, qua puri, qua mundi, qua sancti, qua vestitu « animisque sacris commodi; templum ascendite, subsellia laureata « constituite, velatis manibus libros evolvite, fata reipublicæ quæ « sunt æterna perquirite, patrimis matrimisque pueris carmen indi-

« cite : nos sumptum sacris, nos apparatum sacrificiis, nos agris am-« barvalia indicemus. » Post hæc interrogati plerique senatores sen-« tentias dixerunt, quas longum est innectere. Deinde aliis manus « porrigentibus, aliis pedibus in sententias euntibus, plerisque verbo « consentientibus, conditum est senatus consultum. Itum est deinde « ad templum, inspecti libri, etc. »

CAP. XIII. *De modo librorum adeundorum.*

Factum eo, quo diximus, modo senatus consultum per magistratus XVviris mandari oportuit, atque eos tum demum ad inspiciendos libros converti. Quod quo ritu et quibus cærimoniis fieret, ex allata supra oratione Ulpii Syllani colligere est, ac primum ex his verbis : « Agite igitur, Pontifices, qua puri, qua mundi, qua sancti, qua ve-« stitu animisque sacris commodi, templum ascendite, » quibus illa respondent paulo infra ab historico posita : « Itum est deinde ad tem-« plum. » Ergo solenni quadam pompa XVviri ad ædem Palatinam procedebant, cum magistro suo videlicet ac ministris, habitu omnes festivo seu, quod paulo insolentius ait Vopiscus, sacris commodo, id est, qui rem divinam deceret. Albam eam fuisse togam nihil dubitamus cum laurea corona, qualem in theatris gerere XVviros supra diximus ; fortasse cum occabo sive occavo, quod armillæ, juxta Hesychium, genus fuit quibusdam sacerdotiis proprium. Certe in inscriptione supra citata (Orell. 2263), rescripto XVvirorum conceditur Cumanis quibusdam Magnæ Matris sacerdotibus usus coronæ et occavi; et in alio elogio (Orell. 2322) laudatur Q. Sammius, Lugdunensis sacerdos, ab XVviris occabo et corona exornatus. Cortina in ea pompa proferri debuit, quod fuit collegii XVviralis insigne, teste Servio infra citando, cum delphini imagine ad Delphici oraculi memoriam : qua de re confer nos infra, pag. 220. Templum itaque ingressi sacerdotes, subselliis laureatis, id est, uti remur, laurea corona insignibus considunt, unde Ulpius in eadem oratione : » Subsellia laureata constituite. » Expromuntur coram his, seu potius effodiuntur, per ministrorum videlicet manus, foruli quibus libri continentur, atque in medium deferuntur. Tum magister XVvirum, vel qui pro magistro præsidet, libros ipsos vel librum, si unus fuit, ex arca depromptum attollunt, et quidem, ut ibidem admonemur, « velatis manibus, » quod, ut nunc apud nos, ita olim apud gentiles maximæ venerationis habitus fuit res sacras attrectantibus.

Evolvuntur deinde libri, fata populi Romani inquiruntur, ut idem Ulpius ait : sed hoc secretius et amotis testibus factum ; nec licet nobis profanis partem illam interiorem arcani ministerii subire, priusquam saltem omnia quæ palam agebantur, quæque ideo certis auctorum testimoniis cognosci possunt, exposuerimus.

CAP. XIV. *De promulgatione responsorum Sibyllinorum.*

Vopiscus, loc. cit., quum de adeundis libris prolixus fuisset, de aditis jam et ad effectum perducendis contra brevissimus est : « Itum « est ad templum, inspecti libri, proditi versus, lustrata urbs, cantata « carmina, amburbium celebratum, ambarvalia promissa, atque ita « solennitas quæ jubebatur expleta est. » Itaque de promulgatione responsi Sibyllini, hæc tantum : « Inspecti libri, proditi versus. » Sed necesse fuit, priusquam proderetur oraculum, deferri illud per magistrum collegii ad senatum seu potius ad magistratus qui de ea re ad senatum referrent. Nam quod in probandis oraculorum libris observari solitum docet Tiberii apud Tacitum epistola, Annal. VI, loc. cit., « ut lecto per magistros æstimatoque carmine, ex sententia « collegii, res ad frequentem senatum deferretur », id in proferendis quoque Sibyllinis responsis observatum fuisse, facile conjiceremus, nisi exstaret disertum in hanc rem testimonium Dionis Cassii, loco jam a nobis citato, lib. XXXIX, § 15, promulgari tale responsum non licere nisi ex senatusconsulto : Οὐ γὰρ ἐξῆν οὐδὲν τῶν Σιβυλλείων, εἰ μὴ ἡ βουλὴ ψηφίσαιτο, εἰς τὸ πλῆθος ἐξαγγέλλεσθαι. Itaque contra fas egisse æstimatus est, uti jam diximus, C. Cato, tribunus plebis, quod responsum quoddam Sibyllinum de Ægypti rege non reducendo, incertis plebis rumoribus præoccupatum, veritus ne in senatu quorumdam industria supprimeretur, XVviros in concionem protractos palam edicere coegit ante senatus sententiam. Cujus rei narrationem, quoniam mire ad nostram rem pertinet, totam hic juvat exponere. Verba sunt Dionis : Ἐπειδὴ γὰρ τάχιστα ὁ νοῦς τῶν ἐπῶν διεθρυλλήθη, ὥσπερ εἴωθε γίγνεσθαι, ἔδεισε μὴ συγκρυφθείη· καὶ ἔς τε τὸν ὅμιλον τοὺς ἱερέας ἐσήγαγε, κἀνταῦθα πρὶν ὁτιοῦν τὴν γερουσίαν ἐπ' αὐτοῖς χρηματίσαι, ἐξεβιάσατο σφᾶς ἐκλαλῆσαι τὸ λόγιον. Ὅσῳ γάρ τοι μᾶλλον οὐκ ἐδόκει σφίσιν ἐξεῖναι, τοῦτο τὸ πλῆθος ἔσχε (lege τοσούτῳ τὸ πλῆθος ἐνέσχε vel ἐνεῖχε). Καὶ ἐκεῖνο μὲν ἔσχεν οὕτως, καὶ ἐς τὴν τῶν Λατίνων γλῶσσαν γραφὲν ἀνεκηρύχθη. Vides reluctantes XVviros, et quod rogantur, licere sibi negantes. Vides instantem plebem eo acrius quo pertinacius ipsi re-

cusant. Vides victam populi voluntate religionem hominum timidorum; injussuque senatus promulgationem factam, quam ideo *nefariam* vocat Cicero ad Lentulum, epist. 5.

Verum hoc semel commissum fuerit ab homine « turbulento et audaci », ut vocat Fenestella apud Nonium, v. *Rumor,* vel ut Cicero ad Q. fratrem epist. 3, « adolescente nullius consilii, » certe factum hoc adversus usum et leges, reprobatumque hominum gravissimorum judicio. Rite igitur in senatu, et quidem frequente, nova consultatio instituenda fuit, utrum id quod tanquam Sibyllinis versibus jussum afferretur, e republica esset. Quod quidem omnino negat Freretus, *Mém. de l'Acad. des Inscr.*, t. XXIII, p. 195, putatque collegii responsum qualecumque, causa non cognita, receptum a senatu fuisse. Itane vero? Quorsum igitur relatio fiebat? Aut quid verebatur Cato tribunus ne responsum Sibyllinum judicio senatus supprimeretur? Meræ nugæ : altera tunc deliberatione opus fuit, cujus eumdem fuisse modum, quem supra, non est dubium. Fit iterum vel unanimi consensu vel ex discessione senatusconsultum, quo jubetur responsum prodi Sibyllinum; simul sacra fieri, cærimonias observari, templa voveri, festa institui, quæ ex libris jussa essent; XVviros iis procurandis operam dare; magistratus, quorum hoc munus sit, omnia ad rem divinam necessaria suppeditare.

Nam ad id quoque senatusconsulto opus fuit, ut ex ærario pecuniæ depromerentur, satis interdum grandes, ad impensas sacrorum vel votorum. Itaque Aurelianus in epistola ad senatum de consulendis libris hæc addebat : « Si quid est sumptuum, datis ad præfectum ærarii « literis decerni jussi; » et ipse non pecuniam modo, sed et ad ludos celebrandos, si opus esset, captivos et feras ultro præstabat : « Quemlibet sumptum, cujuslibet generis captivos, quælibet animalia regia « non abnuo, sed libens offero. » Tum in senatu Ulpius Syllanus ita perorabat : « Nos sumptum sacris, nos apparatum sacrificiis, nos « agris ambarvalia indicemus. »

Factum in hunc modum senatusconsultum, quoniam ad compescendos plebis animos præcipue fiebat, quam citissime promulgari oportuit, simulque responsum Sibyllinum, ne quis ignoraret aut dubitaret, prodi, id est, in publicum efferri. Illud porro quum græcum e græcis libris desumptum esset, latine versum fuisse antequam proderetur, non est dubium; quare ipse modo aiebat Dio Cassius : Ἐς τὴν τῶν Λατίνων γλῶσσαν γραφὲν ἀνεκηρύχθη. Imo latine verti debuerat antequam ad senatum de eo referretur; neque enim alia lingua potuit disceptandum patribus proponi. Falso autem omnino Fabricius, p. 250, ex his

Dionis verbis : Ἐπειδὴ γὰρ τάχιστα ὁ νοῦς τῶν ἐπῶν διεθρυλλήθη, colligere sibi visus est, non ipsa oraculi verba, sed sententiam solam, τὸν νοῦν, populo solitam esse denuntiari. Vult enim Dio aliquid de sententia oraculi in vulgus emanasse antequam promulgaretur. Et quid tum aliud Cato studebat, nisi ut oraculum, quale exiisset, publici juris fieret? Nec verisimile est latine tantum promulgatum fuisse; nisi enim ipsæ oraculi voces ac syllabæ proferrentur, multum de ejus auctoritate detrahebatur. Utraque igitur lingua relatum illud in senatu et ad plebem prolatum putamus; utraque etiam lingua literis publicis insertum; unde integra et græcis ipsis conscripta versibus ad nos pervenire potuerunt duo hujusmodi monumenta, unum certissimum, alterum dubium, ambo in hujus Excursus fine proditura.

CAP. XV. *Sibyllinis responsis quænam potissimum juberi solerent, obiterque de ludis Apollinaribus et Sæcularibus.*

Promulgato responso, et ut fit, multis hominum sermonibus agitato, conversi animi ad exsequenda jussa. Eam diximus propriam XVvirorum fuisse curam. Sed cujusmodi ea essent quæ ex libris juberi potissimum solerent, nunc est diligentius inquirendum.

Sibyllina jussa duplicis generis fuerunt, quorum altera ad rempublicam, altera ad rem divinam pertinebant. Rara omnino quæ ad rem tantum publicam, ut illud, anno post urbem conditam CCXCIII, « seditionibus abstinendum. » Nova tunc erat ea religio; necdum patres usu compererant, infringi librorum auctoritatem, si nimis aperte ad studia partium traherentur. Itaque postea similibus exemplis fere abstentum est, nisi quod, incertum quando, sed haud dubie post Galliam Cisalpinam armis subactam, Eporediam videmus Sibyllinis monitis ad Alpium radicem conditam, Plin. lib. III, § 21 (olim 17); item circa annum DLXIV vetitos invenimus Romanos « Taurum montem transgredi, » quæ si fraus fuit, bonorum certe civium et reipublicæ bene consulentium fuit. Sed post incensum Capitolium, librosque non sine magno publicæ fiduciæ detrimento restitutos, inclinata jam republica, imminuta præsertim erga deos pietate, videtur civilibus consiliis patuisse rursus Sibyllinæ religionis arcanum. Anno DCXCVIII, monitum, ut diximus, ne rex Ægypti cum copiis reduceretur. Anno DCCX, non posse Parthos nisi a rege devinci. Quæ duo præcepta nimis sane hominum ambitiosorum consilia et partium affectus produnt. De responsis multo serius, annis nempe post Christum natum 312 et 363, Maxentio et Juliano datis, vix

est loquendum. Non tam illa publicam senatus quam privatam sacerdotum prudentiam sapiunt.

Incertum quod ad responsorum genus pertineat, civile certe magis quam religiosum, illud, quod Xviri quotannis calendis Januarii, tanquam e Sibyllinis libris, edicebant, sanitatis causa et vitandæ podagræ, neminem mane consueto cibo uti, quin prius merum degustasset, Lyd. de Mens. lib. IV, p. 56, ed. Bonn. : Τῇ πρώτῃ τοίνυν, ὡς ἔφημεν, τῶν καλανδῶν ἐθέσπιζον οἱ ἱερεῖς κατὰ τοὺς Σιβυλλείους χρησμοὺς, ὑπὲρ ὑγιείας χρῆναι πάντας ἀπὸ πρωῒ πρὸ πάσης ἑτέρας τροφῆς ἀπογεύεσθαι ἀκράτου οἴνου εἰς ἀποτρόπαιον ποδαλγίας.

Anno ab U. c. DCXI, Ap. Claudio et Cæcilio consulibus, « decemviri « dum aliis ex causis libros Sibyllinos inspiciunt, invenisse dicuntur « non esse Aquam Marciam, sed Anienem... in Capitolium perducendum ». Id Frontinus de Aquæd. lib. I, sub initium. Quod vide, ne potius referendum sit ad Sibyllæ Tiburtinæ carmen cum Sibyllinis, ut diximus, asservatum : quippe quod in Aniene ipso, ut fama erat, olim repertum (confer Exc. I, cap. 10), latius paulo in Anienis laudes effusum fuisse, non sit fortasse mirum.

Verum iis exceptis, cetera omnia quæ ab origine reipublicæ usque ad finem imperii responsa invenimus, in sacrificiis ac cærimoniis deorum constiterunt, ita ut publica auctoritas, etiamsi iis oraculis ad publica consilia interdum usa fuerit, sæpius tamen ad compescendos vulgi superstitiosos timores aut erigendos in magnis calamitatibus populares animos quam ad factionum partes juvandas illud auxilium acciverit. Idque ita fieri oportuit, quoniam electi ex omnibus ordinibus decemviri seu postea XVviri, studiis quidem ac partibus diversissimi, plerique tamen genere, loco, fortunis commendabiles, facilius poterant ad bonum reipublicæ convenire quam ad malum.

Quod si naturam ipsam sacrorum, quæ ex libris fieri jubebantur, introspicias, variam illam nec sibi constantem reperies. Sacra imperabantur latinæ plerumque originis, supplicationes, lectisternia, ver sacrum, etc.; græca interdum, aut græco ritu celebranda, ut diserte Livius, ad annum DXL (qui ipsi est DXXXVIII), lib. XXV, § 12 : « Senatusconsultum factum est ut decemviri sacra græco ritu facerent; » nunc latinis tantum diis, ut Diti patri, Junoni Lanuvinæ, Floræ, etc. : nunc græcis aut mixtis, Cereri, Baccho, Proserpinæ, Apollini, Latonæ, etc. Templa non semel voveri jussa. Festa instituta, quæ vel quotannis, ut Apollinares ludi, vel certis intervallis, ut ludi Sæculares, redirent. Cærimoniæ interdum novæ et extraordinariæ præcipieban-

tur, ut quum Æsculapius Epidauro, Mater Idæa Pessinunte advecta est. Diræ aliquando superstitiones et e barbaricis religionibus petitæ, ut sacrificia humana, ad annos DXXXI et DXXXVIII (Livio DXXIX, DXXXVI), quod quidem semel a Plutarcho in vita Marcelli, et a Livio semel, lib. XXII, § 57, bis idem sub diversis annis narratum esse libenter crederemus, nisi Livius, commemorato posteriore sacro, statim adderet fuisse locum illum ubi Gallus et Galla, Græcus et Græca vivi defossi sunt « jam ante hostiis humanis imbutum. »

De humanis apud Romanos sacrificiis multa disserere nostri non est instituti. Testatur ipse Livius, loc. cit., abhorruisse publicos mores ab illo, sicut ipse ait, « minime Romano sacro ». Qui fit igitur ut bis aut etiam ter (nam tertium exemplum infra proferetur), Sibyllino, id est, Xvirali seu XVvirali responso jussum istud, a senatu probatum decretumque fuerit ?

Primum quidem anno DXXXI, tumultus Gallici tempore, cujusmodi nuntio maximos semper Romanis terrores incussos fuisse omnes sciunt. Emotas tunc maxime mentes ad id crudelitatis impulsas fuisse credimus non pavore tantum, sed etiam ac multo magis Gallorum ipsorum exemplo, qui semper talibus sacrificiis infames fuere. In illa tamen atrocis exempli imitatione, genus saltem necis elegerunt quod ab hominum visu maxime remotum esset, ad quod etiam Vestalium suppliciis occallucrant. Notandum etiam erroris suspectum esse Plutarchum illo anno Græcas victimas Gallicis addentem in eo sacro quod adversus Gallos tantum fiebat. Hoc ipse videlicet e posterioris facti memoria non satis caute huc invexit. Sed quod deinde idem adjicit, quotannis in illo loco, ubi tale nefas patratum fuisset, arcanos ritus, ἀποῤῥήτους καὶ ἀθεάτους ἱερουργίας, novembri mense celebrari solere, id de piaculis interpretandum, et exsequiis quibusdam annuis, quas emollita Romanorum religio ad placandos hostiarum manes sero videtur instituisse.

Secundum exemplum fuit anno DXXXVIII, haud minus emotis mentibus, post Cannensem nempe cladem, eoque facilius ad omnia remedia etiam absurda vel atrocia confugientibus. Et tum quatuor victimas, Gallum Gallamque, Græcum Græcamque, fuisse defossas (Liv. XXII, § 57), non est cur ambigatur. Quid igitur putemus nisi decemviros seu majorem eorum partem ad compescendos vulgi terrores sacrilegium illud, non sacrificium, excogitasse, priori recentique adhuc exemplo renovandum ? Magnamque tum incubuisse necessitatem sedandi quocumque modo vulgi, ideo credimus, quod id factum est ne exspectato quidem reditu Q. Fabii Pictoris, qui Delphos missus

fuerat ad consulendum de publicis malis oraculum, Liv. XXII, loc. cit. Quæ deinde Fabii relatio fuerit aut quod oraculi Delphici responsum, imperfecte docemur a Livio, lib. XXIII, § 11. Humana certe sacrificia nec jussit Pythia nec probavit; dixit quibus diis quoque modo supplicandum esset; nec dubie græcos deos et græca sacra, Apollinis præsertim, commendavit; forsan et mitia consilia sacris præceptis admiscuit; atque inde fortasse factum, ut postea per multos annos sacrificiis horrendis abstineretur : cujus rei, si ita factum est, ut remur, gratias humani generis causa habendas esse censemus leni Græcorum ingenio.

Tertium restat exemplum, et illud multo sane recentius, siquidem Plinius sua ætate factum docet, Hist. nat. XXVIII, § 3 (olim § 2) : « Boario vero in foro Græcum Græcamque defossos aut aliarum « gentium cum quibus tum res esset, etiam nostra ætas vidit. » Quod et Plutarchus, Quæst. Rom. 83, t. VII, p. 144, ed. Reisk., confirmare videtur his verbis : Οὐ πολλοῖς ἔτεσιν ἔμπροσθεν, paucis, inquit, ante annis. Quando igitur hoc? Sub Vespasiano fortasse, quoniam ante Plinium; et tum, nisi fallimur, quum in Gallia Civilis ac deinde Sabinus arma movissent, quod periculum vel arte principis vel decemvirorum aut senatus adulatione in modum Gallici tumultus exaggeratum fuisse credimus, similibusque remediis procuratum. Magna hoc quidem, licet tacita, sapientium animadversione, quæ apud Plinium et Plutarchum translucet. Quum præsertim, teste eodem Plutarcho, et fortasse circa illud ipsum tempus, Bletonesiis (ignota gens, sed fortasse Britannica) sacrificiis humanis interdictum Romano jussu fuerit : adeo jam tum animis insederat pia ista T. Livii indignatio adversus sacrum minime Romanum; ut mireris, contra publicos mores falsam priscæ religionis ostentationem sub Vespasiano, principe ceteroqui non inhumano, prævaluisse. Sed tum similitudo aliqua prodigiorum similiaque Vestalium probra vulgo pro monstris habita, alicui superstitioso in mentem forsan induxerint veteris jamque obliterati exempli fœdam imitationem, qua, licet insana et impia, utiliter tamen vulgi animos percelli posse, principi de Gallicis rebus sollicito persuasum ab aulicis improbissimis fuerit.

Quod si tum mitigatis moribus tantum suberat priscæ asperitatis, quid quum agrestis Latii feritatem nondum exuerant? Ad illos vero temperandos et leniendos multum profuisse constat initam cum græcis moribus et legibus consuetudinem; nec minimum juvere græcæ religiones sensim in latinarum commercium admissæ. Cujus rei decemviris nimias grates agi nolimus, quos vidimus bis aut ter sacra

tam horrenda jussisse, iisque exsequendis quæ jusserant, pro munere suo præfuisse. Illi tamen, volentes necne, seu quia græcorum oraculorum sequestres erant, seu quod ministris et interpretibus plerisque Græcis utebantur, invehendis in Latium græcis religionibus multum opis attulerunt. Ipsi enim, Delphici oraculi æmulatione, Apollinis cultum, antea receptum magis quam vulgatum, haud dubie propagaverunt; ipsi novos e Græcia vel Asia deos Æsculapium et Cybelen accersiverunt.

Voluit imo Klausenius, opere suo sæpe nobis laudato, *Æneas und die Penaten*, p. 250, sqq., Sibyllinis responsis nunquam alia sacra jussa esse quam græca. Diserte quippe apud Varronem legi monet, de ling. lat. lib. VII, § 88 : « XII viros [lege XVviros] græco ritu sacra, non « romano facere. » Arctam inde putat connexionem et quasi cognationem fuisse inter Delphicum Apollinis et XVvirale sacerdotium. Itaque cortinam Sibyllæ, ut Pythiæ, tribui (confer Propert. lib. IV, eleg. I, v. 49), eamque cum delphini imagine (id quoque ob Delphorum memoriam), in pompis XVviralibus circumferri solitam, tradente Servio ad Æn. III, v. 332, his verbis : « Hodieque XVvirorum cortinis del« phinus in summo honore ponitur, et pridie quam sacrificium fa« ciant, velut symbolum, delphinus circumfertur, ob hoc scilicet quia « XVviri librorum Sibyllinorum sint antistites; Sibylla autem Apollinis « vates, et delphinus Apollini sacer est. » Quæ ut speciosa sint et quadam ex parte vera, nobis tamen minime persuadent Sibyllinas omnes religiones necessario græcas fuisse, præsertim ante bella Punica, quum Græciæ mores nondum in Latium penetraverant, et Romanorum procerum liberi ad publica sacerdotia etruscis (confer supra, pag. 168), non græcis disciplinis informari solebant.

Tripus certe, quæ latine cortina hic dicitur, in numis quindecimviratus symbolum est, et quidem sæpe cum delphini imagine supra tripodem efficta, sicut in Vitellii numis apud Oisel. Thes. numism. tab. CX. Id Klausenius observare, simulque potuisset addere laureas XVvirum et laureata subsellia, de quibus supra, pag. 213.

Sane jam ab antiquissimis temporibus mixtam fuisse Romanorum religionem latinis græcisque elementis, nemini est dubium. Nec adversabimur si quis contendat reliquias eas fuisse græcarum coloniarum, quæ olim adverso Tiberi in Latium invectæ in iis locis consederant ubi postea Roma fuit. Inde græcorum deorum nomina quædam latinis permixta vel cum iis confusa, ut difficile sit interdum utriusque originis discrimen. Sed si quis putat græcum quemlibet apud Romanos deum, id est, origine vel nomine græcum, græco etiam ritu cultum

fuisse, is nobis, nisi de Hercule vel Apolline aliisve serius invectis agatur, videtur magno in errore versari. Nam vero propius est, græcos in Latio deos antiquitus adoptatos ita fuisse ut vel cum priscis latinis diis iidem haberentur, vel in ipsorum recepti numerum iisdem honoribus colerentur. Fuere enim diu Romani suorum morum tenacissimi, et a græcis præsertim moribus alieni atque abhorrentes. Ipsa eorum religio aspera, austera, barbariem redolens, plurimum a græcis religionibus differebat, cærimonias partim ex antiquo latino ritu, partim ex etrusca disciplina retinens, quæ vel ipsis nominibus origines suas prodebant, supplicationes, ambarvalia, lectisternia, ver sacrum. Porro eas ipsas cærimonias librorum Sibyllinorum responsis sæpe jussas esse diximus. Exemplo sint quæ apud Livium memorata crebro reperimus, sed vel illud unum lib. XXI, § 62 : « Jam primum « omnium urbs lustrata est, hostiæque majores, quibus indictum est, « diis cæsæ; et donum ex auri pondo quinquaginta Lanuvium ad Ju-« nonis portatum est ; et signum æneum matronæ Junoni in Aventino « dedicaverunt; et lectisternium Cære imperatum, et supplicatio For-« tunæ in Algido; Romæ quoque et lectisternium Juventati, et sup-« plicatio ad ædem Herculis nominatim, deinde universo populo circa « omnia pulvinaria, indicta; et Genio majores hostiæ cæsæ quinque; « et C. Atilius Serranus prætor vota suscipere jussus, si in decem an-« nos respublica eodem stetisset statu. Hæc procurata votaque ex libris « Sibyllinis. » Hæc qui legit, ad annum Urbis DXXXVI (qui Livio est DXXXIV) pertinentia, non sane se in Græcia, sed in rudi et agresti Latio versari sentit.

Jam tamen, quum hæc agebantur, molliri cœperat antiqua morum durities, spirante jam in ipso Latio halitu quodam et quasi aura Græciæ. Quippe subacta magna Græcia plurimaque Siciliæ parte, propter frequentius cum iis populis commercium, sensim ad novam vitæ disciplinam inclinabantur animi : et jam viginti ante annis Livius Andronicus fabulas græcas in Romanum sermonem primus transtulerat; jam Nævius epos scribebat, sermone quidem inculto, sed doctrina non mediocri, e libris præsertim græcis petita. At senatus patriarum religionum tenax, quod Romæ plusquam in alia civitate publica res cum sacra contineretur, anno etiam post urbem conditam DXLI (Livio DXXXIX), ante Christum natum 213, gravissimo edicto vetabat, Liv. XXV, § 1 : « Ne quis in publico sacrove loco, novo aut « extremo ritu sacrificaret, » oblitus videlicet Fabii Pictoris legationis, responsique Delphis reportati. Quum igitur anno insequente senatusconsultum factum videmus, ibid. § 12, « ut decemviri sacra

« græco ritu facerent, » minime fieri potest, quin nobis in mentem veniat, gravissimam consultationem interim in senatu fuisse factam de publicis religionibus, atque ex ea emicuisse, quod verissimum erat, externas quidem qualescumque religiones suspectas et periculosas merito videri; non posse tamen Romæ aditum intercludi iis sacris iisve numinibus quæ per orbis terrarum maximam partem atque in Italiæ ipsius inferiore tractu et in ceteris regionibus Romano imperio vel jam adjunctis vel postea, si per fortunam liceret, accessuris, sine controversia dominarentur : bene consultum iri reipublicæ si inter victores victosque paries ille concideret, quodque jamdudum fieri cœperat, ut duæ religiones in unam coalescerent, id tandem publice sanciretur. Nec dubium huic sententiæ favisse inprimis politissimum quemque senatorum, id est, patricios majorum gentium, quicunque græcis moribus atque literis, maxime Scipionum exemplo, intingi cœperant. Fuit ergo, nisi multum fallimur, annus ille in Romanarum vicinarumque religionum certamine decretorius; atque ab eo tempore græca sacra, quæ antea publice fieri non solebant nisi extraordinariis de causis et peculiari senatus jussu ex Sibyllinis responsis, æquatum jus cum latinis sacris habuerunt, ita tamen ut latina a ceteris sacerdotum collegiis procurarentur, græca vero a decemviris tantum, quod fieri necesse omnino fuit, quoniam ex oraculis Sibyllinis in publicam religionem admissa erant. Id Varro significasse nobis videtur.

Viam porro huic senatusconsulto præstraverat carmen Marcii vatis, sacra cum ludis Apollini institui eaque græco ritu fieri jubens. Quo de oraculo diximus supra, cap. 5 : addendum vero ex Livio, loc. cit., prius consultum fuisse in senatu, cautumque antequam aliquid statueretur, « ut decemviri libros [Sibyllinos nempe] de ludis Apolli- « nis reque divina faciunda inspicerent, » quod et a Macrobio, loc. cit. diligenter annotatum est, nec semel tantum, sed bis ac ter : dixerat enim celebrari ludos illos « ex vaticinio Marcii vatis carmineque Sibyl- « lino; » mox addit : « Bello enim Punico hi ludi ex libris Sibyllinis « primum sunt instituti; » deinde rem eam narrat iisdem pæne, quibus Livius, verbis. Nec aliter Verrius Flaccus ex Sinnii Capitonis fide apud Festum, v. *Salva res.* Ergo decemvirorum interfuit in ea re sententia, iique græcis religionibus importandis faverunt; neque id mirum, propter causas supra allatas. Miraremur magis senatus inconstantiam, nisi suspicaremur molitionem aliquam in collegio primum, deinde in senatu factam, ut sic antiquis moribus derogaretur. Atque, ut totum dicamus quod sentimus, suppositos ipsos Marcii libros putamus vel iis inserta duo illa responsa ab eadem factione quæ græcanicos mores propagare omni ope studebat. Oportebat enim ut consilio adversus

latinas religiones inito latini etiam vatis nomen adderetur, quo fraus melius occuleretur, fucusque facilius fieret, quum in senatu, tum in plebe, indoctis et ineptis, quæ ubique multo major hominum pars est. Decemviri vero, si qui adhuc repugnabant, in novas partes eo facilius pertracti sunt, quod illa novitate plus multo dignitatis et auctoritatis collegio suo addi viderent. Ita enim duo beneficia consequebantur, unum, quod ordinarium jam sacerdotium penes se retinebant, fiebantque in singulos annos certis diebus necessarii, qui antea, nisi calamitates aut prodigia exstitissent, ad nullam fere rem utiles erant; alterum quod deinceps proprios suos ritus et cærimonias habebant, quibus a ceteris sacerdotiis omnino secernerentur, unde ipsi Pontifici Maximo minus subditi magisque sui juris essent. Favet præsertim conjecturæ nostræ id quod, a Livio omissum, a Macrobio additur, loc. cit., institutos fuisse tum primum illos ludos « suadente « Cornelio Rufo decemviro, qui propterea Sibylla cognominatus est, « et postea corrupto nomine primus Sylla cœpit vocitari. » Vides igitur a decemviro et patricio et Cornelio promotum esse illud negotium : idque quosdam e plebe subodoratos esse credimus, atque inde per ironiam primum inditum huic Syllæ cognomen, quod ejus deinceps posteri honoris causa retinuerunt.

Quæ si recte conjecimus, sequitur ante Punicum bellum secundum decemviros latino ritu, sicut ceteros sacerdotes, usos esse, nisi forte extraordinariis de causis, ita volente Sibyllino responso ac senatu ita decernente. Postquam autem ludi Apollinares annui instituti sunt, illudque sacrum ordinarium factum est, in quo præcipuas partes agere necesse erat Xvirale collegium, paulatim evenit ut pro latino græcum illud sacerdotium fieret, quod Varro, loc. cit., aperte docet, quodque Klausenius in majus auxit, taxandus eatenus erroris, quatenus hunc morem nimis ab alto, nempe ab ipsa collegii origine atque ab initiis pæne civitatis Romanæ, repetivit.

Non addidimus, nec satis scimus Klausenio magis an nobis faveat, quod multo etiam post illos ludos institutos, anno post Urb. cond. DCXXIX (Livio DCXXVII), M. Plautio Hypsæo, M. Fulvio Flacco coss., si Phlegonti fides eos magistratus tradenti, de Mirab. cap. 10, jussi sunt decemviri græco ritu sacra facere,

Ἀχαϊστὶ τάδ' ἔρδειν.

Nam præterquam posset hoc, supervacue additum, abundare, ut jurisconsulti aiunt, non sensum vitiare, etiam infra suo loco demonstrabitur antiquius multo fuisse hoc oraculum quam suis consulibus indicatur, nempe uno fere sæculo Punicis bellis anterius : quare singulari, non supervacanea formula adjunctam esse hanc legem,

Ἀχαϊστὶ τάδ' ἔρδειν, sicut interdum extraordinarie factum non negavimus ex oraculis Sibyllinis, antequam communis juris id fieret. Sed nunc abstinendum ab ea controversia quæ melius in proximum caput reservabitur : prius enim exsequi præstat quod ex hujus capitis instituto nobis superest dicendum.

Ceterum de ludis Apollinaribus, quorum nunc mentio sponte se obtulit, fatemur nihil fere dici posse quod non præoccupatum a doctioribus fuerit, maxime vero Livii interpretibus ad h. l.; item Dodwello de Cyclis, dissert. IV; Norisio ad Cenot. Pis. p. 137, sq., aliisque, sæpe tamen, ut in re difficili, minime inter se constantibus; quos aliquando conciliare, taciti licet, conabimur. Fiebant ii ludi religionis causa quotannis, postquam, ut diximus, e carmine Marcii vatis atque e Sibyllinis responsis instituta sunt Apollini publica sacra, Liv. XXV, § 12, extraordinaria primum, et quotannis senatus consulto decernenda, quæ deinde lata lege in perpetuum vota sunt, Liv. XXVII, § 23, et quidem ut in statam diem celebrarentur (sic enim lex ferebat); sed ipsum tempus, lege reticente, prætoris edicto definiendum fuit, Liv. ibid., nempe « ante diem tertium nonas quintiles « (quem nos quintum julii mensis vocamus) : is dies deinde solemnis « servatus, » ait Livius, ibid., unde patet nihil ad Augusti tempora de ea re mutatum. Fiebat ergo quotannis illo die, ex antiquo voto « Apol-« lini bove aurato et capris duabus albis auratis, Latonæ bove femina « aurata ». Quod sacrum quum primum unius diei fuisset, postea novendiale factum videtur, quoniam apud Ciceronem, ad Att. XVI, epist. 4, dies ab eo nonus, ante diem III idus quintiles, qui nobis est julii 13, sic nuncupatur « postridie ludos Apollinares. » Is vero nonus dies ad primi instar sacer omnino fuit; nam quum in eum caderent J. Cæsaris natales, pridie celebrari jussi sunt, id est, IV Id., ne sacris Apollinaribus officerent, Dion. XLVII, § 18, extr. Itaque in veteri Kalendario Lambecii apud Norisium citato, ludi Apollinares bis memorantur, nempe primus eorum et ultimus dies III non. et III id. quintiles. Totum illud novendiale spatium sacris et ludis, sed præcipue ludis, consumebatur, præsidente Urbis prætore, qui et impensarum maximam partem sustinebat; imo, quo gratius plebi faceret, interdum illos usque ad ipsas idus aut etiam ultra producebat, annotante atque exemplis firmante Norisio. Erant autem diversissimi generis ad arbitrium prætoris, pro ipsius scilicet opibus aut munificentia. Fabulæ in iis non latinæ tantum, sed etiam græcæ dabantur : de græcis quidem a Bruto prætore datis, disertissimum est Ciceronis testimonium ad Att. XVI, epist. 1, sed ita ut fateatur alienos fuisse ab hujusmodi deliciis vulgi animos. Magis placuisse crediderimus ve-

nationem quæ ultimo die, III Id. quintil., ab eodem prætore data est, Cic. ibid. Quod magis ad institutum nostrum pertinet, notandum in sacris seu ludis Apollinaribus duorum tantummodo deorum mentionem fieri, Apollinis et Latonæ, vel trium si, quod quidam e conjectura voluerunt, legendum est apud Liv. loc. cit. : « Apollini bove aurato, « [Dianæ] capris duabus albis auratis, Latonæ bove aurata femina »; non, ut in ludis Sæcularibus de quibus jam agetur, aliorum quoque deorum superorum inferorùmque.

Non confundenda est cum annuis istis Apollinaribus sacris Sæcularium ludorum extraordinaria festivitas, quæ pariter e Sibyllinis responsis instituta traditur, sed id verene an falso, difficile est in magna auctorum discordia statuere. Quod si antiquissima traditio repetatur, qualis exponitur a Valerio Maximo, lib. II, cap. 4, et Zosimo, libri II initio, videtur illa, quoniam anterior multo Tarquiniorum temporibus, non posse ad Sibyllinam originem reduci.

Fertur Valesius seu Valerius quidam nomine, natione Sabinus, pro salute ægrotantium liberum, divino quodam monitu jussus esse ad Tarentum (sic enim numini placuerat) Diti ac Proserpinæ sacrificare. Qui quum eo navigaturus lintre devectus esset secundum Tiberim amnem ad campum usque Martium, quæ planities tunc erat silvestris et inculta, dum ibi pernoctare meditatur, a pastore quodam, sive, ut alii volunt, a nauta didicisse, locum in eo campo esse juxta fluvii ripam qui Tarentum seu Terentum ab incolis vocaretur : tum illum, nominis augurio lætum, ibi sacrificasse : quo facto, restituta liberis valetudine, in patriam rediisse, relicta post se in iis locis miraculi memoria. Sic auctores citati : nihil vero hactenus ad Sibyllinos libros.

Aiunt præterea Valerium Publicolam, qui ab illo genus duceret, altero anno post exactos reges, urgente tum gravi pestilentia, necdum secura a tyrannis republica, ad oram Tarentinam sacrificasse pro populi salute simul et libertate. Sed an hoc Sibyllino jussu factum, non addunt.

Elapso deinde plusquam sæculari intervallo, post Urbem conditam anno CCCLII (ita Zosimus, sed is annus nobis est CCCLIII), L. Valerio Potito IV consule seu potius tribuno militari, ferunt ex Sibyllinis libris instauratum esse id sacrum, atque in singula sæcula fieri jussum. Tum demum in hac re Sibyllinorum mentionem factam reperias.

Reliquis liberæ reipublicæ temporibus quoties aut quando celebratum sit hoc sacrum, inter auctores non convenit. Zosimus post institutionem primam diu intermissum ait. Livius in epitom. lib. XLIX, duos annos sæculares commemorat, nempe primo Punico bello, ab

Urbe condita DV, alterum anno DCV, qui tertii belli Punici primus fuit : sed nullos antea definierat, ac neque anno DCCV, ullos ejusmodi factos a quoquam auctore didicimus. Ad tantas igitur explendas temporum lacunas, alii alios statuerunt annos, magis, ut videtur, præposteris inducti rationibus quam historiæ monumentis freti, et Censorinus, qui de ea controversia multus est, de Die natali, cap. 17, incerta omnia esse fatetur, diversissimas tradens antiquiorum sententias.

Illud certum est ab Augusto Cæsare, magno apparatu, majore fama, renovatos esse illos ludos anno post Urbem conditam DCCXXXVII, Furnio et Silano coss.; repetitique postea sunt ab ejus successoribus Claudio, Domitiano, Severo, Philippo, inæqualibus tamen intervallis, nec legitimo, sed sæpius antecepto tempore, magis oblectandi populi quam religionis exsolvendæ causa. De his, manente monumentorum fide, nullus fere controversiæ locus : sed ante Augustum omnia incerta et conjecturis vaga.

Quod si nostras quoque conjecturas huc afferre licet, notabimus primos qui horum ludorum mentionem fecisse videntur, eosdem esse qui Romanam historiam condiderunt, suppares fere tertio bello scriptores, apud Censorinum laudatos, Pisonem nempe Calpurnium, Cassium Heminam, Cn.Gellium, qui omnes interesse potuerunt ludis anno DCV fieri jussis; post illos autem Valerium Antiatem, qui dimidio fere sæculo junior fuit : ceterum tribus tantum annis differre illos inter se, et fieri potuisse triennii moram inter senatusconsultum et ludos ipsos. Incertum an ad illud tempus pertineat Varronis locus a Censorino laudatus : « Quum multa portenta fierent et murus ac turris quæ sunt intra portam Collinam et Esquilinam de cælo essent « tacta, et ideo libros Sibyllinos Xviri adiissent, renuntiarunt uti « Diti patri et Proserpinæ ludi Terentini in campo Martio fierent, et « hostiæ furvæ immolarentur; utique ludi centesimo quoque anno « fierent. » Quod si anno DCV ii ludi, muri dejecti causa, indicti sunt, fortasse non prius celebrati fuerint quam murus ipse reparatus : inde, qui modo triennio differebant auctores, facile conciliari possunt. Utique quum Varro ludos tum fuisse institutos, aut certe senatus decreto sæculares tunc esse factos, aperte profiteatur, si hoc ad annum DCV vel DCVIII pertinet, patet ante illud tempus celebratorum memoriam nullam satis definitam superfuisse, ita ut de ludis prioribus, in tanta auctorum discordia facile credamus, quod Zosimus innuit, nunquam ante illud tempus celebratos fuisse : sed Valerium Antiatem et recentiores ex ingenio aut præposteris rationibus supputationem refecisse ludorum qui nulli antea fuissent. Id vero maximas turbas movit,

auctorumque supputationes in diversum maxime traxit, quod Valerius eoque duce Varro centesimo quoque anno celebratos voluerint; consulti vero ab Augusto XVviri, decimo post centesimum, nimirum ut principi gratum facerent diu intermissos renovanti. Itaque sub Augusto demum ab ejus adulatoribus confictum putamus falsum illud Sibyllinum responsum quod legitur apud Phlegontem, de Longævis cap. 4, intervallum statuens annnorum centum et decem (insistit huic numero Horatius, Carm. Sæc. v. 21; respexit quoque Servius ad Eclog. IV, v. 5) : atque eodem tempore retractum ad ludos Sæculares responsum alterum, multo, ut nobis videtur, antiquius, quod de androgyno datum fertur, servatum pariter a Phlegonte, de Mirabil. cap. 10. Quæ omnia magis, uti speramus, liquebunt, quum ad istorum carminum interpretationem modo deventum erit.

Plura de iis ludis qui voluerit, adeat, præter Valerium Maximum, Zosimumque et Censorinum jam laudatos, etiam Horatium, Carm. Sæc. et quæ ibi interpretes; Phlegontem de Longævis, cap. 4; Dionem Cassium, lib. LIV, § 18; Festum Pompeium, v. *Sæculares;* Aurelium Victorem, de Cæs. cap. 28: inter recentiores, Ang. Politianum, Miscell. fol. XXIII, sqq.; Panvinium de ludis Sæcularibus; Scaligerum de emend. temp. lib. II; Vossium de Sibyllinis oraculis; Taffinum de anno Sæculari; Mitscherlichium ad Horatii Carm. Sæc., etc. Præsertim vero id observari velimus quod ad nostrum institutum maxime pertinet, quanta pars in iis ludis tributa sit, propter Sibyllinæ originis memoriam veram falsamve, XVvirum honori et dignitati. Atque id patet vel uno Zosimi testimonio, loc. cit., totum sacrorum et ludorum ordinem accurate tradentis. Paucis enim diebus antequam ludi celebrarentur, in Capitolio temploque Palatino XVviri sedentes in suggestu lustralia populo distribuebant. Ubi ludorum tempus appetebat, quos tribus diebus totidemque noctibus in Campo Martio fieri mos erat, prima nocte, imperator cum XVviris in ripa fluminis (ad Tarentum nempe) tribus aris victimas cædebat. Postridie, conscenso Capitolio, idem cum iisdem rem divinam operabatur; immolatisque consuetis hostiis, degressi inde, ludos Apollini et Dianæ faciebant. Die tertio, in Apollinis æde Palatina, etc. Hæc omnia per XVviros, præsidente ipso imperatore. Unde et in Horatii Carmine Sæculari non Sibyllinorum modo versuum, sed etiam XVvirum præclaram videmus fieri mentionem :

Phœbe silvarumque potens Diana,
Lucidum cœli decus, o colendi
Semper et culti, date quæ precamur
Tempore sacro,

Quo Sibyllini monuere versus.....
Quæque Aventinum tenet Algidumque,
Quindecim Diana preces virorum
Curet.....

CAP. XVI. *De Sibyllino arcano.*

Hactenus aperta tantum et facile vel profanis adeunda perlustravimus; sed restant abstrusa quædam et abscondita, solis initiatis pervia, in quæ conjectura tantum penetrari potest.

Nempe qualis foret extrinsecus librorum conditio quum ante, tum post incendium Capitolium, supra exposuimus, cap. 3 et 6. Quando, et a quibus et quomodo fas esset illos adiri, fuse disseruimus, cap. 11, sqq. Responsa denique qualia ex iis afferri solerent, seu quæ potissimum essent Sibyllina jussa, modo diximus, cap. 15. Sed vel eo difficilius est a cognitis ad ignota transire. Nam in græcis carminibus, quæ sub nomine Sibyllæ asservabantur, sive olim a Tarquinio sacratis, sive postea senatus jussu per Græciæ et Asiæ oras conquisitis, nihil facile contineri potuit quod vel ad præsentia Romanorum negotia, vel ad recentium calamitatum remedia, vel ad sacra latinis magis quam græcis moribus accommodata pertineret.

Et quoties quidem commune aliquod mali genus invasisset, cujus remedia ex libris quærerentur, poterat tale quiddam fatidicis versibus prævisum atque prædictum inveniri, ut videlicet bellum, fames, pestis, terræ motus, aliave similia. Quis autem, seu poeta, seu vates, Tarquinii tempore vel ante illud tempus Sibyllinos condens libros, fortuito aliquando futura, insolita pleraque ac prodigiosa, prævidisset, qualia vulgo aditum ad libros aperiebant, ut, verbi causa, anno post Urbem conditam CCL, mulieres complures simul abortum passuras; anno CCXCIII, cælum arsurum, bovem locuturam, carnis imbrem de cælo casurum; anno CCCX, partem mœnium igne dejectum iri; anno CCCXCII, terram in foro derepente hiaturam; vel tot simul prodigia nuntiatum iri quot ad annum DXXXV diligenter a Livio relata sunt: « Ingenuum infantem semestrem in foro olitorio Triumphum « clamasse; et foro boario bovem in tertiam contignationem sua « sponte ascendisse, atque inde tumultu habitatorum territum sese « dejecisse; et navium speciem de cælo affulsisse; et ædem Spei, quæ « est in foro olitorio, fulmine ictam; et Lanuvii hastam se commo- « visse; et corvum in ædem Junonis devolasse atque in ipso pulvi- « nari consedisse; et in agro Amiternino multis locis hominum specie « procul candida veste visos nec cum ullo congressos; et in Piceno

« lapidibus pluisse; et Cære sortes extenuatas; et in Gallia lupum vi-
« gili gladium e vagina raptum abstulisse. »

Responsa igitur quærenda erant ad ea signa quæ profecto Sibyllinorum conditor, quisquis fuit, excogitare nullo modo potuerat. Age nunc, ex iis responsis quæ omnimoda apud historicos ac præsertim apud T. Livium congesta sunt, nonne multa sunt quæ Tarquinio regnante, nemini in mentem venire potuerunt? ut anno CDLXII Æsculapium Epidauro arcessi; anno DXLIX, matrem Idæam Pessinunte advehi; anno DLXXIII, supplicationem fieri per totam Italiam; anno DCXI, si bellum a Gallis inferretur, sacrificium in eorum fieri finibus; anno DCXXI, Jovi Ætnæo et antiquissimæ Cereri in Sicilia sacrificari; anno DCXLVI, in insula Cimolia, etc. Quæ omnia absurde sane et ridicule Romanis imperata essent adhuc in angulo Latii delitescentibus. Insuper capite priore multas enumeravimus latinas cærimonias, quæ nec a græco poeta excogitari, et vix græcis versibus exprimi, nisi multis verborum ambagibus, possent.

Quid illa civilia monita, ut quum anno CCXCIII responsum est pericula a conventu alienigenarum fore, seditionibus abstinendum; et quæ post incendium Capitolinum in recentioribus libris inventa ideoque magis suspecta referuntur (supra, cap. 7), Taurum montem non transgrediendum, Ægyptium regem cum copiis non reducendum, etc., eane omnia prius moneri potuerunt quam aut necessitas urgeret, aut occasio daretur? Fatendum est igitur, responsa quæ tanquam Sibyllina in senatum atque inde ad plebem afferebantur, nisi omnino falsa et supposita, saltem non verbatim atque ipsis literis deprompta ex libris sacris fuisse, sed ad usum temporum accommodata. Quod quo pacto fieri potuerit, nunc est investigandum.

Multos fore scimus quibus, quæ in promptu maxime est sententia, tanquam certissima, placeat: senatum, inito cum XVviris consilio, nullaque habita Sibyllinorum carminum ratione, responsum quod aptissimum aut reipublicæ utilissimum videretur, ex industria compositum, protulisse. Verum hoc ita fieri non poterat, quin aut omnis senatus, aut saltem præcipui magistratus, qui omnes annui erant, ideoque nobilissimus quisque reipublicæ civis, quicumque honoribus vel fungerentur vel functi essent, piæ dicamus, an potius impiæ et sacrilegæ fraudis conscii participesque fierent. Porro in illo civitatis liberæ perpetuo æstu, distractis semper in diversa studia factionibus, fieri sane nequisset ut diu intra senatus parietes aut in nobilium animis contineretur illud secretum. Quumque videamus C. Catonem, trib. pleb., ad evulgandum Sibyllinum responsum, ne forte a senatu supprimeretur, populari violentia abusum esse (supra, cap. 7), quis dubitat futuros

fuisse multos nec minus violentos et Sibyllini arcani peritiores, qui aperte rem totam, ut erat, divulgarent, fraudemque nobilium, productam in forum, tanquam in scenam, indignationi et contemptui plebis exponerent? Fraudem igitur, si qua fuit, necesse est intra paucioram conscientiam substitisse, ideoque non ex senatu, sed ex ipso XVvirum collegio manasse, ubi magis poterat ejus origo celari.

Fuit enim illud, ut supra diximus, vere sacerdotale collegium, sacris legibus et religionis fide adstrictum; ut, quæ in illo cœtu fierent, non fere aliter quam Eleusiniæ Cereris aut Bonæ Deæ mysteria, remota manerent a profanorum hominum intellectu. Et fuerunt quidem ibi sæpe commixti homines diversarum in republica factionum. Sed quominus ad suarum partium studia secreto communi abuterentur, obstabat primum jurata fides, deinde collegii dignitas, pudor denique, qui in quolibet hominum conventu mutua conscientia singulos et universos devincit.

Præterea si responsa Sibyllina diligentius consideres, præter allata supra exempla ad politicum, ut vocant, consilium referenda non sane multa, vix aliud in iis reperias quam ob expiandum aliquod prodigium vel avertendum publicum malum, jussas fortuito cærimonias plus minusve notas, prorsus aliquando insolentes, minime vero ad factionum studia pertinentes, idque unum spectantes ut emotas insolito terrore popularium mentes vel religionum interventu compescerent vel ad nova et insolita spectacula distraherent. Porro ad continendam plebis inquietæ turbulentiam facile plerumque conveniunt, utcumque de republica sentientes, qui genere, loco, fortunis primarium in civitate gradum obtinent.

Illam tamen compescendi ideoque, si res ita ferret, agitandi vulgi facultatem unius collegii arbitrio permitti, publico periculo non caruisset, nisi sapienter institutum fuisset, nunquam injussu senatus libros adiri (supra, cap. 10); nunquam sine senatusconsulto responsum librorum ad populum efferri (supra, cap. 13); quibus legibus, non tantum humano, sed et divino jure sancitis, publicæ securitati abunde provisum erat.

Porro, sub initia illius religionis libenter credimus duumviros vel postea decemviros Sibyllina inspicere jussos, quum ipsi græce nescirent, bona fide oculis usos esse ministrorum quos ideo e Græcia acciverant (supra, cap. 9), serioque eos rogasse, numquid ex ea multitudine confusorum oraculorum quibus libri referti erant, ad præsentem rerum statum pertinere videretur. Illos vero, inspectis ac pervolutis libris, conjectando atque divinando, id quod rogati erant, ut poterant, effecisse, atque ita responsum vere Sibyllinum, id est,

e Sibyllinis libris desumptum, cum interpretatione qualicumque collegii, ad senatum esse delatum. Quod perinde fere agebant librorum interpretes, ut in Græcia Delphici vel cujusvis oraculi ὑποφῆται, qui ex confusis Pythiæ clamoribus, vel tripodis sub cortina fremitu, vel antri mugitu, vel foliorum aut aquarum susurro, exceptam dei mentem in humanum sermonem convertebant. Brevi autem ab inutili labore destiterunt anxie per libros quærendi id quod ex iis minime poterat educi; præterea periculum erat, ne nimia tractatione libri ipsi, obsoleti jam et decrepiti, magis magisque dētererentur. Itaque commodius et tutius visum est non jam eligere, sed sortiri versus, qui deinde interpretatione qualicumque ad præsens negotium aptarentur. Qua in re nihil novi excogitabant Sibyllinorum interpretes; sed frequentem in ceteris oraculis usum sequebantur, adeoque communem, ut sæpe *sortes*, inde petitum verbum, pro oraculo quovis usitatum reperias, crebrius autem in eo divinationis genere quod per libros seu fatidicos seu cujuslibet generis fiebat. Quis enim ignorat sortes Homericas et Virgilianas? Eumque morem medio ævo, quoties de re incerta consulebatur, ad sanctos etiam Christianorum libros translatum fuisse, nemo nescit. De Sibyllinis quidem sortibus disertum est Virgilii testimonium, Æn. VI, v. 72, sq. :

Hic ego namque tuas sortes, arcanaque fata
Dicta meæ genti ponam.

Videlicet ea sortitio, quantum conjicere possumus, coram frequente collegio fiebat; deinde versus sorte ducti ministris interpretandi tradebantur, ita tamen ut prius inter ipsos et magistros convenisset de interpretatione. Totius enim collegii intererat cærimonias aliave præcepta definiri quæ responsi materiam et quasi corpus efficerent; ministris curanda relinquebatur oraculi forma, græcis primum includenda versibus, deinde in latinum vertenda sermonem : confer supra, cap. 14.

Ad hæc rursus aliquis exclamabit : Quorsum illæ ambages, si verba tantum fortuita e codice Sibyllino eruebantur, mens vero verborum ipsorum publico responso minime reddebatur? Et quid opus erat Sibyllini carminis aliquam sortiri particulam, cujus deinde sententia susdeque ferretur, quum ad conficiendum oraculi simulacrum sola ministrorum vena plus minus poetica sufficeret? Nec nos speciose hoc objici negabimus. Illud tamen considerandum est, decemvirale seu XVvirale collegium legibus institutum fuisse Sibyllinæ fidei custodiendæ causa; cujus ideo dignitas omnis et auctoritas ex illorum librorum religione pendebat, utcumque servanda, saltem ludibrio minime habenda nec justis hominum cavillationibus expo-

nenda. Præterea vix dubitari potest magistros collegii, quum ad senatum aut magistratus responsum afferrent, jurejurando affirmare debuisse, vere illud esse Sibyllinum effatum, et quoniam non sensus tantum, sed ipsi versus afferebantur (supra cap. 14), veros illos Sibyllinos esse versus. Porro interpretibus modus inveniendus erat quo simul juratæ fidei, simul rerum necessitati parerent; quo simul et Sibyllinos et suos versus, tanquam unos atque eosdem afferrent, ambiguaque aliqua sacramenti formula simul aures fallerent, simul perjurium vitarent. Eum nos fuisse putamus acrostichiorum in Sibyllinis usum.

Locus est in eam rem Ciceronis, de Divin. II, § 54, notissimus, huc tamen ipsis verbis referendus, in quo de Sibyllino carmine ita scriptum est : « Non esse autem illud furentis quum ipsum poema decla- « rat (est enim magis artis et diligentiæ quam incitationis et furoris), « tum vero ea quæ ἀκροστιχὶς dicitur, quum deinceps ex primis versus « literis aliquid connectitur, ut in quibusdam Ennianis... Atqui in « Sibyllinis ex primo versu cujusque sententiæ, primis literis illius sen- « tentiæ carmen omne prætexitur. » Et tale aliquid a Varrone traditum fuisse, unde fortasse ad Ciceronem transierit, satis patet ex Halicarnassei Dionysii loco supra sæpe laudato, lib. IV, § 62, ubi Varronem citans auctorem ait, Sibyllinis vaticiniis interpolata esse spuria quædam, quæ deprehendantur et revincantur acrostichii lege : Ἐν οἷς εὑρίσκονταί τινες ἐμπεποιημένοι [χρησμοὶ] τοῖς Σιβυλλείοις, ἐλέγχονται δὲ ταῖς καλουμέναις ἀκροστιχίσι. Quo respexerunt et christiani Sibyllistæ qui ad speciem veteris carminis propius accedere sibi visi sunt, si pseudo-Sibyllinis suis acrostichium illud infercirent, a Constantino apud Eusebium in oratione ad Sanctos, et Augustino, de Civitate Dei, prolatum, cujus summa est : ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΕΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΣΩΤΗΡ ΣΤΑΥΡΟΣ. Confer ipsum locum in Sibyllinis nostris, lib. VIII, v. 217, sqq. et quæ sunt ibi annotata. Imo credi voluit Constantinus desumptum illud esse ex ipsis Romanorum fatalibus libris; audet enim addere fuisse olim latine versum a Cicerone, idque apud omnes constare : Ὡμολόγηται γὰρ Κικέρωνα ἐντετυχηκότα τῷ ποιήματι μετενεγκεῖν τε αὐτὸ εἰς τὴν Ῥωμαίων διάλεκτον, καὶ συντάξαι αὐτὸ τοῖς ἑαυτοῦ συντάγμασι. Quod aperte falsum est, ut ex ipso Ciceronis loco supra citato patet. Sed simul patet quod unum ostendere voluimus, diffusam olim fuisse ex Varronis et Ciceronis fide opinionem, Sibyllinos libros totos in acrostichia fuisse divisos, id est, in lacinias quasdam versibus constantes ita compositis ut ex eorum primoribus literis sensus aliquis efficeretur. Sed de libris Tarquinianis nihil tale credi potest, quoniam in Erythræis Græcorum oraculis ad quorum exem-

plar informati erant ii libri, acrostichii vestigium, quantum quidem e fragmentis superstitibus aut e veterum testimoniis conjici potest, nullum omnino deprehendebatur, præterquam istud prorsus abhorret ab antiquæ poeseos, qualis ante Tarquinium floruit, egregia simplicitate. Idem æque negari potest de libris recentioribus qui post Capitolii incendium refecti sunt, vel postea Cæsaris Augusti jussu collecti, quoniam ii conflati sunt e reliquiis undique corrasis Erythræorum aliorumve similium carminum, de quibus in summa asseri potest, auctores, quicumque fuerunt, talem in se curam suscipere nec voluisse unquam nec potuisse. Potest enim tale versificandi genus, etsi non sine labore et fastidio, in aliqua carminis particula observari; in totis carminibus vix potest.

Quoniam tamen de Sibyllinis romanis ea fama prævaluerat, necesse est hujusmodi aliquid animadversum fuisse in iis saltem versibus qui, tanquam Sibyllini, ad senatum delati, inde senatus jussu in publicum efferebantur. Imo quod a Dionysio additur: Εὑρίσκονταί τινες ἐμπεποιημένοι [χρησμοὶ] τοῖς Σιβυλλείοις, ἐλέγχονται δὲ ταῖς καλουμέναις ἀκροστιχίσι, satis ostendit eo conversas fuisse doctorum mentes ut in illis quæ proferebantur responsis, diligentius ad initia versuum attenderent, essetne an non esset observata lex acrostichii, ut in quo versu neglecta deprehenderetur, is falsus haberetur ac suppositus vel adulteratus. Quum tamen is labor, ut diximus, nec Sibyllæ fuerit nec Sibyllistarum, fuerit oportet XVvirorum, seu potius additorum illis ministrorum, curantium ut ad Sibyllinos sorte ductos versus responsum quodlibet inde confectum saltem versuum initiis responderet. Ita promptum illis fuit quemcumque sensum, quæcumque vota, quascumque vellent cærimonias, responsis suis includere, quarum rerum ne umbra quidem in ipsis Sibyllinis libris infuerat; et tamen sine perjurio dejerare in senatu aut coram magistratibus poterant Sibyllinos se afferre versus, ipsis verbis, ipsis literis expressos, quoniam revera novo carmine verba ipsa ac literæ antiqui carminis exhibebantur.

Vel sic tamen fatemur illud responsi genus, uti non jam perjurio, ita malæ fidei proximum fuisse. Quid autem? Non fuit semper talibus eludendæ veritatis artibus in qualibet religione locus, promptaque talium excusatio etiam gravibus et, ut sibi videbantur, sanctis viris, præsertim quum pietas esset obtentui, et ad bonum finem grassantibus nullum, ut aiunt, viæ bonæ malæve discrimen foret? Præterea postquam ille usus apud XVviros longa traditione comprobatus fuit, ne suæ quidem fraudis conscientia magistris aut ministris inerat; eoque fortasse devenerant, ut sibi bona fide persuaderent singulis di-

vini oraculi literis plenos inesse sensus, quo fere modo cabbalistæ e singulis elementis Jehovæ nominis singula Dei attributa educere sibi visi sunt; aut quemadmodum christiani Sibyllistæ, lib. III, v. 26, tetragrammato nomine ΑΔΑΜ quatuor mundi partes inclusas esse voluerunt, Ἀντολίην τε Δύσιν τε Μεσημβρίην τε καὶ Ἄρκτον. Annon sic fuerunt in re epigraphica viri eruditi, sed doctrina magis quam judicio instructi, qui ex elogii vel numi alicujus siglis mira somnia elicerent, compendiaque verborum non intellecta in quascumque vellent sententias detorquerent? Harduinum vel nominasse satis sit.

Illa vero de Sibyllinis libris opinio, quot literas, tot in iis inesse sensus, non XVvirum propria fuit, sed etiam in vulgus diffusa et a grammaticis etiam doctissimis recepta, teste Servio ad Æn. III, v. 443, sq., ubi ad hæc poetæ verba :

Quæ fata sub ima
Rupe canit, foliisque notas et nomina mandat,

« Tribus modis ait futura prædicta, aut voce, aut scripto, aut signis, « id est quibusdam notis, ut in obelisco Romæ videmus [hieroglyphica Servius intelligit], « vel ut alii dicunt [et hic, lector, attendas oportet] « notis literarum, ut per unam literam aliquid significet. » Hoc ultimum, nisi fallimur, ad Sibyllina acrostichia referendum est.

Sed quod e veterum scriptorum testimoniis conjectando hactenus expressimus, id sagacissimus vir Klausenius, in opere sæpe a nobis laudato, *Æneas und die Penaten*, p. 267, not., non jam argumentis, sed reipsa demonstravit. Primus enim in uno ex oraculis Sibyllinis a Phlegonte servatis (ea sub finem hujus Excursus proponentur) acrostichii legem servatam esse deprehendit, eo graviore indicio, quod Phlegon ipse, quum illud oraculum proferret, de acrostichio nihil videtur esse suspicatus. Hoc tamen, quia singulari cura et majore argumentandi spatio eget, in proximum caput reservabitur.

CAP. XVII. *De responsis Sibyllinis a Phlegonte servatis.*

Duo sunt ad nos usque servata, tanquam e Sibyllinis Romanorum libris, oracula : quorum unum maxime cura dignum esse diximus. Locus est apud Phlegontem, de Mirabil., cap. 10, ubi responsum illud datum fuisse ait consultis libris de prodigio androgyni cujusdam Romæ nati, annumque ipsum accurate definit, ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἰάσονος (archonte Athenis Jasone, ceterum ignoto), ὑπατευόντων ἐν Ῥώμῃ Μάρκου Πλατίου καὶ Σέξτου Καρμινίου Υἱαίου καὶ Μάρκου Φουλβίου Φλάκκου.

Paululum hic immorandum est, quoniam aperte corrupta sunt consulum nomina, nec tamen difficile restituenda, M. Plautii Hypsæi et M. Fulvii Flacci, qui ambo fasces ceperunt anno post Urbem conditam DCXXIX, ita ut a Phlegonte scriptum olim fuisse videatur nonnihil inverso verborum ordine: Ὑπατευόντων ἐν Ῥώμῃ, κατὰ Σέξτον Καρμίνιον, Μάρκου Πλαυτίου Ὑψαίου καὶ Μάρκου Φουλβίου Φλάκκου. Ita Sextus ille Carminius, quem librarii consulem male fecerant, non consul jam, sed, ut revera fuit, scriptor erit qui de illo prodigio ac de prodigii ætate Phlegonti dux fuerit. Et scriptor revera ejus nominis occurrit, sed sine prænomine, apud Servium non semel ad Æn. VI et VIII, et apud Macrobium, Saturn. V, cap. 19, a quo etiam « curiosissimus et doctus » dicitur, allatis insuper ejus verbis, e quibus pateat etruscos ab ipso ritus e Tagetis libris conquisitos fuisse. Quid mirum si antiquarum religionum diligens explorator de Sibyllinis etiam libris inquisiverat? Hæc tamen conjectura, quum de Carminio ejusve ætate nihil aliunde compertum habeamus, dubia remaneat. Certiora sunt magistratuum nomina, quæ, si vere ex historiæ fide huc prolata sunt, in alium cadere annum non possunt quam supra dictum DCXXIX. Hic porro annus fuit incendio Capitolino anterior annis XLII. Stabant igitur etiam tum Tarquiniani libri. Eguisse autem illos interpretatione, eamque versibus græcis propositam in publico fuisse, docet aperte Phlegon his verbis: Δι' ἣν αἰτίαν ἡ σύγκλητος ἐκέλευε τοὺς ἱερομνήμονας ἀναγνῶναι τοὺς Σιβύλλης χρησμούς· καὶ ἐξηγήσαντο τοὺς χρησμούς· εἰσὶ δὲ οἱ χρησμοὶ οἵδε.

Sed, ut verum dicamus, citatos a Phlegonte consules, falso citatos putamus, multoque antiquius habendum esse illud responsum, eoque plus habere momenti ad omnia confirmanda quæ de modo librorum adeundorum supra diximus. Nam ii quidem consules quos Phlegon affert, pertinent ad Gracchorum tempora, recentiora sane quam ad quæ Sibyllinum carmen referri possit. Romani quippe in eo carmine jubentur sacra certis quibusdam numinibus afferre hanc potissimum ob causam, ut Urbis Romanæ oblivio Græcos capiat; verba sunt ipsa:

Λήθην Ἑλλήνεσσι πεσεῖν πόλεώς τε καὶ αὐτῆς,

Deinde jubentur illa sacra cum insulanis facere,

Καὶ νήσων ναέται,

nempe ut hostilem terram occupent non dolo, sed vi; quamnam illam? aperte Cumanam; sic enim pergit oraculum:

Τὴν ἀντιπάλων ὅτ' ἂν αἶαν
Οὐ δόλῳ, ἀλλὰ βίᾳ Κυμαΐδα πρόφρονες αὖτε
Νάσσονται.

Scripta ergo hæc fuisse oportet quum adhuc Græci nominis formido

animis insideret, et Romani de Cumano agro seu per se ipsi seu per insulanos socios occupando cogitarent: quæ omnia prorsus a Gracchorum temporibus aliena sunt, multoque sint antiquiora necesse est. Et anno quidem post Urbem conditam cdxviii, Romana civitas Cumanis concessa est, teste Livio, VIII, § 14, quæ postea hostilis terra dici minime potuit. Anterius ergo habendum est hoc oraculum. Verum antea nulla pæne res Romanis cum Græcis interfuerat, nisi quod anno cdx, ora Latii a Græcis piratis impune direpta fuerat, Liv. VII, 25, sq. Inde non male conjicimus circa illud tempus, Sibyllinum promulgatum fuisse responsum. Porro tertius ab illo annus cdvii consules ostendit C. Plautium Hypsæum Vennonem, T. Manlium Torquatum, diversos sane a Phlegontis indicio, ita tamen ut Plautius quidam Hypsæus utrobique reperiatur. Quid si Carminius, Phlegontis auctor, oraculum hoc, incertum ubi aut quomodo, repererat cum præfixo tantum Plautii Hypsæi nomine, cui, dum diligentior esse vult, collegam fortasse de suo dederit alium quam oportebat, rejecta sic hujus totius negotii mentione ab anno cdvii ad annum dcxxix? Quid si XVviri ab Augusto consulti, ex industria confusionem hanc nominum et temporum invexerunt, ut principi assentarentur ludos Sæculares renovare molienti anno post Urbem conditam dccxxxvii? Multum enim illorum referebat priores ludos circa annum dcxxvii celebratos fuisse, ut spatium fere cx annorum inter utrosque interesset. Et fortasse Phlegon ipse, chronologiæ peritissimus, errorem subodoratus erat, quum auctorem de ea re suum indicaret, non sine aliqua suspicionis nota, κατὰ Σέξτον Καρμίνιον.

Nos quidem illo anno cdvii datum hoc responsum existimamus, quum Romani, nondum ut Gracchanis temporibus præpotentes, imo ne Latio quidem multum egressi, Latinis tamen Volscisque jam perdomitis, Campanisque in fidem seu potius ditionem suam receptis, ultra jam proferre cupiditatem et maritimarum circa Campaniam urbium commercio atque opibus invidere cœperant. Quo tempore quænam fuerit Cumanorum conditio non satis certo novimus; divinare tamen possumus. Nam quum diu in ora maris ejus quod accolunt, multum classe potuissent, ut ait Livius, VIII, § 22, capta eorum urbs a Campanis fuerat anno post Urb. cond. cccxxxvi, docente eodem Livio, IV, § 44, atque exinde Campana vel Osca civitas e Græca facta fuerat, ut ex ipsius verbis discere est: « Eodem, inquit, anno a Cam« panis Cumæ, quam Græci tum urbem tenebant, capiuntur. » Confer Strab. liv. V, p. 243, et Diod. Sic. libri XII, § 76; Dion. Hal. fragm. t. IV, p. 2318, ed. Reisk. Mansit ergo ibi Campana colonia, sed antiquo more juris sui compos. Itaque Cumanum agrum a Campano

duasque diversas civitates memorat ad annum CDXVIII idem Livius, loco supra dicto, VIII, § 14. Porro credibile est maritimum ejus urbis commercium, mutatis civibus, recessisse, totumque ad Palæpolitanos vicinosque iis Neapolitanos, quæ utraque Cumana colonia fuit, transiisse. Restabant colles fertiles et portus olim celebres quibus inhiasse Romanos jam anno CDVII facile credimus, quum haud multo post illud tempus ablatum Campanis Falernum agrum usque ad Vulturnum amnem plebi Romanæ dividi videamus, liv. VIII, § 11. Post Vulturnum autem continuo Cumanus ager incipit, teste Strab., l. cit. Jam tum igitur putamus inita fuisse Romæ consilia de occupando Cumano agro, eoque fortasse transferenda ex Pontiis aliisque Latinis insulis nova multitudine, peritiore maris quam tum ceteri Latini erant. Et illa quidem consilia in senatu vel inter aliquos senatores agitata, facile per decemviros in oraculum Sibyllinum irrepere potuerunt. Nulla tamen eorum memoria in historiis remansit, quia eventu caruerunt, aliis intervenientibus curis; nec multo post, Romani maluerunt, uti jam diximus, civitatis dono Cumanos sibi devincire, quam ipsos armis vel suis vel sociorum subigere.

Sed objici potest non fuisse illo anno, post Urbem conditam CDVII, archontem Athenis Jasonem : notissimi enim sunt illorum temporum archontes, Philippo Macedoni et Olynthiaco bello suppares; annus autem Romæ CDVII incidit in primum et secundum annum olympiadis CVIII, atque ideo in Themistoclem archontem. Sed quum Phlegon, auctore Carminio, consules alios in scenam produxerit, anni nempe DCXXIX, cujus anni archon eponymus ignotus est, videtur ipse de suo archontem Jasonem huc intulisse, quem sciebat iis consulibus supparem fuisse, vir, ut diximus, in chronologia exercitatissimus, solitusque in Olympiadibus suis Romanorum et Atheniensium magistratuum nomina conjungere. Alii fortasse objicient in Romanis historiis ad annum CDVII nullam fieri mentionem nec androgyni nati nec librorum tunc aditorum. Verum nec ad annum DCXXIX, quum tamen de prodigiis eo anno visis multa tradat Julius Obsequens, videlicet e Livio desumpta, cujus absentis locus ita suppleri aliquatenus potest. Quid igitur inde colligas, nisi apud historicos Romanos hodie superstites non omnium prodigiorum mentionem fieri, nec libros toties aditos memorari quoties aditi sunt. At Cumanos, quorum multum intererat illud responsum, memoriam ejus archivis suis mandasse, facile credimus, unde ad historicos græcos atque ab iis ad Sextum Carminium et ad Phlegontem pervenerit.

Utique responsum a Phlegonte prolatum versibus constat LXX, quorum initiis conficitur, observante, uti diximus, Klausenio, series

ista literarum : ΟΙΡΑΝΟΠΙΣΘΟΜΑΦΥΠΑΣΕΙΣΤΟΠΟΝΕΛΘΙΠΠΩΙ ΑΓΑΛΛΟΜΕΝΟΣΠΑΛΙΝΑΥΚΟΝΕΙΣΕΝΟΝΗΞΕΙΑΥΤΑ, unde Klausenius existimavit tres versus seu versuum reliquias erui posse in hunc modum :

Οἷ ῥ' ἂν ὄπισθ' ὁμὰ φύσας.....
Εἰς τόπον ἐλθ' ἵππῳ ἀγαλλόμενος πάλιν αὐτὸν
Εἰς ἓν ὃν ἥξει αὐτά.....

Quorum media certissima sunt, exceptis paucis syllabis; prima vero et ultima corrupta sensu carent, variisque conjecturis utcumque refici possunt, nulla hactenus satisfaciente; nos interim priora saltem ita suspicamur emendanda :

Ὅς μὲν ὄπισθ' ἀνὰ φῦλα σ.....
Εἰς τόπον ἔλθ' ἵπποισιν ἀγαλλόμενος πάλιν αὐτόν,
Εἰς ὃν.....

Nam in primo versu vix poterat ἂν ad Klausenii mentem servari propter ἔλθ', id est, ἦλθε, quod sequitur; nec φύσας cum reliquis ullo modo construi potest, et metro repugnat. In secundo scribendum esset ἦλθ' assueto more, sed ἔλθ' antiqua fuit et vera lectio. Deinde metrum post hemistichium laborabat, nec antiquum potuit esse ἵππῳ, quoniam singularis numerus epicis moribus adversatur : heroes enim de curru, non ex equo pugnabant. Fuit olim scriptum ἵπποισι, ex quo, ultimis literis erasis, fortasse remanserat ἵπποι, interpretes ἵππωι legerunt. At in tertio versu dubia sunt omnia, nec quidquam velimus asserere aut proponere, donec probabilia suppetant.

Quod si ad emendandum hunc locum necesse fuit et nobis et Klausenio nonnihil ab integri carminis acrostichiis discedere, ne quis ob eam rem succenseat. Patet enim decemviros eorumve ministros ex obliterata Sibyllini libri scriptura quod potuerunt servasse, ac sæpe antiquis atque insolitis apicum ductibus in errorem tractos esse.

Patet etiam in illo libro factam fuisse mentionem bellatoris alicujus, qui per confertos pugnantium ordines, ἀνὰ φῦλα, curru et equis superbiens, ἵπποισιν ἀγαλλόμενος, in eumdem locum reverteretur unde impetum ceperat. Nihil hic ad androgynum, nihil ad Romanos, nihil ad sacra pro publica salute facienda. Hæc igitur omnia a quindecimviris vel eorum ministris excogitata et in numeros redacta, ita ut sensum plane novum efficerent, servatis veteribus elementis, id quod supra conjectando præsumpseramus.

Est aliud apud Phlegontem, de Longævis, cap. 4, et Zosimum, lib. II, § 3, Sibyllinum responsum Romanis datum de ludis Sæcularibus instituendis, versibus illud quoque scriptum heroïcis, qui omnes XXXVII sunt, sed sine ullo acrostichidis vestigio, unde falsum et suppositum

conjicias, juxta illam Dionysii, quam supra dedimus, legem : Ἐλέγχονται δὲ ταῖς καλουμέναις ἀκροστιχίσι.

Quod et aliunde cognosci potest. Nam si monumentum illud clarissimum exstitisset primæ ludorum Sæcularium institutionis, quo centum et decem annorum spatium expresse definitur, non tanta de illorum ludorum intervallis controversia intervenisset, quantam supra, c. 15, ostendimus. Porro ibi notavimus de sæculo illo cx annorum nullam reperiri ante Augusti tempora mentionem, et Varronem ex Antiatis fide ludos Sæculares centesimo quoque anno celebrandos statuisse, et Livium ipsum, quamvis sub Augusto scribentem, non aliter sensisse videri, si fides ejus epitomæ libri XLIX; causasque ibidem indicavimus cur sæculare spatium a XVviris aliisve principis adulatoribus decennio auctum videretur. Pæne igitur dejerare ausimus illud oraculum Augusteo ævo confictum fuisse. Favet huic nostræ sententiæ ipse carminis epilogus in hos versus desinens :

Καί σοι πᾶσα χθὼν Ἰταλὴ καὶ πᾶσα Λατίνη
Αἰὲν ὑπὸ σκήπτροισιν ὑπαυχένιον ζυγὸν ἕξει.

Nam illud Romæ imperium, toti scilicet Italiæ imponendum, non modo anno post U. C. CCCLIII, quo Zosimus editum hoc responsum putavit, nondum spe aut votis præsumi poterat, quum intra Latii limites adhuc æstuaret ambitio Romana; verum ne adulta quidem republica, ac ne Syllanis quidem temporibus post Italicum ac sociale bellum, ita jactari aut his verbis exprimi potuisset. Nemo enim Latinorum aut Italorum æquo animo auditurus erat servire se et sub jugo esse Romanorum, ὑπαυχένιον ζυγὸν ἔχειν.

Et Phlegon quidem nullam oraculi ætatem definivit. Ait tantum Romanis datum illud esse, tum quum socii fœderibus minime acquiescerent, sed sæpe deficerent atque insurgerent, τῶν συμμάχων μὴ ἐμμενόντων ταῖς συνθήκαις, ἀλλὰ πυκνὰ μεταβαλλομένων καὶ πολεμούντων αὐτοῖς, quod in historia Romana tam sæpe accidisse scimus, ut ad tempus aliquod certum designandum qui id dicat, nihil dicat. Præterea sociorum defectiones bellaque ex his sæpe orta poterant quidem Romanis calamitosa videri, non erant tamen ex eorum malorum genere quæ Sibyllinis remediis procurari solerent. Itaque nihil putamus ad ætatem carminis statuendam e Phlegontis verbis profici posse.

At Zosimus expressior est, qui et annum definit, et causam addit morbos et bella ingruentia, νόσων καὶ πολέμων ἐνσκηψάντων. Morbos hic vides bellis additos, quæ libris adeundis idonea causa esse potuit. Ex eorum responso (quod ipsum hoc nostrum est carmen iisdem pæne verbis a Zosimo quibus a Phlegonte prolatum) sacrum factum Diti et Proserpinæ memorat in loco (Terentum haud dubie intelligit)

quem ex oraculo quæsitum atque inventum, rite dedicatum narrat, M. Potito IV consule, Μάρκου Ποτίτου τὸ τέταρτον ὑπατεύοντος. Incidit autem L. Valerii Potiti (non M., ut hic librariorum error agnoscendus sit) quartus consulatus, imo, si recte loqui necesse est, tribunatus consulari potestate, in annum urbis Romæ qui vulgo CCCLIII, in Fastis consularibus CCCLII inscribitur. Id plane cum Zosimi textu congruit. Verum eo anno nulla nec apud Livium nec apud J. Obsequentem mentio fit librorum aditorum, ut nec prodigii ullius, nec morbi, nec defectionis sociorum. Sed tertio post anno qui vulgo est CCCLV, in Fastis CCCLIV, libros ex senatusconsulto aditos videmus ob gravem pestilentiam, sacrumque factum Apollini, aliisque diis deabusque, quo sane respicere potuerunt quicumque ad illud tempus originem ludorum Sæcularium referre conantes, hoc oraculum produxerunt. Non fuit illo anno tribunus militum L. Valerius Potitus, sed fuit anno insequente, nec tum IV, sed V; sed quantuli hoc interest? Modica profecto annorum et numerorum intervalla; modicus error, si quis fuit, et in tam remotis temporibus, quum etiam interrupta esset consulum series, ultro ignoscendus. Facile igitur potuit ad illum annum referri ludorum Sæcularium celebratio, si quis eos tam antiquos esse vellet; atque id videtur in animo habuisse qui primus carmen illud pseudo-Sibyllinum confinxit, qui etiam Zosimo fuisse videtur auctor huc afferendi quartum consulatum Valerii Potiti. Verum idem auctor, ut sacrum illud anno CCCLV e responso Sibyllino celebratum ad Sæcularem festivitatem reduceret, non potuit quin Livii verbis vim magnam afferret, et pontificios annales, quos Livius bona fide sequi maluit, in plerisque desereret. Nam si fides historico, lectisternium tunc primum ex senatusconsulto factum est Apollini, Latonæ, Dianæ, Herculi, Mercurio, Neptuno. E Phlegontis autem oraculo faciendum fuisset Parcis primum; deinde Ilithyiæ, quæ Romanis Lucina est; deinde Jovi et Junoni; deinde Phœbo Apollini, qui et Sol dicitur. Vides alios deos aliumque sacri totius colorem. Quid ergo? Secutus est auctor carminis, quicumque fuit, sed Augusto suppar, ut diximus, memoriam priorum Sæcularium sacrorum quæ anno Romæ DCVIII celebrata fuerant; similes ritus suis versibus exprimere satis habuit, nec curavit an ea sacra eæque cærimoniæ cum antiquioris et obscurioris facti traditione convenirent.

Hæc ad priores accedit causa, cur suppositum hoc oraculum putemus et in Augusti gratiam conscriptum. Sed Phlegon oblatum sibi carmen cupide arripuit, ut erat oraculorum amator superstitiosus et fanaticus, solitusque libros suos hujusmodi rhapsodiis confercire usque ad legentium fastidium, quod ipsi exprobratur a Photio, Biblioth.

cod. 97, extr.: Καὶ ἡ περὶ τοὺς τοὺς χρησμοὺς ἄκαιρος φιλοπονία τε καὶ φιλοτιμία εἰς κόρον ἀπάγουσα τὸν ἀκροατὴν, καὶ μηδὲν ἄλλο τῶν ἐν τῷ λόγῳ προκύπτειν συγχωροῦσα, ἀηδῆ τε σχεδὸν τὸν λόγον δεικνύει καὶ χάριτος οὐδὲν ἔχειν παρατίθησι. Zosimus vel eosdem quos Phlegon auctores secutus est vel fortasse Phlegontem ipsum, quod videtur innuere dum ait oraculum hoc jam ab aliis editum ante se fuisse: Παραθήσομαι, inquit, τὸν Σιβύλλης χρησμὸν ἤδη πρὸ ἡμῶν παρ' ἑτέρων ἀνηνεγμένον, quanquam et aliunde poeticum istud mendacium eruere potuit, nempe ex aliqua talium oraculorum sylloge, quales multas a se perlectas gloriatur eodem libro, § 36.

Nec illi tamen, nec Phlegonti nimium succensere æquum sit, quorum beneficio debemus sola nunc exstantia Sibyllinorum Romanorum monumenta duo: quorum, ut diximus, verissimum unum est, ipsa Tarquiniani libri verba exhibens, cum ipsa decemvirum interpretatione græca, qualis Romæ promulgata fuit sub initia secundi belli Punici; alterum, etsi falsum, dignum tamen est quod cum priore componatur, non dictionis tantum simillimæ causa, sed quo major inde lux utrique affulgeat. Quo munere lector ut frui possit, ambo fragmenta, in hujus Excursus appendicem reservata, græce latineque prolaturi jam sumus.

APPENDIX AD EXCURSUM III.

ΤΩΝ ΕΝ ΡΩΜΗΙ ΣΙΒΥΛΛΙΑΚΩΝ ΒΙΒΛΩΝ ΑΠΟΣΠΑΣΜΑ ΜΟΝΟΝ.

[Ὃς μὲν] ὄπισθ' [ἀνὰ] φῦ[λα] σ. . . . .
Εἰς τόπον ἔλθ' ἵππ[οισιν] ἀγαλλόμενος πάλιν αὐτὸν,
Εἰσενονηξειαυτα.

Ἐκ τοῦ αὐτοῦ ἀποσπασματίου χρησμὸς Ῥωμαίοις δοθείς.

Ὅσσα τέρα καὶ ὅσσα παθήματα δαίμονος αἴσης,
Ἰστὸς ἐμὸς λύσει, τάδ' ἐνὶ φρεσὶν αἴκε νοήσης,
Ῥώμη, ἐμοὶ πίσυνος. Καί τοί ποτε φημὶ γυναῖκα
Ἀνδρόγυνον τέξεσθαι ἔχοντά περ ἄρσενα πάντα,
Νηπίαχαί θ' ὅσα θηλύτεραι φαίνουσι γυναῖκες.
Οὐκ ἔτι δὴ κρύψω, θυσίας δέ τοι ἐξαγορεύσω
Προφρονέως Δήμητρι, καὶ ἁγνῇ Περσεφονείῃ.
Ἴστω δ' αὐτὴ ἄνασσα θεά, τὰ μὲν εἶχε πίθηαι
Σεμνοτάτῃ Δήμητρι καὶ ἁγνῇ Περσεφονείῃ.
Θησαυρὸν μὲν πρῶτα νομίσματος εἰς ἓν ἀθροίσας,
Ὅττι θέλεις, ἀπὸ παμφύλων πόλεών τε καὶ αὐτῶν,
Μητρὶ Κόρης Δήμητρι κέλευ θυσίαν προτίθεσθαι.
Αὐτὰρ δημοσίᾳ κέλομαί σε τρὶς ἐννέα ταύρους
Φανὰς ἠϋκέρους θυέμεν λευκότριχας, αἴ κεν
Ὑμετέρᾳ γνώμῃ κάλλει προφερέσταται ὦσιν.
Παῖδας, ὅσας πάρος εἶπα, κέλευ Ἀχαϊστὶ τάδ' ἔρδειν,
Ἀθανάτην βασίλισσαν ἐπευχομέ[νας] θυέεσσιν

FRAGM. De hoc fragmento Sibyllino adi nos supra, cap. 17. Acrostichium ex ejus verbis confectum monet ab interpretibus græcis οἷ non ὅς lectum fuisse : sed οἷ cum sequenti versu minime constare potest, et ἰῶτα quondam in veteri scriptura lineolam bis fractam imitans prope ad σῖγμα accedebat. Nec ἂν multum nobis in hoc versu placet, propter ἔλθε seu potius ἦλθε, quod mox legetur : fortasse scriptum olim fuerit ὃς μὲν vel ὃς γάρ. Proximum versum conjecturis prope certis correximus : tertium intactum reliquimus, ut pote comploratum, quem olim sic refici volebat Klausenius, εἰς ἓν ὃν ἥξει αὐτά, sed sine sensu : multa facile conjici possunt, quorum nullum satisfacit.

TIT. AD RESP. Datum videtur Romanis hoc responsum, e fragmento quippe superiore a Xvirum ministris elaboratum, anno ab Urbe cond. CDVII, C. Plautio Hypsæo, T. Manlio Torquato coss. etsi Phlegon alios consules tradit : confer observata, p. 234, sqq.

1. In τέρα producitur α magis attice quam epice, nisi hoc cæsuræ imputandum : in codice quidem lineola superaddita, longæ vocalis indicium est. Deinde καί etiam producitur, non sine

APPENDIX AD EXCURSUM III.

E Sibyllinis Romanorum libris fragmentum unicum.

Qui quidem retro per agmina.....
In locum venit equis superbiens rursus eumdem,
In quem.....

Ex eodem fragmento responsum Romanis datum.

Omnia prodigia et fatales ordine casus
Tela mea expediet, memori si mente recondas,
Roma, mihi docilis. Nam partum femina quondam
Ancipitis sexus edet, cui signa virilis
Cuncta quidem generis, sed et omnia protinus adsint
Conspicienda, gerunt quæ prima ætate puellæ.
Disce quibus jam tunc operandum sit tibi sacris
Et Cereri et natæ Cereris : dea testis adesto,
Persephonæ si parueris sanctæque parenti.
Thesaurum aggestis primum componere numis
Cura sit, undelibet quæsitum, omnesque ferunto
Dona Deæ matri studiis certantibus urbes.
Tum populi sumptu vaccas ter habere novenas
Cura sit, eximias candore et cornibus altis,
Quas tu, sacra Diis pulcerrima, ferre memento,
Sic tamen ut totidem formosa ætate puellæ
Sacra ferant pure, sancte, rituque Pelasgo,

exemplis passim e poetis aliis atque ex hoc ipso carmine petendis, nisi legas, καὶ ὁπόσσα. Videtur δαίμονος adjective construi, falso tamen : intelligenda enim αἶσα δαίμονος.

2. Ἱστὸς respicit ad linteos Sibyllæ Romanæ libros.

8: Codex, εἶκε πύθηαι, nullo sensu, ubi Xylander recte πίθηαι, Meursius barbare πίθησα pro ἔπεισα. Nec est sensus obscurus, si μέν in τὰ μέν vacare censeas, quam licentiam in tali poeta non est cur mireris.

11. Ὅττι θέλεις intellige *quantumlibet*. Nec vacat in fine καὶ αὐτῶν : ait enim corrogandam esse pecuniam « collata stipe, » non modo Romæ, sed et in ipsis extra Romam urbibus. Recurret πόλεώς τε καὶ αὐτῆς infra, v. 28.

13. Δημοσίᾳ, id est, publico sumptu, non jam e stipe collata.

16. Obscurum est ὅσας πάρος εἶπα, nisi quot modo victimas, tot nunc puellas numeres, viginti nempe et septem. Nota deinde Ἀχαϊστί, græco ritu, quod Sibyllinis responsis non semel jussum, et confer supra, p. 220, sqq.

17. Cod. et edd. ἐπευχομένην.

Σεμνῶς καὶ καθαρῶς. Τότε δὴ μετέπειτα δεχέσθω
Ἔμπεδ' ἀφ' ὑμετέρων ἀλόχων ἱέρ' · αὐτὰρ ἐπ' αὐτοῖς,
Ἱστῷ ἐμῷ πίσυνοι, λαμπρὸν φάος αἵδε φερόντων
Σεμνοτάτῃ Δήμητρι. Τὸ δεύτερον αὖτε λαβοῦσαι
Τρὶς τόσα νήφαλα πάντα πυρὸς μαλεροῖο τιθέντων,
Ὅσσαι ἐπισταμένως θυσίαν [γερααὶ] προτίθενται.
Προφρονέως δ' ἄλλαι Πλουτωνίδι τόσσα λαβοῦσαι,
Ὅσσαι ἐν ἡλικίῃ νεοθηλέα θυμὸν ἔχουσιν
Νηπίαχαι, σεμνὴν Πλουτωνίδα παντοδίδακτον
Ἐν πάτρᾳ εὐχέσθων μίμνειν, πολέμου κρατέοντος,
Λήθην Ἑλλήνεσσι πεσεῖν πόλεώς τε καὶ αὐτῆς.
Θησαυρὸν δ' ἕτεραι καὶ παρθένοι ἔνθα φερόντων,
Ἱστῷ θειοπαγεῖ νυμφάσματα ποικίλα, [σεμνὴ
Πλουτωνὶς] κοσμοῖτο ὅπως σχεσίῃσι [καλῇσι].
Προφρονέως δ' ὅτι κάλλιστον καὶ εὐκτὸν ἐπ' αἶαν
Ὡς θνητοῖσιν ἰδέσθαι ἐπέπλετο καί [τε] φέρεσθαι,
Ἱστῷ σύμμικτον δῶρον βασιληΐδι Κούρῃ.
Αὐτὰρ ὅτ' ἂν Δήμητρι καὶ ἁγνῇ Περσεφονείῃ
Γαίας ὑμετέρας ἀπερυκέμεναι ζυγὸν αἰεί,
Αἰδωνεῖ Πλούτωνι βοὸς κυανότριχος αἷμα,
Λαμπροῖς εἵμασι κοσμητοὺς, μετὰ ποιμένος, ὅστις
[Λήματι] ᾧ πίσυνος βοὸς ἄρτεμος αὐτὸς ὅδ' ἔσται,

19. Ἔμπεδ' haud facile capimus, nisi sunt *gravida*, *pondere valida*. Aliquando interpretabamur solida seu corporea dona, ut opponerentur puellarum suffiminibus, θυέεσσιν: sed nunc non placet. Cave autem victimas intelligas robustas, grandes, quo fere sensu Homerus, Odyss. τ, 113, ἔμπεδα μῆλα, quoniam hic non de victimis, sed de oblationibus seu donis agitur, ἱεροῖς, non ἱερείοις.

21. Offendit τὸ δεύτερον, quum potius τὸ τρίτον exspectandum fuerit. Primum enim puellæ, deinde matronæ, tertio denique loco aniculæ. Deinde pro αὖτε codex αὐταί habet, unde Xylander αὐτά refecerat, sed falso.

22. Τρὶς τόσα ad ἱερά refertur, sed simul numerum innuit offerentium, id est, vetularum, quas unam et octoginta esse jubet. Νήφαλα ἱερά sunt quæ vini libationibus carent, ἄοινα quoque dicta, Poll. lib. VI, cap. 26, qualia Cereri præsertim fiebant, Plaut. Aulul. II, sc. 5, v. 5, sed et Eumenidibus, Æschyl. et Sophocl. passim, aliisque diis, Schol. ad OEdip. Col. v. 100.

23. Codex, γρααί, quam vocem nulla firmant exempla. Nos γερααί conjecimus. Vide an γραῖαι.

24. Hactenus Cereri litatum est, nunc Proserpinæ, quæ Πλουτωνίς hic et infra vocatur, raro exemplo.

25. Cod. νεοθαλέα. Nos correximus, dialecti et metri causa.

26. Cod. et edd. νηπίαχοι, sed confer supra v. 5.

28. Sensus difficilis. Videtur quies a Græcis optari, id est, nisi fallimur, a piratis græcis, qui fortassis etiamtum Latii oras infestabant, anno CDVII, vel sinistram sui memoriam reliquerant, vastata ante duos annos Latii ora maritima, ita ut impune discederent, auctore Livio, lib. VII, § 25, sq.

29. Similis thesaurus Cereri supra collatus est, v. 10, sqq. Pro ἕτεραι codex habet male ἕτεροι.

30. Ἱστὸς θειοπαγής plerisque est malus in honorem divæ erectus, sed

Divæ immortali. Tum vestræ deinde sequentes
Matronæ gravibus cumulent altaria donis,
Ardentesque faces, sic fert mea tela, coruscent.
Rursus at augustæ Cereri sua munera portent
Sobria, ter numero totidem, et flagrantibus aris
Imponant, quibus est ætas matura senecta,
Et longus sacrorum usus. Plutonida sed vos
Inprimis colite, ætatis quas florida vestit
Gratia; vos sanctam Plutonida, cuncta videntem,
Orate, ut patriam bellis surgentibus urbem
Protegat, utque sui Græcis oblivia mittat.
Thesaurum inde aliæ, ditissima dona, puellæ,
Intextasque ferant divino stamine telas,
Gaudeat ut digno conjux Plutonis amictu.
Tum quod inest cunctis pulcrum atque optabile terris,
Et quidquid gratum spectare et habere decorum est,
Reginæ Cereris natæ mixta omnia portent.
Ut vero sanctam Cererem natamque verendam
Oravere, malum patriis avertere terris,
Hinc ipsum fuso Plutonem sanguine placent
Cærulei bovis, et festis in vestibus adsint
Cum pastore suo : bovis impiger ille calentis

nobis instrumentum textorium quo mulieres usæ sunt ad vestem Proserpinæ texendam, seu vestis ipsa ejus ope contexta : capitur enim ἱστός sæpe de veste seu linteo, ut supra, v. 2, ἱστὸς ἐμός. Θειοπαγής autem vocatur tanquam θείᾳ τινὶ τέχνῃ κατεσκευασμένος, rara voce, lexicis certe incognita.

31. Σεμνὴ Πλουτωνίς e nostra est conj. Codex enim σεμνὴν et Πλούτωνι. Idem deinde κοσμεῖτο, male pro κοσμοῖτο, et σχεσίῃσι κακοῖσι, ubi nos καλῇσι seu καλῇσιν, ut σχεσίῃσι poetice positum sit pro σχήμασι.

33. Codex, καὶ τὸ φέρ. Nos e conj. καί τε, quod et Homero notum et in Sibyllinis frequens. Aliter esset καὶ τὸ φέρεσθαι pro καὶ τοῦτο φέρειν, id est, hoc quoque portare memento, sed minus græce propter depravatum mediæ vocis usum.

34. Ἱστῷ σύμμικτον, id est, telæ seu vesti adjunctum, græcitati repugnat. Incertum tamen quid legatur. Suspicamur ἴστω pro ἔστω positum, acrostichii causa, tanquam ab imperativo ἴσθι verbi εἰμί, non tam licenter quam solœce. Olim etiam cogitavimus ἵστω pro ἵστασο, activo ponendi sive offerendi sensu ; nec tamen usitate, nec recte.

35. Deest vox εὔξωνται, facile supplenda.

36. Præstaret γαίης ὑμετέρης.

38. Cave ποιμένα intelligas pastorem ipsius bovis; imo dux est populi, seu prætor, seu consul, seu dictator, ut apud Homerum ποιμὴν λαῶν : atque idem est Marcio vati, in oraculo supra citato, p. 173 : « qui jus plebei dabit summum, » id est, præcipuus magistratus, quem olim prætorem urbanum interpretati sunt.

39. Erat in codice ἡματίῳ sine sensu, et contra acrostichii legem : nos λήματι restituimus, cum πίσυνος recte construendum; et sic apud Æschylum, Pers. v. 55 : Τοξουλκῷ λήματι πιστούς. Intelligimus autem virum animi sinceri conscientia fretum, patriæ præsertim fidum amatorem, quales in versu proximo πίσυνοι modo dicentur. Deinde pro ἄρτεμος possit ἄρταμος reponi ; sed ionica fortasse vocis forma.

Ὅσσοι τ' ἄλλοι ὁμοῦ πίσυνοι κατὰ πατρίδ' ἔασι.
Μὴ γὰρ ἀπιστόφιλος θυσίαισιν ἀνὴρ παρεπέσθω·
Ἔξω δ', ἔνθ' ἀνόμιστον ἐπέπλετο φωτὶ τάδ' ἔρδειν.
Νούπιστοι καταδαιτὸν ἔχειν θυσίαν, κατὰ δ' αὐτὴν
Ὅστις ἂν ἡμετέρων χρησμῶν ἴδρις ἐς τόδ' ἵκηται,
Σεμνὸν Φοῖβον ἄνακτα μετελθέτω ἐν θυσίαισι,
Προφρονέως βωμοῖς ἐπὶ πίονα μηρία καύσας,
Αἰγῶν παλλεύκων νεάτην· ἀτὰρ οἴδατε πάντες,
Λισσέσθω Φοῖβον Παιήονα, κρᾶτα πυκάσσας,
Ἱκτῆρες πίπτοντες, ὅπως [λύσησθε κακοῖο].
Νοστήσας δ' ἀπὸ τοῦ βασιληΐδα πότνιαν Ἥρην,
Ἀργὴν βοῦν θύων πατρίοισι νόμοισι κατ' αἶσαν,
Ὑμνεῖν, αἵ κε γένει προφερέστεραι ὧσ' ἐνὶ λαοῖς,
Καὶ νήσων ναέται, τὴν ἀντιπάλων ὅτ' ἂν αἶαν
Οὐ δόλῳ, ἀλλὰ βίᾳ Κυμαΐδα πρόφρονες [αὖτε]
Νάσσονται, σεμνῆς βασιληΐδος [αἴκε τίθησθε]
Ἐν πατρίοισι νόμοις Ἥρας ξόανόν τε κατ' οἶκον.
Ἵξει δ', ἂν μύθοισιν ἐμοῖς τάδε πάντα [τιθέντες]
Σεμνοτάτην βασίλισσαν ἐπέλ[θητ'] ἐν θυσίαισιν.
Ἐν πολλῷ χρόνῳ αὖ τό τ' ἐφ' ὕστερον ὅσκεν ἐπ' αὐτοῖς
Νήφαλά κεν ῥέξας, ὅσαι ἡμέραι εἰς ἐνιαυτόν,
Ὅσκε τάδε ῥέξει, κείνου κράτος ἔσσεται αἰεί.

41. Ἀπιστόφιλος pro ἄπιστος vel ἀπιστίας φίλος, rara vox, sed occurrit in Sibyllinis christianis, lib. VIII, v. 186 : ita se invicem legebant et compilabant utrarumque partium sibyllistæ.

42. Ἔνθ' obscurum est, et durius sane constructa verba; sensus tamen elucet : Ἔξω δ' ἔστω, εἴ τινι ἀνόμιστόν ἐστι, vel ἔξω δ' ἔστω τοῦ τόπου ἔνθα, κ. τ. λ. Volebat Xylander, ἔνθα νομιστόν, contrario sensu : illuc nempe abeat, ubi fas est illi sacrificare.

46. Alterum hemistichium homericum est, Il. α, v. 40, et passim.

47. Αἰγῶν νεάτην quærimus ultimamne caprarum an tenerrimam intelligi deceat : nam utrumque vile foret sacrificium, indignumque tanto numine. Lege, nobis auctoribus, ἑκατόν.

49. Notanda syntaxis, interveniente subito plurali numero pro singulari. In fine cod. ὅπως λυσίης ἀκάκοιο, sine sensu : nos correximus.

52. Αἴ κε, pro quo male cod. αἶκε, Xylandro corrigente, refertur ad nomen subauditum, γυναῖκας. Deinde est in fine versus ἐνὶ λαοῖς, non ἐνὶ δήμῳ : refertur enim non ad Romanos tantum, sed ad socios omnes Latini nominis qui ad ea sacra convocantur, unde statim, καὶ νήσων ναέται.

58. Quæri potest quæ sint illæ insulæ : nam in ora Latii, præter Pontias, fere nullæ. Sed ipsas Pontias hic intelligendas monstravimus supra, p. 237. Et νήσων ναέται, Pontiani, qui olim pars Volscorum fuerant, Liv. IX, § 28, videntur tum Latini juris fuisse; iidem postea coloniam Romanam acceperunt, anno CDXLI : Liv. ibid., et Diod. XIX, § 101.

54. Cod. αὖται, sine sensu : nos correximus. Neque enim mulieres, sed viri possunt Cumanum agrum vi occupare. Tempus ergo proximum prædicitur, quo Romani vel eorum socii insulani bello sint Cumanum agrum occupaturi. Id consilii Romæ agitatum fuisse hinc collegimus supra, pag. 237; quod quidem Xviris præsertim, ob Cumanæ Sibyllæ memoriam, placuisse non est mirum.

Viscera proscindat; patriæ tum quisquis amicus.
Nemo etenim sacris incredulus, impius, adsit :
Turba profana foras, cui non hæc tangere fas est.
Tractent sacra pii, et soli ad convivia Divum
Accedant, nostris præbent qui versibus aurem.
Hi vero tibi, Phœbe, Deus venerande, litabunt,
Imponentque aris pinguissima fercula, capras
Candentes centum. Mea qui præcepta tenetis,
Suppliciter proni, velato vertice, Phœbum
Orate, ut vobis procul infortunia pellat.
Inde redux Junonem etiam placare memento.
Vacca tibi ritu patrio mactabitur alba;
Matronæque Deam celebrent, quæcumque tuarum
Prima tenent; simul et si quos alit insula ponti,
Hostilem terram quum vi, non fraude, tenebunt
Cumanam; siquidem divum regina favebit,
Olli si patria signum ponatis in urbe.
Ipsa aderit, si nostra Deam præcepta secutus
Rite coles a me monstratis jam tibi sacris.
Qui vero hæc, longi revoluto temporis orbe
Fecerit, et quocumque die quoscumque per annos
Sobria sacra feret, toto dominabitur ævo.

55. Codex νασσῶνται, solœco accentu, pro quo nos νάσσονται, magis quippe epicum quam νάσσωνται, etsi ὅταν præcessit. In fine cod. οἷς ἐπίθενται, barbare, ubi nos e conj. αἴ κε τίθησθε, non αἴκε τίθωνται : hoc enim Romanis imperatum videtur, non insulanis; confr. not. sq.

56. Cod. ἐν πατρίοισιν δμοῖς, quod jam Bastius correxerat; sed vide an ὅροις legendum sit. Post ξόανον vacat τέ, vitio apud malos poetas et in Sibyllinis nostris frequenti. Præstaret tamen κατὰ οἶκον. Sed utique intelligendum *domi*, *Romæ*, confirmantibus quæ mox sequentur, v. 64.

57. Ἵξει vel de ipsa Junone, vel de prædictorum eventu accipiendum est Et nota ἵξει pro ἵξεται positum, ut in proximo responso, v. 1, ἵκη pro ἵκηται. In fine cod. τίθηνται, barbare, ubi nos τιθέντες, quod tamen in sequente versu aliquid mutare nos coget.

58. Cod. ἐπέλθῃς, ubi nos e conj. ἐπέλθῃτ', ob allatam supra medelam.

59. Cod. plane ut nos, ubi αὐτόθ' indicavit olim Xylander, nos αὖθις legendum suspicamur : posset tamen conjici ἐν πολλῷ δὲ χρόνῳ καὶ ἐφ' ὕστερον, et id quidem magis placeret. In fine ἐπ' αὐτοῖς (an potius ἐν αὐτοῖς?) est pro ἐν ὑμῖν αὐτοῖς.

60. Rursus en tibi νήφαλα, ut supra, v. 22. Vix vero capimus ὅσαι ἡμέραι εἰς ἐνιαυτόν, et legendum videtur μίαν ἡμέραν, corrupta licenter ultima syllaba, sicut in Sibyllinis christianis, II, 227, et V, 240. At ne satis quidem patet quodnam fuerit annuum illud sacrum, quod cum ludis Apollinaribus nihil commune habuisse monuimus, imo re ipsa demonstravimus supra, p. 223, sqq. Nullum certe annuum, multo minus quotidianum sacrum institutum illo tempore reperimus. Forsitan hanc oraculi partem neglexerit senatus, publicarum impensarum arbiter; ac semel votum sacrum, non in omnes dies, neque in omnes annos, neque in perpetuum fuerit.

Νηφαλίμων ἀρνῶν τε ταμὼν χθονίοις τάδε ῥέξον,
Ἦμος ἂν ἤδη ἔχοις [μεγάλην θεὸν οὐκέτ' ἀπεχθῆ],
Ξεστ[οῖς ἐν] ξοάνοις, καὶ τἄλλ' ὅσ' ἔλεξα σαφ[ηνῆ]
Ἐν πετάλοισιν ἐμοῖς. Ὑπὸ κερκίδος ἀμφὶ καλύπτρας
Ἱμερτόν σε βαλεῖν γλαυκῆς ἐλάας πολυκάρπου
Ἀγλαὰ φύλλα λαβ[όντα] λύσιν κακοῦ, ἦμος ἂν ἔλθῃ
Ὕμμι χρόνος μάλα κεῖνος, ἐν ᾧ πότε τἄλλα νεο[γνῶν]
Τρω[θέντες] παύσ[εσθε] κακῶν, ἅμα δ' Ἑλλάδος ἐκ γῆς
Αὐτὰρ [σοὶ] μεταβᾶσαν ἐποτρύνεις ἀγορεῦσαι.

ΕΤΕΡΟΣ ΧΡΗΣΜΟΣ, ΩΣ ΕΚ ΤΩΝ ΣΙΒΥΛΛΙΑΚΩΝ ΒΙΒΛΩΝ· ΝΟΘΕΥΕΤΑΙ ΔΕ.

Ἀλλ' ὁπότ' ἂν μήκιστος ἵκῃ χρόνος ἀνθρώποισι
Ζωῆς εἰς ἐτέων ἑκατὸν δέκα κύκλον ὁδεύσας,
Μεμνῆσθαι, Ῥωμαῖε, καὶ εἰ μάλα λήσε' ἑαυτοῦ,
Μεμνῆσθαι τάδε πάντα· Θεοῖσι μὲν ἀθανάτοισι
Ῥέζειν ἐν πεδίῳ παρὰ Θύμβριδος ἄπλετον ὕδωρ,
Ὅππῃ στεινότατον, νὺξ ἡνίκα γαῖαν ἐπέλθῃ,
Ἠελίου κρύψαντος ἑὸν φάος, ἔνθα σὺ ῥέζειν,
Ἱερὰ παντογόνοις Μοίραις ἄρνας τε καὶ αἶγας

62. Subaudi κρέα : et χθονίους θεοὺς intellige deos infernos sive manes in fine sacrorum istorum placandos.

63. Cod. μεγαλήτην οὐκ ἀπάντη, sine sensu : nos correximus e conj. Μεγάλην autem θεόν Junonem hic intelligimus, cui sacra offerri, simulacrum erigi, iterum, ut supra, præcipitur.

65. Cod. ξεστοδόταν ξοάνησιν, et in fine δς ἔλεξασαφι (sic) : nos correximus. De simulacro Junoni erigendo confer supra, v. 56.

65. Ἐν πετάλοισιν ἐμοῖς alludit ad fabulam jam tum, ut videtur, vulgatam de Sibyllæ foliis. Deinde κερκίς est acus qua mulieres comam et velum (καλύπτραν) revinciunt.

66. Cod. ἱμερτός σε βάλεν : nos correximus, etsi pro ἱμερτόν (suppl. ἐστί) placeret magis ἱμείρω.

67. Cod. λαβοῦσα, solemni in manuscriptis mendo pro λαβόντα, de quo nos non semel ad Sibyllina nostra.

68. Dubium ὔμμι cum grammaticis an ὕμμι cum codice legas. Deinde τἄλλα scriptum videtur pro λοιπόν, εἰς τὸ λοιπόν. In fine cod. νεόγνη, ubi nos νεογνῶν e conj.

69. Cod. τρώσδητε παύσει σε, sine sensu : nos correximus.

70. Pro αὐτὰρ placeret αὖθις. Deinde σοὶ pro σοῦ fidenter reponi jubemus. Sibyllam intelligimus, spectata oraculorum veritate, rursus vocandam e Græcia, nempe Cumis : quanquam hoc figurate dictum; non enim Cumis, sed e Cumanis libris vocabitur Sibyllæ responsum. Pro ἐποτρύνεις rectius esset ἐποτρυνέεις, vel recentiori, more ἐποτρύνῃς, nisi animadvertissemus in isto præsertim verborum genere apud Sibyllistas christianos, et quidni etiam apud profanos? præsens sæpe tempus pro futuro usurpari, qua de re confer Exc. VII.

Tit. ad resp. II. Datum fingitur hoc responsum anno post Urbem conditam CCCLIII, quo ludos Sæculares renovatos narrat Zosimus. Sed obstat quod acro-

Insuper agnorum quoque sobria dona feruntor
Manibus infernis, præsentem quum tibi Divam
Feceris, erecto simulacro, et quæ tibi multa
In foliis sunt dicta meis. Dein tempora circum
Te jubeo crines olea redimire feraci,
Fronde salutari pellentem incommoda, donec
Adfuerit tempus, tibi quum jucunda malorum
Sorte nova dabitur requies, rursusque vocabis
Finibus a Græcis tua me tibi pandere fata.

Alterum responsum, tanquam ex Sibyllinis libris, sed incerta fide.

Quum vero humanæ longissima tempora vitæ
Transierint, centum atque decem vertentibus annis,
Tum, Romane, tui quantumvis immemor ipse,
Nostra memor fac jussa. Deos, æterna tenentes
Regna, sacris venerare, ubi magni Tibridis unda
Angusto magis amne fluit, nox humida quando
Incumbet terris, et sol quum lumina condet.
Agnos atque capras generantibus omnia Parcis

stichii lex in ipso minime servata est; et aliis indiciis proditur ætas recentior, de qua confer supra, p. 238, sq. Ceterum servatus est oraculi tenor a Phlegonte de Longævis, cap. 4, et Zosimo, lib. II, § 3, multum variante scriptura et in Zosimo plerumque meliore. Erudite de eo commentatus est Mitscherlichius ad Horatii carm. Sæc.

1. Rarus est aoristus ἱκεῖν, priore brevi, pro ἱκέσθαι. Citatur ἱκών e Pindaro semel, Pyth. XI, v. 47. Pro ἵκῃ tamen malimus ἵῃ cum Gallæo legi.

2. Apud Zosimum cod. Politiani δεκακύκλον habet una voce. De sæculo CX annorum confer Censorinum, cap. 17, et Phleg. ad h. l., et nos supra, p. 227. In fine Zos. ὁδεύων. Phleg. ὁδεύσας, ut nos.

3. Zos. vulgo, καὶ οὐ μάλα λῆσαι ἑαυτούς, sed Politiani codex, καὶ εἰ μάλα λήσεαι αὐτοῦ. Phleg. ut nos, nisi quod λήσει habet.

5. Phleg. ῥέξειν et Θύϐριδος. Zos. ut nos omnino.

6. Zos. vulgo ῥοπῇ, sed cod. Polit. ὄππη, sicut Phleg. et nos.

7. Zos. σε, non σύ. Phleg. ut nos.

8. Phleg. ποντογόνοις, et sic Zos. in vulg. Sed ibi codd. παντογόνοις, ut nos. Priorem lectionem tuetur Is. Vossius, allata Lycophronis auctoritate, apud quem Parcæ sunt, v. 144, sq., ἄμναμοι δηναιᾶς Ἁλός, recte interpretante scholiasta: τουτέστιν, ἔγγονοι τοῦ Ὠκεανοῦ. πατέρα τῶν θεῶν πάντων τὸν Ὠκεανὸν λέγει. Sed ista magis abstrusa mythologia est quam quæ falsario nostro innotuerit: nam usitatius Parcæ Noctis filiæ sunt. Et sane Lycophronis sensu ποντογενεῖς melius dicerentur quam ποντόγονοι. Vocis autem παντογόνος exempla sunt in lexicis: Parcas sic vocari intellige, quasi omnia sive omnigena procreantes; et memineris monstrosi cujusdam partus causa datum esse hoc responsum, unde et Εἰλείθυιαι mox adducentur.

Κυανέας. Ἐπὶ ταῖς δ' Εἰλειθυίας ἀρέσασθαι
Παιδοτόκους θυέεσσιν, ὅπη θέμις. Αὖθι δὲ Γαίῃ
Πληθομένῃ [χοῖρός τε καὶ ὗς ἱεροῖτο] μέλαινα.
Πάλλευκοι ταῦροι δὲ Διὸς παρὰ βωμὸν ἀγέσθων,
Ἤματι, μηδέ τε νυκτί· Θεοῖσι γὰρ οὐρανίδαισιν
Ἡμέριος πέλεται θυέων τρόπος· ὡς δὲ καὶ αὐτοῖς
Ἱρεύειν. Δαμάλης δὲ βοὸς δέμας ἀγλαὸν Ἥρης
Δεξάσθω νηὸς παρὰ σεῦ· καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων,
Ὅστε καὶ Ἠέλιος κικλήσκεται, ἶσα δεδέχθω
Θύματα Λητοΐδης· καὶ ἀειδόμενοί τε Λατῖνοι
Παιᾶνες κούροις κούρῃσί τε νηὸν ἔχοιεν
Ἀθανάτων· χωρὶς δὲ κόραι χορὸν αὐταὶ ἔχοιεν,
Καὶ χωρὶς παίδων ἄρσην στάχυς, ἀλλὰ γονήων
Πάντων ζωόντων οἷς ἀμφιθαλὴς ἔτι φύτλη.
Αἱ δὲ γάμου ζεύγλαισι δεδμημέναι ἤματι κείνῳ
Γνὺξ Ἥρης παρὰ βωμὸν ἀοίδιμον ἑδριόωσαι,
Δαίμονα λισσέσθωσαν, ἅπασι θελήματα δοῦναι
Ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξί, μάλιστα δὲ θηλυτέρῃσιν.
Πάντες δ' ἐξ οἴκοιο φερέσθων, ὅσσα κομίζειν
Ἐστὶ θέμις θνητοῖσιν ἀπαρχομένοις βιότοιο,
Δαίμοσι μειλιχίοισιν ἱλάσματα καὶ μακάρεσσιν.
Οὐρανίοις τάδε πάντα τεθησαυρισμένα κείσθω,
Ὄφρα τε θηλυτέρῃσι καὶ ἀνδράσιν ἑδριόωσιν
Ἔνθεν πορσύνῃς μεμνημένος· ἤμασι δ' ἔστω
Νυξί τ' ἐπασσυτέρῃσι θεοπρέπτους κατὰ θώκους

9. Phleg. et Zos. edd. vulg., κυανέας δ' ἐπὶ τοῖσδ', ut epitheton ad Εἰλειθυίας referatur, sine sensu. Sed apud Zos. cod. Polit. plane ut nos; et sic jam Mitsch correxerat. Porro Εἰλείθυιαι plurali numero ponuntur, ut apud Hom. Il. λ, 270. Horatius tamen in carm. Sæc. unam Ilithyam invocat duplici nomine, Lucinam et Genialem.

11. Phleg. πληθογενῆ, barbare, et χώροις δίς, sine sensu. Zos. vulgo ut nos, quanquam cod. Polit. χοῖρος ους θιερεύοιτο. Deinde Phleg. et Zos. vulgo ἱερεύοιτο, pro quo recte Mitsch. ἱεροῖτο, metri causa. Alii suaserant ἱροῖτο, more Ionum, sed absque causa idonea, quanquam infra, v. 15, ἱρεύειν.

12. Phleg. ζάλευκοι. Zos. vulgo, πάνλευκοι, sed in cod. Polit. πάλλευκοι, et in alio codice, teste Bastio, παλίλευκοι, unde facile πάλλευκοι reficitur. Sic quoque in priore responso, v. 47, αἰγῶν παλλεύκων, etsi nec πάνλευκος exemplis caret apud epicos saltem recentiores.

13. Zos. μηδ' ἐπὶ νυκτί et οὐρανίοισι. Phleg. ut nos.

14. Zos. vulgo, ὡς δὲ καὶ αὔτως, sine sensu; sed ibi cod. Polit. αὐτός, non fortasse male. Phleg. ut nos.

15. Apud Zos. codex Polit. ἱερεύειν. Deinde Phleg. δάμαλις δέ, ubi vulgo editum δαμάλεις δέ. Zos. vulg. δαμάλεις τε, sed codex Polit. δάμαλις δέ, et βοῶν, quod notandum, ubi ceteri βοός. Reposuit Mitsch. δαμάλης δὲ βοός, feliciter, audacter tamen, quoniam δαμάλη nusquam adjective sumptum reperitur.

17. Phleg. in codice, αἴσια δέχθω. Zos. ut nos.

18. Zos. vulgo καί non habet. Dein cod. Polit. αἰδόμενοι. Phleg. ut nos. Sed

Cæde memor. Tum cæruleas, nascentibus ævum
Pandentes, ultro veneraberis Ilithyias,
Quo fas cumque modo. Terræ mox omniparenti
Cum fœtu sus nigra suo; Jovis inde sub ara
Candentes tauri mactentur, sole nitente,
Non noctu : nam cælitibus sacra rite diurna
Sola placent. Post hæc sanctæ Junonis ad ædem
Bucula ducatur pinguis. Tum Phœbus Apollo,
Latona genitus, quem Solem nomine dicunt,
Ornetur paribus donis; omnesque Latini
Pæanas celebrent : pueri simul atque puellæ
Templa adeant Divum, choreas tamen inde puellæ,
Hinc pueri ducant, queis sit par omnibus ætas,
Et quibus incolumes vigeant utrique parentes.
At quæ connubii grato sunt fœdere vinctæ,
Illo genua die flectant Junonis ad aram,
Concilientque Deam, solatia nempe malorum
Matres utque viri capiant, sed plurima matres.
Munera quisque domo secum ferat omnia, quæ fas
Primitias vitæ superis offerre, benigni
Quo magis atque magis fiant et vota secundent.
Omnia cælitibus sint hæc cumulata per aras,
Unde tamen partem accipiant matresque virique
Qui sacris aderunt. Noctes ibi quippe diesque
Vis hominum præsens ad pulvinaria Divum

vide an Λατίνοις legendum, ut cum sequentibus construatur.

19. Phleg. παιᾶνες, ut nos, et sic apud Zosimum codex Polit.; sed vulgo, παιᾶνας, ut ἀειδόμενοι active capiatur, rarissimo mediæ vocis usu extra futurum in hoc verbo. Deinde Phleg. κούρῃσί τε, ut nos : Zos. κούραισί τε.

20. Bastius recte ἄγοιεν legi suasit, propter similem versus prioris finem, quo facile librarius falli potuit.

22. Construendum οἷς φύτλη γονήων ἐστὶν ἀμφιθαλής, id est utrinque florens, utrinque vivens et incolumis, ut sint pueri patrimi matrimique.

23. Bastius volebat αἳ δέ legi, hoc accentu. Deinde apud Zosimum cod. Polit. ζεύγλαις δεδμ.

25. Phleg. ἅπασι δὲ λύματα. Zos. θελήματα, ut nos, sed ibi cod. Polit. θελύματα. Damnat Mitscherl. vulgatam Zosimi lectionem, ut indoctam ac parum græcam; addere potuerat minus metro faventem : in altera tamen vacat δέ, et λύματα improprium videtur, quod vulgo sordes, non piacula significat; nec in sequenti versu satis apparebit cur feminæ magis quam viri piaculis egeant.

26. Phleg. θηλυτέραισιν. Zos. vulgo θηλυτέρῃσι, ubi cod. Polit. θηλυτέρῃσιν, ut nos. Sed variat in talibus lectio, nusquam sibi constantibus codd.

28. Ἀπαρχομένοις βιότοιο minus erit obscurum, si βιότοιο non de vita, sed de vitæ bonis intelligas, quorum primitiæ offeruntur.


30. Phleg. κεῖσθαι, ubi Zos. κείσθω, utrumque recte.

33. Phleg. ἐπασσυτέραισι. Zos. ut nos. Deinde Phleg. θεοπροπίους, ubi Zos. in

Παμπληθὴς ἄγυρις· σπουδή τε γέλωτι μεμίχθω.
Ταῦτά τοι ἐν φρεσὶ σῇσιν ἀεὶ μεμνημένος εἶναι,
Καί σοι πᾶσα χθὼν Ἰταλὴ καὶ πᾶσα Λατίνων
Αἰὲν ὑπὸ σκήπτροισιν ὑπαυχένιον ζυγὸν ἕξει.


vulg. θεοστέπτους, sed codex Polit. θεοπρέπτους, quæ unice vera lectio reliquis duabus initium dedit.

37. Hujus seu voti seu præsagii nimia superbia (Romanorum enim ambitio, quamvis præcox, mirum si tam cito ausa esset Italiæ servitutem minari) visa est nobis ætatem arguere recen-



Ingens sit numero, miscens et seria ludis.
Hæc adeo tibi sint memori bene condita mente :
Itala sic tellus omnis tellusque Latina
Perpetuo domitum flectet juga sub tua collum.

tiorem multo quam annum Urbis conditæ CCCLIII a Zosimo designatum (confer not. ad tit.); atque inde suspicati sumus confictum hoc fuisse responsum, Augusto jam rebus potito, quum de renovandis Sæcularibus ludis ageretur : confer que de ea re dicta sunt supra, pag. 238, sqq.



EXCURSUS IV.

DE SIBYLLINIS APUD VETERES CHRISTIANOS CARMINIBUS.

Primævos Ecclesiæ scriptores, inque iis sanctissimos doctissimosque Patres, multum Sibyllis tribuisse, quod in earum carminibus multa reperiri putarent ad revincendos gentilium errores idonea, non est quod ambigi possit. Plenus est Justinus, pleni Theophilus Antiochenus et Clemens Alexandrinus, plenus in primis Lactantius Sibyllæ vel Sibyllarum testimoniis ac laudibus. Nemo fere est antiquorum Patrum, præsertim Græcorum, secundo tertiove sæculo scribens, qui non versus aliquot Sibyllinos proferat, interdum etiam lacinias carminum satis grandes, quale est Proœmium a Theophilo servatum. Habuerunt igitur ad manum Sibyllinos vel quos pro Sibyllinis acciperent libros: eosque libros ad Sibyllina carmina, qualia sunt a nobis edita, proxime accessisse non est argumentis demonstrandum, siquidem res ipsa docet. Infra enim, designatis ipsis locis, ostendemus fragmenta, quæ apud Patres, eadem in nostris quoque Sibyllinis ipsissima legi, et quidem suum ibi locum servantia, non vi intrusa nec dolo intercalata, sicut attentius legenti cuivis apparet. Quando igitur de Sibyllinis hodiernis in Excursu V disputabimus, quæcumque ibi de eorum carminum origine naturaque dicentur, ea non minus ad ipsorum fragmenta apud Patres obvia pertinebunt. Interim nobis in hoc Excursu id tantum proponitur, ut quis usus fuerit illorum carminum apud veteres christianos scriptores, quid et quibus e libris unusquisque desumpserit, quodnam de singulis universisque libris fuerit cujusque judicium, inquiramus.

Atque ut de universis primum agamus, minime mira est sanctorum Patrum erga Sibyllinos libros veneratio. Insederat enim illorum animis ea persuasio, fuisse apud gentiles sive unam sive plures feminas vates, quibus partem aliquam prophetici spiritus supremum numen infudisset, ad convincendas erroris suorum mentes, easque vel a fœdæ superstitionis nocte retrahendas vel accipiendæ divinæ luci præparandas. Hoc Justinum, hoc Clementem, hoc Theophilum, hoc Lactantium ceterosque sensisse, clarissimis infra testimoniis evincetur. Itaque cum divinis illas Prophetis sæpe conjungebant, nisi quod, ut opinamur, qui rectius de ea re sentiebant aut diligentius lo-

quebantur, hoc fere discriminis inter utrosque statuebant. Prophetas nempe intelligebant Dei monitu vaticinatos esse, ceterum sui compotes atque conscios. Id Montanus negaverat aiens τοὺς προφήτας κατεχομένους παρὰ Θεοῦ μὴ εἰδέναι ἃ λέγουσι, teste auctore Synopseos Prophetarum ab Hœschelio et Ritterhusio editæ; id vero orthodoxi omnes contendunt, Irenæus, Origenes, Epiphanius, inprimis Chrysostomus, Homil. XXIX in epist. I ad Cor., cujus locus de hac re apud theologos classicus est. Contra Sibyllas existimabant, ut ceteros omnes profanos vates, quoties Deo volente vera prædicerent, cæco impulsu raptas ea cecinisse, quid loquerentur ignaras. Atque id ipsæ de se fatentur in nostris libris, III, v. 4, sq. et XII, v. 295, sq.: Οὐδὲ γὰρ οἶδα ὅττι λέγω vel οἷα λέγω, ipsis plane verbis utentes Platonis in Menone, p. 387, ubi vates dicuntur multum sæpe civitatibus profuisse, οὐδὲν εἰδότες ὧν λέγουσι. Confer ista Platonis verba laudantes et ad Sibyllam referentes Justinum, Adm. ad Gr. anonymumque præfatorem ad Sibyllinos libros; eadem vero ad sanctos Prophetas pertinere acerrime negantem Chrysostomum, loc. supra cit. Hac excepta lege, veteres illi Christiani divinum spiritum Sibyllis concedebant, quo se ipsa in suis carminibus ubique jactat, præsertim in prologis et epilogis librorum. Atque ita volentes nolentes accedebant ad Heracliti ceterorumque Græcorum de Sibyllis suis sententiam, divinitus illas cecinisse profitentium (cfr. Exc. I, cap. 1), quam sententiam usque ad deteriora Romani imperii tempora apud gentiles durasse, satis est demonstratum in Excursibus II et III. Huic omnium suorum concentui unus olim obstrepuerat Aristoteles, qui, utpote reipsa, non nomine tantum philosophus, furorem illum fanaticum ad melancholicam intemperiem primus retulit, viamque hanc, ut multas alias, recentioribus aperuit, Problem. sect. 30, quæst. 1, citatus jam a nobis in Exc. I, cap. 1. Longe vero ab illa peripatetica sententia aberant primorum sæculorum Patres: itaque raro illorum quemquam inveniemus de divino Sibyllarum œstro dubitantem per ducentos fere annos; apud Græcos tertio tantum sæculo inclinatam notabimus auctoritatem istarum vatum; apud Latinos vero diutius immotam, ita ut divus ipse Augustinus unam ex earum grege in fidelium consortium pæne admissurus fuerit, de Civ. Dei, lib. XVIII, cap. 23: «Ut in eorum, inquit, numero deputanda videatur, qui pertinent ad «civitatem Dei.» Sed quo quis facilius prosequi possit incrementa ac decrementa christianæ erga Sibyllas ac Sibyllina venerationis, repetendæ sunt hujus apud Nostros traditionis origines, nec ad initia tantum nostræ religionis, sed etiam paulo altius remeandum est.

Antiqui Patres, theologiæ nostræ conditores, Græci præsertim aut

qui græce scripserunt, multa sine dubio a Judæis Alexandrinis sive hellenistis acceperunt. Porro constantem apud eos repererant Sibyllæ famam Babyloniæ seu Chaldææ, sive, quam plerique eamdem putabant, Erythrææ, quæ Sibyllinorum oraculorum hodie exstantium partes quasdam, omnium antiquissimas solasque tum notas, lib. III, § 2 et 4, composuisse credebatur. Namque istas partes diximus jam et plenius in Excursu V ostendemus ante Christi adventum scriptas fuisse, regnante apud Ægyptios Philometore. Quarum ex initio, nempe ex libro III, v. 97, sqq., Abydenus jam olim (non ille Aristotelis, sed recentior, secundo, ut videtur, ante Christum sæculo desinente vivens), atque ex ejus fide Eupolemus et Polyhistor (confer notata ad ipsum versum) de turri Babylonia ventis eversa locum quemdam celeberrimum attulerant, eumdem quem postea Josephus Judæus (confer not. ibid.) ipse quoque retulit, nec dissimulata origine; ait enim: Περὶ δὲ τοῦ πύργου τούτου..... μέμνηται καὶ Σίβυλλα λέγουσα οὕτως, additque nonnulla consona omnino Sibyllinis nostris.

Ergo hæc secundo ante Christum sæculo composita, jamque ab illo tempore scriptoribus etiam profanis nota, vulgata præsertim fuisse palam est apud Judæos hellenistas, a quibus ad Christianos transire facile potuerunt.

Apud Nostros autem vel ante Josephi scripta et sub ipsis nostræ religionis incunabulis magnam fuisse illorum carminum famam oporteret, si verum esset quod tradit Clemens Alexandrinus, Strom. lib. VI, p. 761, ed. Oxon., ipsum gentium apostolum, strenuum illum nostræ fidei propagatorem, Paulum, ad Sibyllina legenda auditores suos apertissimis verbis provocasse, tanquam multa ibi de uno Deo deque futuris rebus inventuros: Λάβετε, inquit, καὶ τὰς Ἑλληνικὰς βίβλους, ἐπίγνωτε Σίβυλλαν, ὡς δηλοῖ ἕνα Θεὸν καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι. Scimus doctis nonnullis atque inprimis Cotelerio, omnium, qui hæc studia attigerunt, nobis judicibus, facile principi, visa esse Clementis illa verba, non Pauli. Sed errasse virum sagacissimum facile agnoscet, qui locum Clementis integrum relegerit: Ἐπεὶ ὅτι καθάπερ Ἰουδαίους σώζεσθαι ἐβούλετο ὁ Θεὸς τοὺς προφήτας διδούς, οὕτως καὶ Ἑλλήνων τοὺς δοκιμωτάτους οἰκείους αὐτῶν τῇ διαλέκτῳ προφήτας ἀναστήσας, ὡς οἷοί τε ἦσαν δέχεσθαι τὴν παρὰ Θεοῦ εὐεργεσίαν, τῶν χυδαίων ἀνθρώπων διέκρινεν, δηλώσει πρὸς τῷ Πέτρου κηρύγματι ὁ ἀπόστολος λέγων Παῦλος· Λάβετε καὶ τὰς ἑλληνικὰς βίβλους, ἐπίγνωτε Σίβυλλαν, ὡς δηλοῖ ἕνα Θεὸν καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι· καὶ τὸν Ὑστάσπην λαβόντες ἀνάγνωτε, καὶ εὑρήσετε πολλῷ τηλαυγέστερον καὶ σαφέστερον γεγραμμένον τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ καθὼς παράταξιν ποιήσουσι τῷ Χριστῷ πολλοὶ βασιλεῖς, μισοῦντες αὐτὸν καὶ τοὺς φοροῦντας τὸ ὄνομα αὐτοῦ, καὶ τοὺς πιστοὺς αὐτοῦ, καὶ τὴν ὑπομονὴν καὶ τὴν

παρουσίαν αὐτοῦ. In his continuus sententiarum ordo, ac vel illud ipsum participium λέγων satis aperte monstrat, omnia post vocem λάβετε Paulo ipsi a Clemente tribui, perinde nunc ejus verbis utente, quemadmodum haud multo antea Petri testimonium attulerat.

Atenim hæc Paulus dicere non potuit. — Nec nobis id probabile videtur, etsi per se non absurdum. Minime quippe eum putamus a Sibyllæ aut Hystaspis operibus, si ipsa ob manus habuisset, ac si res ita tulisset, citandis abstenturum fuisse, qui Epimenidem vatem; qui etiam Menandrum comicum allegare non dubitavit. Sibyllæ vero partes quasdam potuisse illi præsto esse monstravimus. Quod ad Hystaspem attinet, magis ambiguum est utrum a divo Paulo tractari potuerint ejus libri, ii saltem qui sub isto nomine secundo sæculo cursitabant, a Justino martyre non semel citati, de quibus nos plura in Exc. V. Nam ex eorum fragmentis indiciisve paucissimis quæ apud Justinum, Clementem et Lactantium exstant, difficile est tuto dicere judaïcæne an potius christianæ fuerint originis (alterutrum certe necesse est). Ipsum hoc, de quo nunc agitur, testimonium, licet aperte scriptum de Christi exspectatione, ὑπομονῇ, deque ejus adventu, παρουσίᾳ, et de persecutione adversus ipsum et discipulos oritura, καθὼς παράταξιν ποιήσουσι τῷ Χριστῷ πολλοὶ βασιλεῖς μισοῦντες αὐτὸν καὶ τοὺς φοροῦντας τὸ ὄνομα αὐτοῦ καὶ τοὺς πιστοὺς αὐτοῦ, etsi christianum magis videtur, judaïcum revera esse posset: vix enim differt ab iis quæ in Sibyllinorum nostrorum judaïca parte leguntur, lib. III, v. 663, sqq.:

Ἀλλὰ πάλιν βασιλῆες ἐθνῶν ἐπὶ τήνδε τε γαῖαν
Ἀθρόοι ὁρμήσονται, ἑαυτοῖς κῆρα φέροντες.
Σηκὸν γὰρ μεγάλοιο Θεοῦ καὶ φῶτας ἀρίστους
Πορθεῖν βουλήσονται, κ. τ. λ.

Quæ tamen non ideo notamus, ut vel pseudo-Hystaspi antiquitatem nimiam, vel authenticam fidem ipsi pseudo-Paulino testimonio asseramus. Ductum enim nobis hoc videtur ex aliquo primi sæculi desinentis vel secundi incipientis apocrypho, ac potissimum e Pauli actis, quæ citantur, Παύλου πράξεις, ab Eusebio, Hist. eccl. lib. III, c. 25: quo ex insincero fonte falsam divi Pauli allocutionem Clemens hausisse videtur, quemadmodum supra divi Petri dictum ab eodem allatum fuerat procul dubio non ex ipsius Apostoli catholicis epistolis, sed ex apocryphis ejus Actis, Πράξεσιν, pariter ab Eusebio citatis, aliisve talis argumenti libris; plures enim fuerunt, ut Πέτρου ἀναγνωρισμός, nunc latine superstes, Πέτρου κήρυγμα, Πέτρου ἀποκάλυψις, κ. τ. λ. Lactantius quidem Petri et Pauli prædicationem, quæ Romæ facta erat, suo tempore exstare docet, nonnullaque ex ea profert, lib. IV,

cap. 21. De quibus omnibus adeundus maxime Fabricius in Cod. Apocryph. N. T. Nos id tantum hactenus ostendere voluimus, apocryphorum auctores qui ante sæculi II mediam partem scripserunt, Sibyllinorum nostrorum quædam non legisse tantum, sed ut multo se antiquiora laudasse.

Hoc vero commune fuisse illius totius ævi judicium, tuto asseri potest. Quo minus huc referre dubitamus Hermæ quoque locum, qui dicitur Pauli discipulus fuisse et librum reliquisse qui Pastor inscribitur, omnium fere christianorum librorum, excepta sacra supellectile, antiquissimum, scriptum circa primi sæculi extremos annos. Ibi in visione quadam prophetica, lib. I, vis. 1, § 2, Sibyllæ nomen allatum invenitur his verbis : « Hæc me recogitante et discernente in corde « meo, video contra me cathedram de lanis candidis, sicut nix, factam « magnam. Et venit mulier anus in veste splendida, habens librum in « manu, et sedit, et salutavit me... Quumque finisset verba hæc, ait « mihi : Vis audire me legentem? Dico ei : Domina, volo. Esto ergo « auditor. Et revoluto libro legebat gloriose et magnifice et mirifice, etc. » De qua deinde, in proxima visione, § 4 : « Anum illam, « [inquit Angelus], a qua accepisti librum, quam putas esse? Et ego « dixi : Sibyllam. Erras, inquit; non est. Quæ est ergo, Domine? Et « dixit mihi : Ecclesia Dei est. » En igitur, non a Paulo quidem, sed a Pauli discipulo citatum cum quadam reverentia Sibyllæ nomen, ut appareat quam præcox in Ecclesia fuerit illius nominis veneratio.

At fortasse suspicabitur aliquis Σίβυλλαν in græco textu non legisse latinum interpretem. Quid enim, si μάντιν aut προφῆτιν latine Sibyllam vertit, proximis vocabulis pro synonymis utens? Id vero nobis nequaquam probatur. Primum enim non est cur dubiam faciamus interpretis fidem, quam potius nimiam fuisse monstrat totius orationis forma græca magis quam latina. Deinde si μάντιν aut προφῆτιν scriptum fuisse putes, frigebit ac pæne sensu carebit totus hic locus, in quo Sibyllæ nobilis et claræ, non prophetissæ cujusvis imago describi videtur : « Et venit mulier anus... habens librum in manu... Anum « illam quam putas esse? Et ego dixi : Sibyllam. »

Nec Sibyllam tantum, nisi fallimur, sed Cumanam. Quando enim fingitur Hermas hac visione frui? Tum nempe quum proficisceretur ipse Cumis, si sana est editorum conjectura, vis. 2, § 1, ubi codd. : « Cum vero proficiscerer cum his, » sensu inani, quoniam de comitibus nulla antea mentio facta erat. Et quid mirum si Cumani antri miraculis Cumanisque traditionibus recens imbutus, Sibyllam, de qua tam multa fando audiverat, sibi videbatur agnoscere? Verum ut in sacra visione christianus homo Sibyllæ meminerit, oportet non profa-

nam prorsus ei visam fuisse istius feminæ personam, sed aliqua religione mixtam : quod plane convenit cum iis quæ modo dicebamus de vulgata apud primos Christianos Sibyllæ veneratione.

Coævus Hermæ, ideoque statim post illum laudandus, vixit Clemens Romanus, qui ultimo primi sæculi anno martyrium obiisse dicitur. Is in epistola ad Corinthios Sibyllæ testimonium protulerat de judicio per ignem futuro, si fides habenda est auctori incerto, sed perantiquo, Quæstionum ad Orthodoxos, quæ vulgo sub Justini martyris nomine feruntur. Ibi enim hæc leguntur, Resp. ad quæst. 74 : Εἰ τῆς παρούσης καταστάσεως τὸ τέλος ἐστὶν ἡ διὰ τοῦ πυρὸς κρίσις τῶν ἀσεβῶν, καθά φασιν αἱ γραφαὶ προφητῶν τε καὶ ἀποστόλων, ἔτι δὲ καὶ τῆς Σιβύλλης, καθώς φησιν ὁ μακάριος Κλήμης ἐν τῇ πρὸς Κορινθίους ἐπιστολῇ. At hodie nusquam hoc legitur in Clementis epistolis; sed legi olim potuit. Nam Irenæus, adv. Hær. lib. III, cap. 3, de eadem ad Corinthios epistola aliquid non ita dissimile profert, quum ibi prædictum scribat « unum « Deum omnipotentem, factorem cæli et terræ, plasmatorem hominis, « qui induxerit cataclysmum et advocaverit Abraham, qui eduxerit « populum de terra Ægypti, qui collocutus sit Moysi, qui legem dis- « posuerit et prophetas miserit, qui ignem præparaverit diabolo et « angelis ejus. » Quæ quidem omnia Clementis epistola I ad Corinthios, sparsa licet vel aliter distributa, continentur, præter ultimum : « Qui ignem præparaverit diabolo et angelis ejus. » Quidni igitur hoc quoque ibi olim infuit, temporis injuria nunc suppressum, in lacuna grandiore quæ post § 57 sub finem epistolæ patet? Quod si ibi de igne malis angelis parato agebatur, quidni etiam de judicio supremo, et quod affirmat pseudo-Justinus, de judicio per ignem?

Quanquam isti virorum doctorum conjecturæ nimium insistere nolimus. Forsan enim in Quæstionibus ad Orthodoxos auctoris memoria vacillaverit, et Clementis epistolæ falso tributa fuerint quæ in Constitutionibus Apostolicis, interdum Clementi ascriptis, sub Sibyllæ nomine proferuntur. Ibi enim, Constit. lib. V, cap. 7, ita scriptum : Εἰ δὲ χλευάζουσιν Ἕλληνες, ἀπιστοῦντες ταῖς ἡμετέραις γραφαῖς, πιστωσάτω αὐτοὺς κἂν ἡ αὐτῶν προφῆτις Σίβυλλα [falso codd. et fortasse per contemptum Ἄβυλλα], οὕτω πως αὐτοῖς λέγουσα κατὰ λέξιν,

Ἀλλ' ὁπότ' ἤδη πάντα τέφρα σποδόεσσα γένηται,
Καὶ πῦρ κοιμίσσῃ Θεὸς ἄσπετον, κ. τ. λ.

Sequuntur decem versus e nostrorum Sibyllinorum libro IV, v. 174 (178), sqq., post quos ita pergit oratio : Εἰ τοίνυν καὶ αὐτὴ τὴν ἀνάστασιν ὁμολογεῖ, καὶ τὴν παλιγγενεσίαν οὐκ ἀρνεῖται, διακρίνει δὲ τοὺς ἀσεβεῖς ἐκ τῶν ἀσεβῶν, μάτην ἄρα τοῖς ἡμετέροις ἀπιστοῦσιν. Grave hoc de carminum nostrorum, quarti certe libri, antiquitate documentum. Nam

Constitutiones apostolicas, etsi quibusdam locis interpolatas, magna saltem ex parte ad primi sæculi finem vel ad secundi initium pertinere, frustra velit aliquis infitiari. Atqui nihil est in hoc præsertim capite, quo hæc continentur quæ supra diximus, quod vel interpolationem prodat, vel etiam interpolationi locum dare potuerit. Quare sive Clemens hoc scripsit, sive aliquis ei suppar vel brevi intervallo subsecutus, en tibi Sibyllina nostra pro veris habita et citata ante sæculi secundi mediam partem; idque adeo manifestius erit, si is locus innotuerit, ut diximus, auctori Quæstionum ad Orthodoxos, non multo natu minori, sive Justinus demum, sive pseudo-Justinus fuit.

Jam autem ad verum certumque Justinum devenimus quem constat sub Antonino Pio scripsisse, secundo sæculo fere medio; atque hic jam non conjecturis aut tenuibus vestigiis insistemus, sed plenam de Sibylla ejusque libris doctrinam reperiemus, Cohort. ad Græc. § 37 : Ἔσται δὲ ὑμῖν ῥαδίως τὴν ὀρθὴν θεοσέβειαν ἐκ μέρους παρὰ τῆς παλαιᾶς Σιβύλλης ἔκ τινος δυνατῆς ἐπιπνοίας διὰ χρησμῶν ὑμᾶς διδασκούσης μανθάνειν ταῦθ' ἅπερ ἐγγὺς εἶναι δοκεῖ τῆς τῶν προφητῶν διδασκαλίας. Ταύτην δὲ ἐκ μὲν Βαβυλῶνος ὡρμῆσθαί φασι,..... εἰς δὲ τὰ μέρη τῆς Καμπανίας οὐκ οἶδ' ὅπως διαβᾶσαν, ἐκεῖ τοὺς χρησμοὺς ἐξαγορεύειν ἔν τινι Κούμᾳ οὕτω καλουμένῃ πόλει, κ. τ. λ. Ταύτης δὲ τῆς Σιβύλλης ὡς χρησμῳδοῦ πολλοὶ μὲν καὶ ἄλλοι τῶν συγγραφέων μέμνηνται, καὶ Πλάτων ἐν τῷ Φαίδρῳ. Δοκεῖ δέ μοι τοῖς ταύτης χρησμοῖς ἐντυχὼν ὁ Πλάτων τοὺς χρησμῳδοὺς ἐκθειάζειν, κ. τ. λ. Alludit deinde ad incomptam ac sæpe claudicantem Sibyllæ poesim, quam excusare nititur, atque ita pergit : Πλὴν ἀλλ'... ἀφέμενοι λοιπὸν τῆς τῶν μέτρων καὶ λόγων ἀκριβείας, τοῖς ὑπ' αὐτῆς εἰρημένοις ἀφιλονείκως προσέχοντες, γνῶτε πόσων ὑμῖν ἀγαθῶν αἰτία ἔσται, τὴν τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἄφιξιν σαφῶς καὶ φανερῶς προαγορεύουσα· ὃς τοῦ Θεοῦ ὑπάρχων Λόγος, ἀχώριστος δυνάμει, τὸν κατ' εἰκόνα καὶ ὁμοίωσιν Θεοῦ πλασθέντα ἀναλαβὼν ἄνθρωπον, τῆς τῶν ἀρχαίων ἡμᾶς προγόνων ἀνέμνησε θεοσεβείας, ἣν οἱ ἐξ αὐτῶν γενόμενοι ἄνθρωποι καταλιπόντες, διδασκαλίᾳ βασκάνου δαίμονος ἐπὶ τὴν τῶν μὴ θεῶν ἐτράπησαν θρησκείαν... Post quæ velut perorans Justinus : Πείσθητε, inquit, τῇ ἀρχαιοτάτῃ καὶ σφόδρα παλαιᾷ Σιβύλλῃ, ἧς τὰς βίβλους ἐν πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ σώζεσθαι συμβαίνει περὶ μὲν τῶν λεγομένων θεῶν, ὡς μὴ ὄντων, ἀπό τινος δυνατῆς ἐπιπνοίας διὰ χρησμῶν ἡμᾶς διδασκούσῃ, περὶ δὲ τῆς τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μελλούσης παρουσίας καὶ περὶ πάντων τῶν ὑπ' αὐτοῦ γίνεσθαι μελλόντων σαφῶς καὶ φανερῶς προαναφωνούσῃ. Ἔσται γὰρ ὑμῖν ἀναγκαῖον προγύμνασμα ἡ τούτων γνῶσις τῆς τῶν ἱερῶν ἀνδρῶν προφητείας.

In hoc testimonio præcipue notanda hæc sunt :

1° Credidisse Justinum, Sibyllam illam, a qua libri quidam Christianis faventes conscripti essent, a Cumana diversam non fuisse; ne-

que vero differre Cumanam a Chaldæa seu Babylonia, quam Berosi filiam ipse facit, absurde sane (confer Exc. I, cap. 15); de Babylone tamen quod dicit, hausit procul dubio e Sibyllinorum libro III, sqq.:

Ταῦτά τοι Ἀσσυρίης Βαβυλώνια τείχεα μακρὰ
Οἰστρομανὴς προλιποῦσα.....

2° Non dubitasse Justinum quin Sibylla, etsi profana, divino tamen aut saltem arcano aliquo instinctu mota cecinisset, ἔκ τινος δυνατῆς ἐπιπνοίας, et rursus infra, ἀπό τινος δυνατῆς ἐπιπνοίας, unde et illam proxime ad sanctos Prophetas accessisse putavit, ἐγγὺς εἶναι δοκεῖ τῆς τῶν προφητῶν διδασκαλίας. Quod in mente habuit alio etiam loco sanctus Pater, nempe Apolog. I, § 44, ubi Sibyllæ et Hystaspis et Prophetarum libros nullo discrimine commiscuit, τὰς Ὑστάσπου ἢ Σιβύλλης ἢ τῶν προφητῶν βίβλους.

3° In iis libris, quos pro Sibyllinis habuit Justinus, multatam male fuisse gentium superstitionem, deque uno Deo præclara ibi infuisse testimonia ac de falsorum numinum vanitate, περὶ τῶν λεγομένων θεῶν, ὡς μὴ ὄντων. Quod supra, Cohort. § 16, allatis ipsis versibus ostenderat: nam tredecim illic proferuntur, fragmentis tribus divisi, qui omnes hodie in editione nostra suis locis legi possunt:

Εἷς Θεὸς, ὃς μόνος ἐστίν, κ. τ. λ. Proœm. v. 7-10.
Ἡμεῖς δ' ἀθανάτοιο Θεοῦ, κ. τ. λ. Lib. III, v. 721-724.
Ὄλβιοι ἄνθρωποι, κ. τ. λ. Lib. IV, v. 24-31.

Quæ quum recitasset oracula Justinus, et alia quædam ex Orpheo addidisset, rursus ad Sibyllina redit infra, § 38, his verbis: Πείσθητε Ὀρφεῖ ταῦτ' εἰρηκότι ἃ μικρῷ πρόσθεν γέγραφα, καὶ τοῖς λοιποῖς, καὶ τοῖς τὰ αὐτὰ περὶ ἑνὸς Θεοῦ γεγραφόσι πείσθητε. Illos enim τοὺς λοιποὺς de Sibylla inprimis accipi necesse est.

4° Nec vero de unitate tantum Dei contra idolorum falsitatem, sed de Christo etiam præclara inerant iis libris testimonia. Ibi enim, docente ipso Justino, aperte prædicebat Sibylla Servatoris nostri adventum, τὴν τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἄφιξιν σαφῶς καὶ φανερῶς προαγορεύουσα, qui quum vere divinum esset Verbum, τοῦ Θεοῦ ὑπάρχων Λόγος, hominem suscepisse canebatur ad imaginem Dei formatum, τὸν κατ' εἰκόνα καὶ ὁμοίωσιν Θεοῦ πλασθέντα ἀναλαβὼν ἄνθρωπον, eumque ad veram religionem revocasse, a qua olim decepti a dæmone mortales, διδασκαλίᾳ βασκάνου δαίμονος, ad idolorum cultum deflexissent. Porro hæc omnia ad Sibyllinorum nostrorum librum VIII, § 2, pertinent, in quo Redemptoris adventus gestaque ab eo in terris pæne omnia tam clare et aperte, σαφῶς καὶ φανερῶς, designantur, ut palam non vaticinari Sibylla, sed evangelia transcribere videatur. Confer ipsam sic loquentem, v. 285 et 259, sqq.:

Καὶ Λόγος ὁ κτίζων μορφάς.....
.... Καὶ μορφώσει τὸν ἀπ' ἀρχῆς
Ἄνθρωπον πλασθέντα Θεοῦ παλάμῃσιν ἐν αὐταῖς,
Ὅν τ' ἐπλάνησεν ὄφις δολίως,.....
Ὥστε Θεὸν προλιπόντα λατρεύειν ἔθνεσι θνητοῖς.

An non ipsa poetæ verba ruptis numeris apud Justinum modo legebamus? Et quod addit Justinus, κατ' εἰκόνα καὶ ὁμοίωσιν Θεοῦ, nonne statim in eodem Sibyllæ libro legitur, v. 265, sq.:

Ποιήσωμεν, τέκνον, ἄμφω
Εἰκόνος ἐξ ἰδίης ἀπομαξάμενοι βροτὰ φῦλα,

et paulo post, v. 402:

Εἰκών ἐστ' ἄνθρωπος ἐμή.

Etiam in Justini Oratione ad Græcos, § 5, Sibyllinum hoc esse putamus, ex aliquo nempe deperdito nunc loco, forsan e Prooemii lacuna: Θείῳ λόγῳ παιδεύθητε καὶ μάθετε βασιλῆα ἄφθαρτον. Quamvis enim fracti sint numeri, versuum initia facile refingi possunt:

Παιδεύθητε λόγῳ.....
Ἄφθαρτον βασιλῆα.....

Quorum posterius saltem, quin e poeta desumptum sit, nemo ambiget. Sibyllinum tamen esse suspicamur magis] quam contendimus, quia in nostris hodie libris desideratur, et aliunde peti potuit; neque multum instaremus, nisi statim mentio fieret τύπων εὐμορφίας, de formæ humanæ pulcritudine, quod nos vel invitos remittit ad Sibyllini libri III versum 27:

Αὐτὸς στήριξεν μερόπων μορφήν τε τύπον τε,

versum a Lactantio quoque citatum, ac nisi fallimur e Prooemio Sibyllino olim pleniore desumptum: confer not. ad Sibyll. fragm. 2, et quæ de eo loco disserentur in Exc. V.

In prima autem Justini ejusdem Apologia, § 9, alia succurrit Sibyllæ imitatio de diis prava hominum veneratione factis, οὓς ἄνθρωποι μορφώσαντες καὶ ἐν ναοῖς ἱδρύσαντες Θεοὺς προσωνόμασαν. Sibyllina sunt verba, lib. VIII, v. 379, sq.:

Χερσί τε μορφώσαντες ἐπ' εἰδώλοισιν ἀναύδοις,
Δοξάζουσι λιταῖς, κ. τ. λ.

Ibidem etiam, § 20, mentio fit orbis per ignem perituri: Καὶ Σίβυλλα δὲ καὶ Ὑστάσπις γενήσεσθαι τῶν φθαρτῶν ἀνάλωσιν διὰ πυρὸς ἔφασαν, quod procul dubio ad libri IV versus ultimos jam a nobis citatos (confer supra p. 259) referendum est.

In Apologia II, § 12, Θεὸν τὸν πάντων ἐπόπτην desumpsit fortasse Justinus e Prooemio Sibyllino, v. 4:

Ὕψιστον γνώστην πανεπόπτην,

quanquam idem legitur epitheton in Clementis quoque Romani epistola I, § 58, ubi ὁ παντεπόπτης Θεὸς vocatur, et ejusdem prosapiæ verba, παντόπτης, πανόπτης, apud tragicos haud rara sunt.

Quod si ad Justini dialogum cum Tryphone deveniamus, pauciora, sed nonnulla tamen ibi quoque reperiemus a Sibyllinis parum diversa, ut quod legitur, § 11 : Οὐκ ἔσται ποτὲ ἄλλος Θεὸς, ὦ Τρύφων, οὔτ' ἦν ἀπ' αἰῶνος, πλὴν τοῦ ποιήσαντος καὶ διατάξαντος τόδε τὸ πᾶν, sumptum forsitam e sacris libris, simillimum tamen illi versui qui a Sibylla frequens usurpatus reperitur :

Μοῦνος γὰρ Θεός ἐστι, καὶ οὐκ ἔστι Θεὸς ἄλλος.

Quanquam his omissis, quorum origo minus certa est, ultro subsistimus in iis quæ certissima modo e ceteris Justini operibus eruta protulimus : e quibus satis patet, familiares illi fuisse Sibyllinorum nostrorum partes quasdam, Procœmium nempe et libros III (saltem III, § 4), IV, VIII (saltem VIII, § 2), de quibus ipse non ut raris loquitur neque ut sibi vel soli vel inter paucos cognitis, sed ita ut appareat frequentem illam atque assiduam Christianorum fuisse lectionem, etiam capitis periculo, si verum est illud quod addit, pœnam mortis lege propositam esse, iis qui Sibyllæ vel Hystaspis vel prophetarum libros legerent, Apolog. I, § 44, loco jam laudato : Κατ' ἐνέργειαν δὲ τῶν φαύλων δαιμόνων θάνατος ὡρίσθη κατὰ τῶν τὰς Ὑστάσπους ἢ Σιβύλλης ἢ τῶν προφητῶν βίβλους ἀναγινωσκόντων. Qua lege Christianos nihil deterreri profitetur, quin hæc et adhuc legant et gentibus legenda proponant : Ἀφόβως μὲν γὰρ οὐ μόνον ἐντυγχάνομεν αὐτοῖς, ἀλλὰ καὶ ὑμῖν, ὡς ὁρᾶτε, εἰς ἐπίσκεψιν φέρομεν.

Sed recte observarunt viri docti nullum tale unquam edictum in lucem exiisse, et perperam a Justino confundi Sibyllinos Romanorum libros, quos legere, nisi quindecimviris et quidem publico jussu, nefas et capitale erat, cum Sibyllæ Christianæ vel Judaïcæ oraculis, quæ vulgo a sanctis Patribus laudantur et citantur. Unum addemus, quo forsitan manifestior fiat in bono et sancto viro judicii penuria, minas illas Romanæ legis apud ipsum extendi a Sibyllarum amatoribus ad Hystaspis lectores et Prophetarum : quorum sub nomine, τῶν προφητῶν, fortasse non Hebræos tantum Prophetas, sed et profanos quoque scriptores comprehendit Hermetem atque Osthanem, quos cum pseudo-Hystaspe consociare solet ipse; nec ipse modo, sed graviores etiam doctioresque viri Clemens Alexandrinus et Lactantius, delusi virorum antiquorum falsis nominibus, quum non viderent libros a se laudari confictos aperteque pseudonymos.

Auditor Justini Tatianus semel Sibyllæ meminit, adv. Græc. § 41, ubi illam Mose recentiorem, Homero antiquiorem facit.

Sub idem tempus, id est, sub M. Aurelio principe, scribebat Athenagoras, quem Alexandrinæ scholæ christianæ primum præfuisse quidam existimant. Is in Legatione, § 30, de Sibylla hæc habet : Σίϐυλλα (μέμνηται δ' αὐτῆς ὁ Πλάτων),

Δὴ τότε δὴ δεκάτῃ γενεῇ μερόπων ἀνθρώπων,
Ἐξ οὗ δὴ κατακλυσμός, κ. τ. λ.

pergitque sex continuos recitare versus, qui leguntur in nostris Sibyllinis libro III, v. 108, sqq. Quod autem ad Sibyllæ nomen annotavit : Μέμνηται δ' αὐτῆς ὁ Πλάτων, id manifesto respicit ad Justini locum supra citatum; ita videntur omnes secundi sæculi Patres, eadem doctrina imbuti, ejusdem quasi scholæ disciplinam sequi. Idem etiam Athenagoras de Sibyllinis videtur cogitasse, quum, ibid., § 6, Θεὸν ἀγέννητον opponeret τοῖς γεννητοῖς θεοῖς, et quum, ibid., § 19, ita scriberet : Ἢ γὰρ ἀγέννητόν τι, καί ἐστιν ἀίδιον· ἢ γεννητὸν, φθαρτόν ἐστι, et mox § 20 : Οὐδὲν γεννητὸν, ὃ οὐ καὶ διαλυτόν. Idem enim argumentandi modus, eadem prope verba in Proœmio Sibyllino, v. 39 :

Εἰ δὲ γενητὸν ὅλως καὶ φθείρεται, κ. τ. λ.

Pariter illud apud Athenagoram, § 13 : Οὐ δεῖται αἵματος οὐδὲ κνίσσης, licet sanctis Scripturis prorsus consonum, ductum videtur nobis e nostro libro VIII, v. 320, sq. ita habenti :

Οὐ χρῄζω θυσίης...
Οὐ κνίσσης πικρῆς, κ. τ. λ.

Sed multo plus Sibyllinis insistit libris Theophilus, Antiochiæ episcopus, sub Commodo scribens, cujus e libris Autolyco inscriptis, lib. II, § 36, et ibid. § 3, totum ad nos pervenit Sibyllinum Proœmium, versus nempe plus octoginta; ac libet recognoscere, quibus verbis Sibyllam in medium adducat, § 36 : Σίϐυλλα δὲ ἐν Ἕλλησι καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς ἔθνεσι γενομένη προφῆτις, ἐν ἀρχῇ τῆς προφητείας αὐτῆς ὀνειδίζει τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος, λέγουσα,

Ἄνθρωποι θνητοὶ καὶ σάρκινοι, κ. τ. λ.

additque deinde : Ὅτι μὲν οὖν ταῦτα ἀληθῆ καὶ ὠφέλιμα καὶ δίκαια καὶ προσφιλῆ πᾶσιν ἀνθρώποις τυγχάνει, δῆλόν ἐστιν. Prophetiæ igitur et veritatis laudem Sibyllæ impertit, nec aliter, lib. II, § 9, ubi eam plane consentire notat cum Prophetis, sive præterita, sive præsentia, seu futura canentibus : Εἶπον [οἱ προφῆται] τὰ περὶ τῆς κτίσεως τοῦ κόσμου, καὶ τῶν λοιπῶν ἁπάντων· καὶ γὰρ περὶ λοιμῶν καὶ λιμῶν καὶ πολέμων προεῖπον· καὶ οὐχ εἷς, ἢ δύο, ἀλλὰ πλείονες κατὰ χρόνους καὶ καιροὺς ἐγενήθησαν παρὰ Ἑϐραίοις, ἀλλὰ καὶ παρὰ Ἕλλησιν Σίϐυλλα, καὶ πάντες φίλα ἀλλήλοις καὶ σύμφωνα εἰρήκασιν, τά τε πρὸ αὐτῶν γεγενημένα, καὶ τὰ κατ' αὐτοὺς γεγονότα, καὶ τὰ καθ' ἡμᾶς νυνὶ τελειούμενα· διὸ καὶ πεπείσμεθα καὶ περὶ τῶν μελλόντων ἔσεσθαι, καθὼς καὶ τὰ πρώτιστα ἀπήρτισται.

Ubi nota illum eodem fere argumento uti, quo Justinus, Apol. I, § 53; nempe ex iis quæ prædicta evenerunt, parem præsumere fiduciam eorum quæ futura adhuc manent. Innuere autem videtur mala præsertim de quibus paulo ante dixerat, λοιμοὺς καὶ λιμούς, quorum tam sæpe mentio fit in Sibyllinis.

Nec mirum, qui Sibyllæ tantum tribueret, quantum ex istis apparet locis, alias quoque hujus testimoniis usum esse, ut eodem lib. II, § 31: Καὶ νῦν, inquit, τὰ παραλελειμμένα ἐπιμνησθήσομεθα, περί τε πόλεων καὶ βασιλέων, τῶν τε γεγενημένων, ὁπότε ἦν χεῖλος ἓν καὶ μία γλῶσσα. Πρὸ τοῦ τὰς διαλέκτους μερισθῆναι, αὗται αἱ προγεγραμμέναι ἐγενήθησαν πόλεις· ἐν δὲ τῷ μέλλειν αὐτοὺς (lege αὐτὰς) διαμερίζεσθαι, συμβούλιον ἐποίησαν οἰκοδομῆσαι πόλιν... Σίβυλλα μὲν οὕτω σεσήμαγκε καταγγέλλουσα ὀργὴν τῷ κόσμῳ μέλλειν ἔρχεσθαι· ἔφη δὲ οὕτως,

Ἀλλ' ὁπόταν μεγάλοιο Θεοῦ τελέωνται ἀπειλαί,

et novem addit sequentes versus e lib. III, v. 97, sqq. Notandum vero non hos tantum versus e Sibylla desumptos esse; sed et voces supra allatas, τὰς διαλέκτους μερισθῆναι, quas iterum repetit infra, § 32, respicere ad Sibyllinorum nostrorum, lib. VIII, v. 4, sq. Quin et voces, καταγγέλλουσα ὀργὴν τῷ κόσμῳ μέλλειν ἔρχεσθαι, manifesto Sibyllinæ sunt e libro VIII, v. 1, sq.:

Ἐρχομένης μεγάλης ὀργῆς ἐπὶ κόσμον ἅπαντα,
Ὕστατον εἰς αἰῶνα θεοῦ μηνίματα φαίνω.

Illud etiam quod paulo post hunc Theophili locum additur: Αὕτη ἀρχὴ ἐγένετο πρώτη τοῦ γίνεσθαι πολέμους ἐπὶ τῆς γῆς, quanquam de alia re dictum, nonne idem sonat cum Sibyllino versu, lib. III, v. 154:

Αὕτη δ' ἔστ' ἀρχὴ πολέμου πάντεσσι βροτοῖσι.

Sed alia, quamvis tacitus, mutuo accepit a Sibylla Theophilus, ut lib. I, § 9: Τὰ ὀνόματα ὧν φὴς σέβεσθαι θεῶν, ὀνόματά ἐστι νεκρῶν ἀνθρώπων, quod apud nos legitur, lib. VIII, v. 46, sq.:

Ὧν ἐσεβάσθης
Δαίμονας ἀψύχους, νεκρῶν εἴδωλα καμόντων.

Et quum idem, lib. II, § 18, notissimum illud ποιήσωμεν (Genes. c. 1, v. 26), de Patre cum Filio deliberante interpretatur, quumque paulo infra, § 22, Filium σύμβουλον Patris vocat, quid aliud quam imitationem prodit Sibyllinorum, in quibus legitur, lib. VIII, v. 264, sqq.:

Αὐτὸν γὰρ πρώτιστα λαβὼν σύμβουλον ἀπ' ἀρχῆς
Εἶπεν ὁ Παντοκράτωρ, Ποιήσωμεν, τέκνον, ἄμφω
Εἰκόνος ἐξ ἰδίης ἀπομαξάμενοι βροτὰ φῦλα,

quem ad locum apertius respexisse Lactantium infra dicemus.

Scripsit haud multo post Theophilum Clemens Alexandrinus, a quo jam divi Pauli de Sibylla testimonium mutuati sumus, e Strom.

lib. VI, p. 761. Sed ipse, quid de Sibylla sentiret, ibidem nos docuit: Ὅτι καθάπερ Ἰουδαίους σώζεσθαι ἐβούλετο ὁ Θεὸς τοὺς προφήτας διδοὺς, οὕτως καὶ Ἑλλήνων τοὺς δοκιμωτάτους, οἰκείους αὐτῶν τῇ διαλέκτῳ προφήτας ἀναστήσας, ὡς οἷοί τε ἦσαν δέχεσθαι τὴν παρὰ Θεοῦ εὐεργεσίαν, τῶν χυδαίων ἀνθρώπων διέκρινεν. Fuisse ergo putavit gentibus quoque vates suos a Deo electos, divinoque instinctu futura prædicentes; in iis Sibyllam fuisse et Hystaspem: quam opinionem cum Justino magistro communem habuit. Quare ibid. lib. II, p. 358, sq., assentit Heraclito docenti Sibyllam divinitus revelata canere: Ἡράκλειτος γὰρ οὐκ ἀνθρωπίνως φησὶν, ἀλλὰ σὺν Θεῷ πεφάσθαι. Sed idem paulo post, p. 384, Sibyllam laudans ut Orpheo antiquiorem, fatetur de ascriptis ei carminibus alios aliter judicare: Λέγεται γὰρ καὶ περὶ τῶν χρησμῶν τῶν καταπεφημισμένων αὐτῆς εἶναι λόγοι πλείους. Deinde varias de Sibyllis opiniones recenset, quibus ipse motus non jam unam Sibyllam aut paucas, sed multitudinem Sibyllarum, τῶν Σιβυλλῶν τὸ πλῆθος, agnoscit. Non satis ergo sibi constitit auctor gravissimus, qui, quum in tantum laudibus extulisset eam vatem, nihil de ea certi deinde habere se fassus est. Aliud etiam sibi contradixit: nam quum antea de carminum Sibyllinorum origine pagana minime dubitasset, postea videtur in aliam ultro sententiam descendisse, unam jam Sibyllam agnoscens, neque jam Græcam aut gentilem, sed Hebræam, quam pæne ad sanctorum vatum æmulationem, προφῆτιν vocat, Cohort., ad Gr., p. 61: Πόθεν ἄρα ὁ τοῦ Γρύλλου σοφίζεται; ἢ δηλαδὴ παρὰ τῆς προφήτιδος τῶν Ἑβραίων, θεσπιζούσης ὧδέ πως, Τίς γὰρ σὰρξ δύναται, κ. τ. λ. Ibidem, pag. 66: Αὐτίκα γὰρ ἡ προφῆτις ἡμῖν ᾀσάτω πρώτη Σίβυλλα, et paulo ante, p. 44: Διδάσκαλον δὲ ὑμῖν παραθήσομαι τὴν προφῆτιν Σίβυλλαν. Duplici ergo laude eam donat, prophetiæ simul et poeseos, ibid. p. 24: Ταῦτα ἡμῖν ἡ προφητικὴ παρεγγυᾷ καὶ ποιητικὴ Σίβυλλα. Neque enim dubitanter affirmat divinitus eam canere, θεσπίζειν, p. 61, ἐνθέως σφόδρα, pag. 66; poeticam vero vim non mediocrem ei tribuit, in Pædagogo, lib. II, p. 229, ubi eam, quasi gloriabundus, nostram poetriam vocat: Ναὶ μὴν καὶ ἡ παρ' ἡμῖν ποιητικὴ, ὀνειδίζουσά πως, γράφει,

Μοιχεία παρὰ σοὶ, κ. τ. λ.

Nam etsi hoc loco παρ' ὑμῖν editi ferunt, melius tamen cum codicibus quibusdam παρ' ἡμῖν legas, quum hos Pædagogi libros Christianis a Christiano scriptos esse constet. Quum igitur παρ' ἡμῖν dicit, simul indicat, id quod abunde a Justino didiceramus, Sibyllam a Christianis frequenter legi solitam; simul ita legi, non ut alienam, sed ut suam, id est, Hebræam Christianis affinem.

Eo minus dubitat ejus uti et interdum abuti testimoniis. Quod si

locos Sibyllinos per varia Clementis Alexandrini sparsos opera recenseamus, hos fere inveniemus :

E Procemio Sibyllino,

1. Ἄνθρωποι θνητοί, κ. τ. λ. Strom. p. 517.

10-14. Τίς γὰρ σὰρξ δύναται, κ. τ. λ. Strom. p. 714 et Cohort. p. 61.

23-27. Τύφῳ καὶ μανίῃ δὲ, κ. τ. λ. Cohort. p. 23.

28. Οὗτος ἰδοὺ, κ. τ. λ. Strom. p. 718, et Cohort. p. 66.

29-36. Ἔλθετε, κ. τ. λ. Cohort. p. 66.

E libro III :

586-593. Οἵτινες οὐκ ἀπάτῃσι, κ. τ. λ. Cohort. p. 60.

624, sq. Ἀλλὰ σὺ μὴ μέλλων, κ. τ. λ. Cohort. p. 64.

E libro IV :

4-7. Οὐ ψευδοῦς Φοίβου, κ. τ. λ. Cohort. p. 44.

27-32. Οἳ νηοὺς μὲν, κ. τ. λ. Cohort. p. 54.

33, sq. Οὐδ' ἄρ' ἐπ' ἀλλοτρίῃ, κ. τ. λ. Pædagog. p. 229.

149, sq. Ἐπ' οὐχ ὁσίαισι, κ. τ. λ. Pædag. p. 261.

E libro V :

165, sq.. Μοιχεῖαι παρὰ σοί, κ. τ. λ. Pædag. p. 229.

295, sq. Ὕπτια δ' οἰμώξει, κ. τ. λ. Cohort. p. 44.

483, sq. Ἴσι θεὰ, κ. τ. λ. Cohort. ibid.

486, sq. Καὶ σὺ, Σέραπι, κ. τ. λ. Cohort. ibid.

Omnes sunt versus fere XLVI diversis locis a Clemente prolati e Procemio et libris III, IV, V. In his librum quintum, a nemine antea citatum, reperimus. Sed mirum profecto librum octavum, unde multa Justinus et Theophilus desumpserant, a Clemente prorsus neglectum fuisse, nisi eum, ut nimis aperte christianum, novitatis suspectum habuit. Quod si ita est, non male forsitan opinetur aliquis, Clementem, etsi summa Sibyllæ suæ veneratione præoccupatum, tamen ut eam gentilibus tanquam gentilem opponere desisteret, utque Hebræam potius confiteretur, inductum fuisse non tam criticis rationibus quam adversariorum conviciis, falsa hæc esse omnia et nuper conficta clamantium, Christianosque Sibyllistas vehementer exagitantium. Jam enim ante illud tempus inceperant eo crimine Christiani ab inimicis taxari, ut a Celso apud Origenem, V, § 61 : Εἶπε δέ τινας εἶναι καὶ Σιβυλλιστὰς παρ' ἡμῖν, sed et ab aliis quoque, fatente Origene ibidem : Τάχα παρακούσας τινῶν ἐγκαλούντων τοῖς οἰομένοις προφῆτιν γεγονέναι τὴν Σίβυλλαν, καὶ Σιβυλλιστὰς τοὺς τοιούτους καλεσάντων. Neque stulti tantum erroris, sed mendacii et fraudis ob eam rem incusabantur, notante Celso, ibid. VII, § 56, Sibyllam illam, cujus testimoniis quidam Christiani abuterentur, Σίβυλλαν, ᾗ χρῶνταί τινες ὑμῶν, interpolatam ab ipsis atque adulteratam esse multis locis : Νῦν δὲ παρεγγράφειν μὲν εἰς τὰ

ἐκείνης πολλὰ καὶ βλάσφημα εἰκῆ δύνασθε. Ad quæ respondet Origenes, ibid. paulo infra : Εἶτ' οὐκ οἶδ' ὅπως ἀποφηνάμενος ὅτι παρενεγράψαμεν εἰς τὰ ἐκείνης πολλὰ καὶ βλάσφημα, καὶ μὴ ἀποδείξας μηδ' ὅ τι παρενεγράψαμεν (ἀπέδειξε δ' ἂν, εἰ τὰ ἀρχαιότερα καθαρώτερα ἐδείκνυε καὶ οὐκ ἔχοντα ἅπερ οἴεται παρεγγεγράφθαι), μὴ ἀποδείξας δὲ μηδ' ὅτι βλάσφημά ἐστι ταῦτα. Sed pace dictum sit Origenis : nimis nobis videtur urgere adversarium, dum verbis ejus male intellectis abutitur. Quum enim Celsus Sibyllam apud gentiles clarissimam, id est, Erythræam, non posset aspernari, neque prisca ejus oracula non pro veris accipere aut accipienda simulare, ea tantum quæ sub Sibyllæ nomine nova et prius ignota proferebantur, abjicienda censuit, ut falso ceteris immixta atque intrusa, sive, ut ipse dicebat, παρεγγεγραμμένα. Itaque non intellexit neque dixit Sibyllina Christianorum, præter paucos versus interpolatos, vere a Sibylla profecta esse; sed quæcumque manifesto christianam indolem præferentia pro Sibyllinis venditabantur, ea falsitatis et interpolationis damnavit. Et illud in quo triumphat Origenes : Quidni igitur antiquiora monstras exemplaria, e quibus hæc absint? nobis judicibus parum valet. Poterat enim facile monstrare Celsus antiqua Erythræorum carminum exemplaria, in quibus nihil simile occurrebat christianis aut judaïcis vaticiniis. Itaque videbatur sibi Celsus ea loca quæ manifesto a Sibylla scribi nequiverant, satis, dum citabat, falsæ originis arguere. Talia vero multa, ipso fatente Origene, facetiis agitaverat, quæ pleraque in nostris Sibyllinis adhuc leguntur, ut ex octavo libro Sibyllino Διὸς τάφον (apud Origenem, III, § 43), e libro autem tertio πυργοποιΐαν et τοῦ πύργου κατάῤῥιψιν (apud Origenem, IV, § 21), et incertum quo e libro, sed fortasse VIII, § 2, quædam de extremo judicio (apud Origenem, IV, § 20).

Interim amicus Celsi, et acerrimus omnium religionum, sed nostræ inprimis fidei derisor, Lucianus, in Alexandro seu Pseudomante, et in libello de Peregrini morte, salsissimis ac vere Aristophaneis parodiis christiana suggillabat oracula : confer ipsas in fine Excursus II. Quibus cavillationibus causam et quasi materiam ut subtraherent Christiani, cœperunt cautius Sibyllam testem producere, Græci præsertim qui et doctiores erant et in discernendis poetarum vitiis aut virtutibus acutiores. Origenes ipse, quum Sibyllinæ vaticinationis causam adversus Celsum defendat, partium potius, uti remur, quam veritatis studio, nusquam tamen operum suorum aut vix usquam Sibyllinis utitur testimoniis, quod sæpius facturus erat si plenam iis fidem tribuisset. Semel tantum in Philosophumenis recens editis, libro V, § 16, meminit unius Sibyllini versus, Procem. v. 39 :

Εἰ δὲ γενητὸν ὅμως καὶ φθείρεται,

idque fortasse non suo nomine, sed alieno, Gnostici nempe alicujus, quem refutat, scriptoris. Ea fuit doctissimi viri et pro sua ætate κριτικωτάτου prudentia.

Par fuit divi Hippolyti cura, nusquam ad Sibyllina provocantis, quanquam ab istorum librorum lectione fortasse non alieni; quippe qui in libro de Antichristo nonnulla videtur ex iis retinuisse, saltem illud, cap. 52 : Καὶ κρατήσας ἐν παρατάξει πολέμου τῶν τριῶν κεράτων ἐκ τῶν δέκα καὶ ἐκριζώσας αὐτά, ubi agnoscere videmur versum Sibyllinum, qualem fere nostris in notis restituimus, lib. V, v. 221, sq. :

Πρῶτα μὲν ἐκ τρισσῶν κεφαλῶν σὺν πληγάδι ῥίζας
Σπασσάμενος μεγάλως.

Idem in libro de Consummatione mundi, de eodem Antichristo hæc habet : Μετὰ δὲ τούτων ἁπάντων σημεῖα ἐπιτελέσει καὶ θαύματα φοβερά, ἀλλ' οὐκ ἀληθῆ, ἀλλ' ἐν πλάνῃ, ὅπως πλανήσῃ τοὺς ὁμοίως αὐτῷ ἀσεβεῖς· εἰ δυνατὸν γάρ, καὶ τοὺς ἐκλεκτοὺς ἀποστήσει, κ. τ. λ., quod est apud nos, lib. III, v. 66, sqq. :

Καὶ σήματα πολλὰ ποιήσει
Ἀνθρώποις, ἀλλ' οὐχὶ τελεσφόρα ἔσσετ' ἐν αὐτῷ,
Ἀλλὰ πλάνα, καὶ δὴ μέροπας πολλούς τε πλανήσει
Ἐκλεκτούς.

Hoc tamen et ab ipsis sanctis scriptoribus accipere potuit, et si, uti videtur, a Nostris, auctores sane suos reticuit.

Nec minus interea credulum vulgus istis commentis delectabatur et in Sibyllarum lectione perseverabat : sin minus, non tot Sibyllini novi libri, tertio etiam sæculo pullulassent; sed audemus dicere, jam a tertii sæculi initiis, gravissimum quemque scriptorem apud Græcos, si Clementem Alexandrinum exceperis, sponte abstinuisse ab illo argumentorum genere, quod e suspectis fontibus haurire indignum causa sua putabant.

At Latini, ut serius de Sibyllis audierant, ita diutius in eorum fide permanserunt. Multis hoc de causis fieri potuit. Primum non tanta erat apud Latinos eruditionis copia, neque tantum judicii acumen, præsertim in græcis carminibus dignoscendis; deinde major est semper longinqui et alieni et minus aperti reverentia; præterea, qui acerrime adversus Sibyllina depugnaverant, Celsus, Lucianus, Græci ambo scriptores, Latinis minus innotuerant. Error denique millenarius, cui favere plerique Sibyllini libri, vere an falso, videntur, in Græcia tam cito defecerat, ut eum ab Apollinari renovatum miretur ac vix ipse credat, quarto sæculo scribens, Epiphanius, hæres. 67, § 36. Hinc minor apud Græcos nostrorum carminum fides. Videtur autem is error in Occidente diutius perstitisse, siquidem quarto etiam sæculo

desinente vestigia ejus satis aperta manent apud Sulpicium Severum, Dialog. II, § 16, plenius citandum in Exc. VI.

Utique a Græcis Patribus transire jam tempus est ad Latinos, inter quos primum occurrit Tertulliani testimonium, Sibyllina carmina ad divinarum usque literarum culmen evehentis, lib. II, ad Nationes, pag. 75, ed. Rigalt. « Adhuc, inquit, de Saturno immorabor... nec « prætermittam potiora testimonia divinarum literarum, quibus fides « pro antiquitate superior debetur. Ante enim Sibylla quam omnis « literatura exstitit. Ea senario versu in hunc sensum de Saturni pro- « sapia et rebus ejus exponit : « Decima, inquit, genitura hominum, « ex quo cataclysmum [sic] prioribus accidit, regnavit Saturnus et « Titan et Iapetus [codd. male, jam fatus], Terræ et Cœli fortissimi « filii. » Quæ ipsa sunt Sibyllina verba, lib. III, v. 108, sqq. :

Καὶ τότε δὴ δεκάτη γενεὴ μερόπων ἀνθρώπων,
Ἐξ οὗπερ κατακλυσμὸς ἐπὶ προτέρους γένετ' ἄνδρας,
Καὶ βασίλευσε Κρόνος, καὶ Τιτὰν, Ἰαπετός τε,
Γαίης τέκνα φέριστα καὶ Οὐρανοῦ.

Idem de Pallio, § 2 : « Quum inter insulas nulla jam Delos, arenæ « Samos, et Sibylla non mendax, » qui est lib. VIII, v. 165, sq. :

Ἔσται........ καὶ Δῆλος ἄδηλος,
Καὶ Σάμος ἄμμος,

etiam libris III et IV, paucis mutatis, obvius. Quanquam Fabricius, t. I, p. 282, ed. Harl., pertinere hoc potius putat ad celebre aliquod inter paganos vaticinium, contendens Tertullianum Sibyllina testimonia nihili facere, quod falsum est : nam vide supra ab ipso citata. Et idem, Apologet. pag. 7, ubi Hadrianum « curiositatum omnium « exploratorem » vocat, fortasse respexit ad Sibyll., lib. VIII, v. 56 :

Καὶ μαγικῶν ἀδύτων μυστήρια πάντα καθέξει.

Et quum ad Martyres exclamat, p. 157 : « Bonum agonem subituri « estis, in quo agonothetes Deus vivus est, » etsi hoc a Paulo mutuari potuit, ad Timoth. I, cap. 6, v. 12, non potest nobis non in mentem venire libri II locus insignis :

Καὶ τότε γὰρ μέγας αὖθις ἀγών, κ. τ. λ.

Dimidio fere sæculo posterior Arnobius Sibyllæ meminit, contra Gentes, lib. I, p. 38, ed. 1651, his verbis : « Si quo tempore Sibylla « præsaga oracula illa depromens fundebat, vi, ut dicitis, Apollinis « plena, ab impiis esset cæsa atque interfecta latronibus, » fortasse non sine respectu ad extrema Sibyllini libri VII, v. 153, sqq. :

.....Ἀλλ' ὀλέσει με κακὸς χρόνος, ἔνθα τάφον μοι
Ἄνθρωποι τεύξουσι παρερχόμενοί με θαλάσσῃ,
Καί με λίθοις ὀλέσουσι.

Eodem sæculo vergente Commodianum Afrum, bonum et sanctum virum, sed informem ac semibarbarum poetastrum, ad Sibyllina se obvertisse putant, quum in suis Instructionibus sic vocatis, tum in Carmine Apologetico recens edito in Spicilegio Solesmensi, t. I, p. 20, sqq., Paris., 1852, propter fabulosas quasdam traditiones de Antichristo ac de supremis mundi temporibus : quanquam nihil apud illum invenimus quod non æque pertinere possit ad omnium millenariorum de illo argumento somnia, ad quæ Sibyllistas interdum accedere fatemur.

Lactantium vero quid dicemus? An non totus ille Sibyllinus est? Et jamdiu ex illius opere de Div. Inst. lib. I, cap. 6, integrum pæne caput recitavimus, in quo de Sibyllis earumque libris fuse et accurate tractat: adi, si vacat, ipsum locum, et Excursus nostros I et III. Nunc id unum animadversum velimus, quantum ille iis carminibus tribuerit. Nam in eo quo diximus capite non tantum fatidicam vim tribuit istis, ut vocat, « responsis carminibusque sacris, quæ sunt « [Hermeticis] multo certiora; » sed etiam divinam prorsus auctoritatem. Ait enim : « Nunc ad divina testimonia transeamus. » Nec aliter « lib. VII, cap. 23 : « Sed nos ab humanis ad divina redeamus, » id est, ad Sibyllina, quemadmodum supra vidimus Tertullianum eodem verbo uti. Quod tamen uterque non christiano sensu dicere quibusdam visus est, sed pagano, divina vocans quæ gentiles a suis orta diis putarent, ut ipse scribit Lactantius, lib. I, cap. 6 : « Quod ge« nus probationis adversus eos magis adhibere debemus, quam ut « eos deorum suorum testimoniis revincamus? » Aliter vero nobis videtur. Credidit enim Lactantius, ut Justinus, ut Theophilus, ut Tertullianus, Sibyllas gentiles fuisse falsorum numinum seu potius dæmonum interpretes, quæ tamen interdum, volente et cogente Deo, præclara illa de sacris rebus oracula cecinissent, sensibus suis emotæ ac furentes, ut ipse dixit, lib. VII, cap. 24 : « Sibylla vaticinans fu« rensque proclamat :

Κλῦτε δέ μευ, μέροπες, βασιλεὺς αἰώνιος ἄρχει.

Sed quam ille cognationem inter Sibyllina sibi ad manum prompta et eos libros qui Romæ publice asservabantur, interfuisse crediderit, operæ pretium est intueri. Quippe quum ex Varronis sententia decem, quas diximus, Sibyllas enumerasset, loco sæpe a nobis laudato, lib. I, cap. 6 : « Harum, inquit, omnium Sibyllarum carmina et fe« runtur et habentur, præterquam Cumææ, cujus libri a Romanis « occuluntur, nec eos ab ullo, nisi a quindecimviris, inspici fas ha« bent. Et sunt singularum singuli libri : qui quia Sibyllæ nomine « inscribuntur, unius esse creduntur; suntque confusi, nec discerni

« ac suum cuique assignari potest, nisi Erythrææ, quæ et nomen suum « verum carmini inseruit, et Erythræam se nominatum iri prælocuta « est, cum esset orta Babylone : sed et nos confuse Sibyllam dicemus, « sicubi testimoniis earum fuerit abutendum. » Eadem fere tradit, de Ira Dei, cap. 22 : « Sibyllas plurimi et maximi auctores tradiderunt... « Hi omnes præcipuam et nobilem præter ceteras Erythræam fuisse « commemorant.....Fenestella vero etiam legatos Erythras a senatu « esse missos refert, ut hujus Sibyllæ carmina Romam deportaren- « tur..... Apud hanc de summo et conditore rerum Deo hujusmodi « versus reperiuntur :

Ἄφθαρτος κτίστης, κ. τ. λ.

« Verum (pergit ille, cap. 23) quia plures, ut ostendi, Sibyllæ a doctis- « simis auctoribus fuisse traduntur, unius testimonium satis non sit « ad confirmandam, sicut intendimus, veritatem. Cumææ quidem « volumina, quibus Romanorum fata conscripta sunt, in arcanis ha- « bentur; ceterarum tamen fere omnium libelli, quominus in usu sint « omnibus, non vetantur : ex quibus alia, denuntians universis gen- « tibus iram Dei...., hoc modo exorsa est :

Ἐρχομένης ὀργῆς μεγάλης, κ. τ. λ.

Credidit ergo allatos ad Tarquinium servatosque in Capitolio libros Cumææ fuisse Sibyllæ, etsi deinde post Capitolii incendium nonnihil immutatos, admixtis aliarum carminibus, quæ tum a legatis reportata essent; eosque libros ab hominum cognitione remotos semper fuisse : ceterarum vero Sibyllarum versus, in vulgi remansisse manibus, præsertim Erythrææ sive ejusdem, ut ipse putabat, Chaldææ, cui non dubitavit assignare tertium nostrorum oraculorum librum, ob illos supra laudatos versus :

Ταῦτά σοι Ἀσσυρίης Βαβυλώνια τείχεα μακρὰ
Οἰστρομανὴς προλιποῦσα...
Καὶ καλέουσι βροτοί με καθ' Ἑλλάδα πατρίδος ἄλλης,
Ἐξ Ἐρυθρῆς γεγαυῖαν...

Ad quem manifesto locum respiciens supra dixit : « Erythræam se no- « minatum iri prælocuta est, quum esset orta Babylone. »

Recte autem nos admonuit Lactantius, non bene discerni posse, cui librum quemque ascribi oporteret, ideoque se confuse interdum Sibyllæ usurum nomine, nec additurum cujus Sibyllæ. Plerumque tamen Erythræam nominat, ubi versus adducit sive ex libro tertio, sive ex Prooemio, quos sane complures habet. Quum deinde versus ex aliis libris profert, aliam solet indicare Sibyllam, sed omissa patriæ mentione, ut lib. I, cap. 6 : « Item alia Sibylla quæcumque est, » et sic sæpe lib. IV, cap. 6, 15, 18. Etiam libro VII, cap. 18 : « Item,

« inquit, alia Sibylla : Καὶ τότ' ἀπ' ἠελίου, κ. τ. λ. et rursus alia ; « Ἡμετέρας δουλείας, κ. τ. λ. » Confer etiam lib. VII, cap. 20, et de Ira Dei, cap. 23.

In summa videtur Lactantius quinque saltem Sibyllas agnovisse, unam quæ Procemium et libri nostri III partes antiquissimas scripsisset : alteram, quæ librum IV ; tertiam, quæ librum V ; quartam, quæ librum VI (atque ideo VII) ; quintam, quæ librum VIII ; atque ex iis omnibus versus plus ducentos, inclusis iis ad quos tantum respicitur, per totum operis sui spatium large disseminavit, quos hic omnes ordine, quo nunc in Sibyllinis prostant, recensebimus :

Sibyllinorum			*versus*	*apud Lact.*
Procem.	4, sq.	Παντοτρόφον κτίστην.........	2.	IV, 6.
	7.	Εἷς Θεὸς ὃς μόνος............	1.	I, 6.
	15, sq.	Αὐτὸν τὸν μόνον ὄντα.........	2.	I, 6.
	17.	Αὐτογενὴς, ἀγένητος,.........	1.	I, 7.
	30.	Respicitur ad hunc locum....		III, 30.
	39, sq.	Οὐ δύνατ' ἀνδρός...........	2.	I, 8.
	41, sqq.	Ἀλλὰ Θεὸς μόνος............	3.	I, 6.
	42, sqq.	Respicitur................		VII, 30.
	55, sqq.	Ἄφθαρτος κτίστης...........	3.	I. D. 22.
	84, sqq.	Οἱ δὲ Θεὸν τιμῶντες.........	3.	II, 13.
III,	110, sqq.	Respicitur................		I, 14.
	228, sq.	Ἐπεὶ πλάνα πάντα..........	2.	II, 17.
	545, sqq.	Ἑλλὰς, δή τι πέποιθας.......	4.	I, 15.
	618.	Ἔργα δὲ χειροποίητα........	1.	VII, 19.
	619, sq.	Καὶ τότε δὴ χάρμην..........	5.	VII, 24.
	652, sq.	Καὶ τότ' ἀπ' ἠελίοιο.........	2.	VII, 18.
	728, sqq.	Respicitur................		VII, 26.
	741, sqq.	Ὁππότε καὶ τὸ λάβῃ.........	3.	VII, 20.
	762, sqq.	Φεῦγε δὲ λατρείας...........	4.	I. D, 22.
	774.	Ἄλλον ἔδωκε Θεός...........	1.	IV, 6.
	787, sqq.	Οἱ δὲ λύκοι τε καὶ ἄρνες......	5.	VII, 24.
	808.	Respicitur................		I, 6.
	813.	Respicitur................		I, 6.
	814, sqq.	Φήσουσι Σίβυλλαν...........	3.	IV, 15.
IV,	40, sqq.	Δύσπιστον γὰρ ἅπαν.........	6.	VII, 23.
	51, sqq.	Ἐξ οὗ μηνίσαντος...........	3.	I. D. 23.
	132, sqq.	Respicitur................		VII, 15.
	142, sqq.	Respicitur................		VII, 15.
	154, sqq.	Καὶ τότε γινώσκειν..........	5.	I. D. 23.
	164, sq.	Οὐδ' ὀλέσει................	2.	I. D. 23.

413, sqq.	Οὐρανὸν εἱλίξω.............	4.	VII, 20.
Fragm. I.	Κλῦτε δέ μευ, μέροπες.......	1.	VII, 24.
II.	Ὅς μόνος ἐστὶ Θεός.........	3.	II, 12.
III.	Ὁππόταν ἔλθῃ.............	2.	VII, 19.

Omisimus locum unum libri primi Sibyllini, v. 21, cujus imitationem, sed obscuram satis, olim annotavimus : neque enim certum est Lactantio innotuisse istum librum.

Quum vero tam multus sit Lactantius in laudandis proferendisque Sibyllarum testimoniis, quumque tam fidenter arma illa gentibus opponat, et in illo argumento exsultet ac triumphet, quis non putet eum penitus ignorasse quæ adversus illorum carminum auctoritatem ab altera parte reclamarentur. Ipse tamen invitus arcem suam labefactat, quum ait, lib. IV, cap. 15 : « His testimoniis quidam revicti, « solent eo confugere, ut aiant non esse illa carmina Sibyllina, sed « a nostris ficta atque composita. » Age igitur, quid ad hæc ille? « Quod profecto, inquit, non putabit, qui Ciceronem Varronemque « legerit, aliosque veteres qui Erythræam Sibyllam ceterasque com- « memorant, quarum ex libris ista exempla proferimus : qui auctores « ante obierunt, quam Christus secundum carnem nasceretur. » At enim mirum, si non vidit debile prorsus et infirmum esse argumentum a Cicerone et Varrone desumptum, qui de Sibyllis quidem earumque oraculis et de publicis Romanorum libris egerunt, nusquam vero ea citarunt, quæ tanquam Sibyllina proferuntur a Lactantio. Vidit sane, sed videre noluit; eoque confugit, ut antiquis illis non ignota, sed contempta fuisse hæc carmina contenderet. Sic enim pergit : « Verum non dubito, quin illa carmina prioribus temporibus « pro deliramentis habita sint, quum ea nemo tum intelligeret. De- « nuntiabant enim monstrosa quædam miracula, quorum nec ratio, « nec tempus, nec auctor designabatur. Denique Erythræa fore ait, « ut diceretur insana et mendax; ait enim :

Φήσουσι Σίβυλλαν
Μαινομένην, ψεύστειραν· ἐπὰν δὲ γένηται ἅπαντα,
Τηνίκα μου μνήμην ποιήσετε, κοὐκέτι μ' οὐδεὶς
Μαινομένην φήσειε Θεοῦ μεγάλοιο προφῆτιν.

« Jacuerunt igitur multis sæculis; postea vero animadversa sunt « quam Christi nativitas et passio patefecit arcana : sicut etiam voces « prophetarum, quæ quum per annos mille quingentos vel eo am- « plius lectæ fuissent a populo Judæorum, nec tamen intellectæ sunt, « nisi postquam illas Christus et verbo et operibus interpretatus est. » Ita Lactantius, de annis prophetarum immane quantum errans, nisi suppressa una voce septingenti tantum anni retineantur, vel fortasse

18.

prophetarum nomine Moses quoque comprehendatur : cetera satis acute, parum tamen ad rem, quoniam illud omisit quod præcipue statuendum erat, quænam illa essent Sibyllina Ciceroni nota et Varroni, eademne cum nostris Sibyllinis, an alia gentilia et profana, quod longe verisimilius et unice verum est.

Utique videtur Lactantii opus, sibi recens ab auctore missum, non prorsus neglexisse Constantinus imperator; imo scriptum illud egregium crebrasque in eo Sibyllarum laudes ob oculos habuisse, quum in synodo Nicæna illam ad Sanctos, id est, ad concilii Patres, orationem haberet, quæ apud Eusebium exstat ejus vitæ addita, sive ab ipso principe, quod minus credimus, sive potius ejus jussu et tanquam eo dictante latine scripta, deinde ab aliquo non imperito græce versa. In illa enim oratione alluditur ad Sibyllina sæpe, ac primum § 4, ad celebrem illum syllogismum Procemii, v. 39, sqq. :

Εἰ δὲ γενητὸν ὅλως καὶ φθείρεται, κ. τ. λ.

deinde ibidem ad sepulcra deorum a Cretensibus monstrata, lib. VIII, v. 48, sq.; deinde § 21, ad votum illud in Sibyllinis passim obvium :

Αἶ, αἶ, ἐγὼ δειλή, πότ' ἐλεύσεται ἦμαρ ἐκεῖνο;

Sic enim ibi inducitur Sibylla loquens : Ἡ γοῦν Ἐρυθραία πρὸς τὸν Θεόν· Τί δέ μοί, φησιν, ὦ δέσποτα, τὴν τῆς μαντείας ἐπισκήπτεις ἀνάγκην, καὶ οὐχὶ μᾶλλον ἀπὸ τῆς γῆς ἀρθεῖσαν διαφυλάττεις ἄχρι τῆς μακαριωτάτης σῆς ἐλεύσεως ἡμέρας; Etiam, § 12, sub fin., locum sane præclarum libri VIII, v. 382, sqq., de vanitate sacrificiorum idolis oblatorum, palam imitatur Constantinus. Sed nusquam magis Sibyllina auctoritate nititur, quam ibidem, § 18. Ibi enim summus ille vir, sed clarior sane imperator quam aut theologus aut criticus, pari fere cum Lactantio fiducia gentibus opponit sumptum a Sibylla testimonium, nec jam breve aliquod fragmentum, sed totam illam de extremo judicio acrostichidem, quæ in hodiernis Sibyllinis legitur, lib. VIII, v. 217, sqq. En ipsa oratoris verba : Παρίσταται δέ μοι καὶ τῶν ἀλλοδαπῶν τι μαρτύριον τῆς τοῦ Χριστοῦ θεότητος ἀπομνημονεῦσαι. Ἐκ γάρ τοι τούτων δηλονότι καὶ ἡ τῶν βλασφημούντων αὐτὸν διάνοια οἶδεν αὐτὸν Θεὸν ὄντα καὶ Θεοῦ παῖδα, εἴπερ γοῦν τοῖς ἑαυτῶν λόγοις πιστεύουσιν. Ἡ τοίνυν Ἐρυθραία Σίβυλλα, φάσκουσα ἑαυτὴν ἕκτῃ γενεᾷ μετὰ τὸν κατακλυσμὸν γενέσθαι, ἱέρεια ἦν τοῦ Ἀπόλλωνος....... Αὕτη τοίνυν ἔξω [vulg. εἴσω] τῶν ἀδύτων ποτὲ τῆς ἀκαίρου δεισιδαιμονίας προαχθεῖσα, καὶ θείας ἐπιπνοίας ὄντως γενομένη μεστή, δι' ἐπῶν περὶ τοῦ Θεοῦ τὰ μέλλοντα προεθέσπισε, σαφῶς ταῖς προτάξεσι τῶν πρώτων γραμμάτων, ἥτις ἀκροστιχὶς λέγεται, δηλοῦσα τὴν ἱστορίαν τῆς τοῦ Ἰησοῦ κατελεύσεως. Ἔστι δὲ ἡ ἀκροστιχὶς αὕτη· ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΕΙΣΤΟΣ, κ. τ. λ. Quæ ad verbum, nobis interpretibus sic verti possunt : « Mihi vero succurrit aliquid etiam ab extraneis desumptum

testimoniis huc afferre de divinitate Christi. Nam ex iis rescire possunt, qui adversus Christum calumniari audent, Deum illum et Dei filium esse, si modo suis ipsi credere volunt. Erythræa igitur Sibylla, quæ sexta se post diluvium ætate vixisse ait [hoc fortassis e libro I, v. 287, sed male intellecto], casu quondam aliquo ex importunæ superstitionis penetralibus egressa [hoc et nonnulla, quæ hic omittenda censuimus, e profanis potius quam e nostris Sibyllinis petita sunt], divino afflatu vere percita, de Deo ac divinis rebus, quæ futura essent, versibus prælocuta est; nec obscure primarum literarum serie, quæ acrostichis vocatur, totam de adventu Jesu Christi declaravit historiam. Porro acrostichis hæc est : IESUS CHRISTUS, etc. » Ipsum deinde carmen recitat, id est versus XXXIV qui in nostris Sibyllinis suo loco exstant, lib. VIII, v. 217, sqq., atque sic pergit : Καὶ ταῦτα τῇ παρθένῳ δηλαδὴ θεόθεν ἐπέστη προκηρύξαι, μακαρίαν δ' αὐτὴν ἔγωγε κρίνω, ἣν ὁ Σωτὴρ ἐξελέξατο προφῆτιν τῆς ἑαυτοῦ περὶ ἡμᾶς προφητείας. « Hæc, inquit, prænuntiare divinitus illi virgini contigit, felici, ut mihi quidem videtur, quæ a Servatore nostro interpres electa sit ejus erga nos prophetiarum. » Vides Constantini eamdem prorsus mentem, quæ olim Justini ac Theophili, postea Lactantii fuerat. Sed quod sibi nuper Christianus rhetor, idem sibi nunc purpuratus objicit orator, ac pæne iisdem verbis : Ἀλλ' οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων ἀπιστοῦσι, καὶ ταῦθ' ὁμολογοῦντες Ἐρυθραίαν γεγενῆσθαι Σίβυλλαν μάντιν. Ὑποπτεύουσι δέ τινα τῶν τῆς ἡμετέρας θρησκείας, ποιητικῆς μούσης οὐκ ἄμοιρον, τὰ ἔπη ταῦτα πεποιηκέναι, νοθεύεσθαί τε αὐτὰ καὶ Σιβύλλης θεσπίσματα εἶναι λέγεσθαι. Quæ latine ita fere sonarent : « Verum plerique homines increduli manent, quanquam non diffitentur Erythræam vixisse vatem Sibyllam; sed suspicantur nescio quem nostræ religionis hominem, poetici ingenii haud expertem, carmina illa composuisse quæ pro Sibyllæ oraculis vulgo jactentur. » Respondet autem eodem fere, quo Lactantius, modo : Ἐν προφανεῖ δ' ἀλήθεια, τῆς τῶν ἡμετέρων ἀνδρῶν ἐπιμελείας συλλεξάσης τοὺς χρόνους ἀκριβέστερον, ὡς πρὸς τὸ μηδένα τοπάζειν, μετὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ κάθοδον καὶ κρίσιν γεγενῆσθαι τὸ ποίημα, καὶ ὡς πάλαι προλεχθέντων ὑπὸ Σιβύλλης τῶν ἐπῶν ψεῦδος διαφημίζεσθαι. Ὡμολόγηται γὰρ Κικέρωνα ἐντετυχηκότα τῷ ποιήματι μετενεγκεῖν τε αὐτὸ εἰς τὴν Ῥωμαίων διάλεκτον, καὶ συντάξαι αὐτὸ τοῖς ἑαυτοῦ συντάγμασι· τοῦτον ἀναιρεῖσθαι κρατήσαντος Ἀντωνίου· Ἀντωνίου δ' αὖ πάλιν Αὔγουστον περιγεγενῆσθαι, ὃς ἓξ καὶ πεντήκοντα ἔτη ἐβασίλευσε· τοῦτον Τιβέριος διεδέξατο, καθ' ὃν χρόνον ἡ τοῦ Σωτῆρος ἐξέλαμψε παρουσία, καὶ τὸ τῆς ἁγιωτάτης θρησκείας ἐπεκράτησε μυστήριον, ἥ τε νέα τοῦ δήμου διαδοχὴ συνέστη, περὶ ἧς οἶμαι λέγειν τὸν ἐξοχώτατον τῶν κατ' Ἰταλίαν ποιητῶν,

Ἔνθεν ἔπειτα νέων πληθὺς ἀνδρῶν ἐφαάνθη,

καὶ πάλιν ἐν ἑτέρῳ τινὶ τῶν βουκολικῶν τόπῳ,

Σικελίδες Μοῦσαι, κ. τ. λ·

« Est autem veritas, inquit, in propatulo, eo quod quidam nobiscum sentientes diligenter admodum rationem temporum instituerunt, tanquam ne quis suspicaretur, scriptum hoc esse poema post Christi adventum primumque ejus in terris judicium, falsos autem proferri versus, velut olim a Sibylla prædictos. Convenit enim inter omnes, Ciceronem ista non modo legisse, sed etiam latine versa operibus suis inseruisse; quo postea Antonii jussu occiso, victor Antonii Augustus annos imperavit sex et quinquaginta; post hunc Tiberius, sub quo Servatoris nostri adventus eluxit, novæque religionis mysterium institutum est, et nova gens surrexit, quam mihi videtur designare nobilissimus inter Italos poeta sic loquens :

Jam nova progenies cælo demittitur alto,

et in alio Bucolicorum loco :

Sicelides musæ, etc. »

Pergit quartam Virgilii eclogam græcis versibus interpretari, eamque proponere tanquam e Sibyllinis haustam fontibus, quod scilicet ejus initio Cumanæ mentio fiat originis :

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas,

et quod nonnulla in ea deprehendantur Sibyllinorum nostrorum locis quibusdam haud absimilia. Summa ergo totius argumentationis hæc est, Sibyllina carmina, christianæ faventia doctrinæ, Christi natalibus anteriora his de causis esse censenda, 1° quod Cicero ex iis acrostichidem latine versam protulerit: hoc quidem falsissimum est, uti allato ipso Ciceronis loco monstravimus in Exc. III; 2° quod Virgilius quartam ex iis eclogam desumpserit : id quoque aperte falsum, quamvis divo Augustino, locis infra citandis, et ex Augustini fide, plerisque postea latinis auctoribus probatum. Luce enim clarius est eclogam hanc esse scriptam a poeta juvene gratulante Pollioni per adulationem nova generis humani fata, tanquam ab ipsius consulatu auspicanda, propter exspectatos illo ipso anno (ante Chr. 40) pueri cujusdam, ignoti nunc vel minus certi, natales. De quo varia disputentur licet, nos intelligimus Octavii e Scribonia sobolem, quam feminam fore, Juliam nempe, postea famosam, nemo tunc poterat ominari : decepta poetæ spes eclogæ sensum incertum fecit. Sed quemcumque designari putes, nihil certe Romanus infans cum Judæorum aut Sibyllistarum Messia commune habuit. Tantum de futuro post Magnum Annum, cujus finis tum exspectabatur, ætatis aureæ reditu somniavit Noster quæ forte prædicta audierat in Sibyllinis, incertum

quibus, libris; in Cumanis autem putavit, quia Romæ Sibyllina omnia Cumanæ Sibyllæ vulgo ascribebantur. Nec nos id de nostro conjicimus, favente huic interpretationi Servio ad h. l., ubi totam de hac re Sibyllæ, quam Cumanam vocat, doctrinam exponit (confer nostrum Exc. II, p. 107, sq.); favente vero præsertim sequenti versu :

Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.

Illa porro de feris ac serpentibus innoxiis, quæ nonnulli desumpta putant vel ex Isaia propheta, vel e Sibyllinis nostris, lib. III, v. 787, sqq., ex aureæ ætatis communi fama defluxerunt, sicut ad hanc eclogam observavit sagacissimus Virgilii commentator Heynius. Itaque nec tanto labore e latinis versibus optimis in græcos satis bonos convertenda fuit ecloga ista, nec tanto allegoriarum luxu interpretanda, quanto Constantinus in illa sua ad Sanctos oratione usus est. Atque ut verum dicamus, pudet tam levibus argumentis defensam fuisse sacrosanctæ religionis causam in illo gravissimorum virorum consensu : pudetque eo magis, quod fateatur ipse Constantinus nutare jam Sibyllinorum carminum auctoritatem non apud eruditos tantum aut incredulos, sed apud plerosque : Ἀλλ' οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων ἀπιστοῦσι. Tantumne virum talemque principem, publice ac pro imperio concionantem, iis testimoniis abuti, quæ ipso fatente plerisque suspecta erant! Nos quidem eo loquente videre nobis videmur sanctos doctosque, qui multi aderant, episcopos, Græcos præsertim, jamdudum ista carmina parvi facere assuetos, invicem se respectantes cum stupore quodam et pudore.

Scripsisse quidem hæc, principis jussu, nonnulli putaverunt Eusebium, cujus inter opera, velut ipso edente, prodiit hæc oratio. Nos non credimus, quod nec latine tam peritus ille nec talis poeta fuisse videatur, qui vel Constantini sensus vel Virgilii eclogam Græco sermone sic reddere potuerit. Quod si jussus hæc scripsit Eusebius, certe non magni fecit quæ scripserat, neque Sibyllarum auctoritate valde commotus fuit, qui quum in Præparatione et Demonstratione evangelica, testimonia omnia profanorum scriptorum ad tuendam novam fidem assisceret, a Sibylla nihil accepit, præter illud supra dictum de Babylonia Sibylla, quod ipsum Josephi historici, non Sibyllæ verbis attulit; confer nos supra, p. 256, et ad lib. III, v. 97.

Idem testimonium Cyrillus postea Juliano opposuit, sed ex Eusebii fide, non ex ipsis Sibyllinis desumptum : sicut ab aliis quoque prolatum est, et latine a divo Hieronymo, de locis Hebraïcis, non alia quam Eusebii auctoritate.

Basilius vero, Chrysostomus, Epiphanius, quarti denique sæculi Patres plerique de Sibyllis ac Sibyllinis prorsus reticuerunt; et hoc

est quod supra dicebamus, post Clementem Alexandrinum Græcos omnes doctiores hæc oracula neglexisse.

Solus videtur Nazianzenus, ut poeta, mentem ad hæc advertisse, sed vituperandi potius quam laudandi causa. Ait enim parum se curare an gentiles prophetæ Hermes et Sibylla aliquid a christiana veritate minus alienum cecinerint, a Deo, inquit, id facere coacti, nec tamen divina luce, sed accensa e sacris libris face illuminati : in quo partim accedit ad Lactantii mentem, dum Sibyllam vera aliqua de divinis rebus cecinisse libens agnoscit; partim ab ea discedit, dum humanitus desumpta hæc a Sibylla putat e sacrarum literarum cognitione. Verba sunt ejus, de Rebus suis, carm. II, pag. 144 :

Ἑρμῆς δ τρισάριστος ἐμοῖς ἐπέεσσιν ἀρήγοι
Οὐδ' ἐθέλων, σταυρὸν δὲ σέβοι μέτροισι Σίβυλλα,
Τῆς μεγάλης θεότητος ἐλαυνόμενοι βελέεσσιν·
Οὐδὲν ἐπιστρέφομαι, καὶ εἴ τινος ἆσσον ἵκοιντο
Οὐ θεόθεν, βίβλων δὲ παραβλέψαντες ἐμεῖο.

Nec diffitemur tamen in ejusdem viri sancti carminibus Sibyllinæ imitationis vestigium non unum occurrere, ut, quum eodem carmine, de Rebus suis, pag. 50, ita scribit :

Ἄνθρωποι θνητοὶ καὶ τέκτονες οὐδὲν ἐόντων,
Μέχρι τίνος ψεύστῃσι καὶ ἠματίοισιν ὀνείροις
Παιζόμενοι, παίζοντες, ἐπὶ χθονὶ μὰψ ἀλάλησθε,
Λάτριες εἰδώλων κενεόφρονες, οἳ παθέεσσιν
Ἄλκαρ ἑοῖς μήσασθε Θεοὺς στήσασθαι ἀλιτροὺς,
Ψεύστας, ἀνδροφόνους, σκολιοὺς, ἐπίορκον ὀμοῦντας,
Ἅρπαγας ἀλλοτρίων, ξείνης δηλήμονας εὐνῆς,

vix dubites respexisse illum ad initia Procemii Sibyllini sic se habentis :

Ἄνθρωποι θνητοὶ καὶ σάρκινοι, οὐδὲν ἐόντες,
Πῶς ταχέως ὑψοῦσθε, κ. τ. λ.;
........Τί πλανᾶσθε, βροτοί; Παύσασθε, μάταιοι,
Ῥεμβόμενοι σκοτίῃ, κ. τ. λ.,

et ad libri octavi versum 185, sq., ubi nunc vulgo legitur,

Ἀστασίῃσι τύραννοι,

sed olim lectum videtur fuisse, sicut ibi monuimus,

Ἅρπαγες ἠδὲ τύραννοι ἁμαρτωλοί τε βίαιοι,
Ψεῦσται, ἀπιστόφιλοι, κακοπράγμονες, κ. τ. λ.,

quæ ultima iterum expressit Gregorius, ad Nemesium, pag. 142 :

Ψεύστας, ἀνδροφόνους σκολιοὺς, ἐπίορκον ὀμοῦντας,
Ἅρπαγας ἀλλοτρίων, ξείνης δηλήμονος εὐνῆς.

Et illud quod ait alibi, de Miraculis secundum Marcum, pag. 103 :

Θρέψεν πάλιν ἔπτ' ἀκόλοισιν
Ἀνδρῶν χιλιάδας,

sumptum videtur ex oraculorum nostrorum libro VIII, v. 276 :

Ἀνδρῶν χιλιάδας ἐν ἐρήμῳ πέντε κορέσσει.

Sed hæc poetæ magis imputanda quam episcopo, circa Sibyllina ludenti magis quam serio agenti. Postea magnum rursus in Oriente de istis oraculis silentium, vix semel aut bis interruptum aliqua voce. Quippe vix indicandus Moyses Chorenensis, Armenius scriptor sæculi quinti, qui in Armeniaca historia, lib. I, cap. 5, ed. lat. Lond. 1736, hæc habet : « Mihi vero libitum est narrationis meæ initium ordiri a « dilectissima mea ceterisque veraciore Sibylla ; » narratque continuo de turri Babel ac de Titanibus simillima iis quæ leguntur in Sibyllino libro III, § 2, sub initium, nominibus tantum nonnihil mutatis. Quæ tamen omnia non ex ipsis Sibyllinis vir bonus excerpserat, verum ex historia quadam Armeniace conficta sub Berosi nomine, an e Berosi laciniis ? a Mariba quodam Syro, ut ipse alias ultro confitetur, eodem libro, cap. 3, mirans satis, (sed quid ita mirum ?) falsa sua Berosiana de temporibus diluvio anterioribus multum differre a Berosi et Abydeni fragmentis quæ videlicet ex Eusebio cognoverat : confer supra, pag. 279.

Unus deinde Græcorum occurrit Sozomenus, quinto etiam ille sæculo, Tripart. Hist., § 18, et Hist. Eccl. II, § 1, versum unum Sibyllinum citans e libri sexti fine :

Ὦ ξύλον ὦ μακαριστὸν ἐφ' ᾧ Θεὸς ἐξετανύσθη.

Ultimum denique adducemus Procopium, qui de Sibyllinis, ut erat vir ingeniosus et prudens, judicium tulit haud contemnendum, de Bell. Goth. I, § 24. Ibi enim quum oraculum quoddam pseudo-Sibyllinum suo tempore latina lingua vulgatum, de quo nos in Exc. III, pag. 191, ambiguitatis et vanitatis arguisset, testatur se, Sibyllinis omnibus perlectis, comperisse, nihil ex iis certi de futuro posse resciri, quod nullum Sibylla temporum aut locorum servet ordinem, sed temere omnia misceat, ut, quo spectet vaticinium quodque, nisi post eventum, nemo sciat : Τῶν γὰρ Σιβύλλης λογίων τὴν διάνοιαν πρὸ τοῦ ἔργου ἐξευρεῖν ἀνθρώπῳ οἶμαι ἀδύνατα εἶναι. Αἴτιον δὲ, ὅπερ ἐγὼ αὐτίκα δηλώσω, ἐκεῖνα ἀναλεξάμενος ἅπαντα. Ἡ Σίβυλλα οὐχ ἅπαντα ἑξῆς τὰ πράγματα λέγει, οὐδὲ ἁρμονίαν τινὰ ποιουμένη τοῦ λόγου, ἀλλ' ἔπος εἰποῦσα ὅτι δὴ ἀμφὶ τοῖς Λιβύης κακοῖς, ἀπεπήδησεν εὐθὺς εἰς τὰ Περσῶν ἤθη· ἐνθένδε τε Ῥωμαίων ἐς μνήμην ἐλθοῦσα, μεταβιβάζει ἐς τοὺς Ἀσσυρίους τὸν λόγον· καὶ πάλιν ἀμφὶ Ῥωμαίοις μαντευομένη, προλέγει τὰ Βρεττανῶν πάθη· ταύτῃ τε ἀδύνατά ἐστιν ἀνθρώπῳ ὁτῳοῦν πρὸ τοῦ ἔργου τῶν Σιβύλλης λόγων (an λογίων ?) ξυνιέναι, ἢν μὴ ὁ χρόνος αὐτὸς, ἐκβάντος ἤδη τοῦ πράγματος,

καὶ τοῦ λόγου ἐς πεῖραν ἐλθόντος, ἀκριβὴς τοῦ ἔπους ἑρμηνεὺς γένηται. Quod quidem Procopii judicium nescimus utrum huc fuerit referendum, an potius reservandum in Exc. V. Videtur enim non tam ad Sibyllina pertinere, qualia veterum Patrum manibus versabantur, quam ad nostram Sibyllinam collectionem hodiernam, quippe, ut alias monstrabimus, Procopii tempore vel paulo ante confectam. Ille certe, de quo queritur, continuus Sibyllæ vaticinantis discursus ab Afris ad Persas, a Persis ad Romanos, inde ad Assyrios, rursusque ad Romanos, et statim ad Britannos, probe omnino in Sibyllina a nobis edita cadit. Nec omittendum quod ipse addit omnia se Sibyllina perlegisse, ἐκεῖνα ἀναλεξάμενος ἅπαντα, prorsus ut Zosimus supra citatus in Exc. II, pag. 110, πολλὰς χρησμῶν συναγωγὰς ἀνελίξας. Sed Zosimus de profanis gentilium Sibyllinis, quarum multas ejus tempore collectiones vulgatas fuisse notavimus, ibid.; Procopius vero de nostris christianis judaïcisve Sibyllinis aperte loquitur, quæ nisi tunc in unum fasciculum collecta fuissent, ægre potuisset omnia perscrutari. Plura nos de ea re in Exc. V.

Et jam apud Græcos ulteriora persequi minus necesse est, quoniam ad tempora prorsus declivia pervenimus, de quibus si quid est addendum, addetur mox in appendice ad hunc Excursum. Sed redeundum nunc ad Latinos, quos supra reliquimus vivacem suam erga Sibyllas ac Sibyllina venerationem, Lactantii ore, sub initia quarti sæculi, profitentes.

Quarto qnidem sæculo nullum aliud latinum de Sibyllinis testimonium invenimus, nisi forte Julii Firmici, qui videtur acrostichidem legisse Sibyllinam, in eaque τὸ πῦρ τὸ ἰχνεῦον, quum scribit: « Ignis « iste scrutatur abdita. » Sed hoc fortasse leve est indicium. Nec certior testis afferri potest Hieronymus, quanquam eum Sibyllis haud iniquum fuisse ostendit locus jam alibi citatus e libro I adv. Jovin. § 41: « Quid referam, Sibyllas Erythræam atque Cumanam et octo « reliquas (nam Varro decem fuisse autumat) quarum insigne virgi- « nitas est et virginitatis præmium divinatio? Quod si æolici genere « sermonis Sibylla Θεοβούλη appellatur, recte consilium Dei sola scri- « bitur nosse virginitas. » Utrum vero Sibyllinis tam faverit quam Sibyllis, incertum est, imo nobis valde dubium, quia nusquam operum suorum ad nostra carmina provocavit.

Quinto etiam incipiente, parum de Sibyllis honorifica est sententia divi Ambrosii, sive, ut quibusdam placet, Hilarii diaconi, in epist. I, ad Corinth. cap. 2, qua scilicet oracula falsorum vatum, cum iisque Sibyllina aperte in malignum spiritum rejiciuntur: « Hic est, inquit, « qui per verisimilia fallitur et fallit: hic est qui per Sibyllam locutus

« est, sensum nostrorum secutus, locum volens inter cælestes habere. »

At longe diversum magisque nostris oraculis propitium est divi Augustini judicium, quamvis fatentis suo tempore rara admodum, saltem in Africa, fuisse eorum exemplaria. Sic enim ille, de Civitate Dei, lib. XVIII, cap. 23 : « Romuli, ait, tempore nonnulli Sibyllam Erythræam vaticinatam ferunt. Sibyllas autem Varro prodidit plures « fuisse, non unam. Hæc sane Erythræa Sibylla quædam de Christo « manifesta conscripsit, quæ etiam nos in latina lingua versibus male « latinis et non stantibus legimus, per nescio cujus interpretis imperitiam, sicut post cognovimus. Nam vir clarissimus Flaccianus qui « etiam proconsul fuit, homo facillimæ facundiæ, multæque doctrinæ, « quum de Christo colloqueremur, Græcum nobis codicem protulit, « carmina esse dicens Sibyllæ Erythrææ, ubi ostendit quodam loco in « capitibus versuum ordinem literarum ita se habentem ut hæc in eo « verba legerentur, Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτήρ, quod est latine « *Jesus Christus Dei Filius Salvator.* Hi autem versus, quorum primæ « literæ istum sensum quem diximus, reddunt, sicut eos quidam Latinus exstantibus versibus est interpretatus, hæc continent : Judicii « signum, etc. »

Pergit Augustinus latine versam exponere acrostichidem eamdem quam supra græce vidimus ab Eusebio proponi. Sed in latino testimonio quædam sunt observanda : 1° non prorsus affirmare Augustinum Erythrææ Sibyllæ fetum hunc esse, nempe illius antiquissimæ et præ ceteris claræ; ait enim : « Erythræa Sibylla quædam, » et infra : « Carmina esse dicens Sibyllæ Erythrææ »; 2° illud, quod jam diximus, Augustini tempore raram fuisse, Latinis certe parum cognitam, eam acrostichidem, ut ipsam raritatis causa integram proferendam putaverit sanctus Pater, neque hic modo, sed rursus in oratione contra Jud. Pag. et Arr., nisi tamen postrema hæc oratio spuria est, e ceterorum librorum exuviis consarcinata; 3° videri illo tempore acrostichidem vulgo solam circumferri solitam, libros vero integros rarius : quod facile intelligas, si reputes Constantini orationem ad Nicænos Patres necessario in Occidentis partibus latine promulgatam fuisse, cum ipsa acrostichide in versus latinos utcumque versa, et sic divulgari potuisse latinam acrostichidem, græcis manentibus ipsis libris ideoque parum in Occidente cognitis. Obstat tamen quod pro XXXIV versibus græcis latini duntaxat XXVII exhibentur, qui fuit primarius acrostichidis græcæ numerus, priusquam in Sibyllinos libros admitteretur, aucta tum primum Crucis sanctæ nomine (confer Exc.V, cap. 5). Potuit ergo diutius ante Augustinum et Constantinum, imo ante editum octavum librum, e græco in latinum transferri acrosti-

chidis pars prior; idque facile volenti cuivis concedemus, etsi fatendum translatam eam fuisse, ipso notante Augustino, « versibus male « latinis et non stantibus », quod ætatis deterioris indicium est.

Pergit utique sanctus scriptor : « Hæc autem Sibylla, sive Erythræa, « sive, ut quidam magis credunt, Cumana, ita nihil habet in toto carmine suo, cujus exigua ista particula est, quod ad Deorum falsorum « sive fictorum cultum pertineat; quin imo, ita etiam contra eos et « contra cultores eorum loquitur, ut in eorum numero deputanda « videatur qui pertinent ad Civitatem Dei. Inserit etiam Lactantius » operi suo, etc. » Adduntur huc fragmenta quædam Sibyllina, sed latine omnia, omniaque e Lactantio desumpta, ut videatur Augustinus Sibyllina græca inspexisse tantum, non diligenter evolvisse : atque ipso fatente, certum est non admodum fuisse illum in græcis literis exercitatum, quod in rhetore quondam celebratissimo forsan miretur aliquis. Itaque illud quod ait, « nihil habere Sibyllam in toto « carmine suo, quod ad Deorum falsorum sive fictorum cultum pertineat, » etsi verissime ait, fama tamen videtur potius quam experientia didicisse, idque alieno potius quam suo declarare judicio.

Occurrunt apud eumdem quædam alia de Sibyllis testimonia, sed ea pariter e Lactantio, a quo suam omnem de re Sibyllina videtur accepisse doctrinam. Tale est quod de quarta Virgilii ecloga prorsus ad Eusebii mentem edisserit, libro nempe X, de Civitate Dei, cap. 27: « De quo etiam [nempe de Christo] poeta nobilissimus, poetice qui- « dem, quia in alterius adumbrata persona, veraciter tamen, si ad « ipsum referatur, dixit :

Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras.

« Ea quippe dixit..... scelerum manere vestigia, quæ nonnisi ab illo « Salvatore sanentur, etc. ... Nam hoc utique non a se ipso dixisse « Virgilium, in eclogæ ipsius quarto ferme versu indicat, ubi ait :

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas,

« unde hoc a Cumæa Sibylla ductum esse incunctanter apparet. » Idem fere eadem habet in epist. 258 ad Martianum, t. II, p. 824, ed. Bened., ubi quum duos illos Virgilii versus iterum laudasset :

Te duce, si qua manent, etc.,

« Quod, inquit, ex Cumæo, id est, ex Sibyllino carmine se fassus est « transtulisse Virgilius; quoniam fortassis etiam illa vates aliquid de « unico Salvatore in spiritu audierat, quod necesse fuit confiteri. » Et hoc ille rursus in Expositione epist. ad Rom. § 3, t. III, part. II, p. 296 : « Fuerunt enim et prophetæ non ipsius [Dei], in quibus « etiam aliqua inveniuntur quæ de Christo audita cecinerunt, sicut

« etiam de Sibylla dicitur : quod non facile crederem, nisi quod poe-« tarum quidam in Romana lingua nobilissimus, antequam diceret ea « de innovatione sæculi quæ in Domini nostri J. C. regnum satis con-« cinere et convenire videntur, præposuit versum dicens :

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.

« Cumæum autem carmen Sibyllinum esse nemo negaverit. Sciens « ergo Apostolus ea in libris gentium inveniri testimonia veritatis,... « non solum ait *per prophetas suos*, sed addidit etiam *in scriptu-« ris sanctis* [Paul. ad Rom. cap. 1, v. 2], volens utique ostendere, « literas gentium superstitiosæ idololatriæ plenissimas non ideo « sanctas haberi oportere, quia in eis aliquid, quod ad Christum per-« tineat, invenitur. » Hæc quam frigide, quam indigne tanto viro dicta sint, quid opus est admonere? Nam illud quidem « per prophetas « suos in scripturis sanctis, » cum aliquo respectu ad Sibyllina scriptum fuisse a divo Paulo, quis credat? Sapit hoc (pace sit dictum sancti viri) argutiam commentatoris parati quidvis potius quam nihil e singulis auctoris sui voculis expiscari. Atqui sensus erat totius loci exponendus, non de syllabis cavillandum. Planissima est Pauli sententia, quam Augustinus acutam reddere voluit. Virgilianam vero eclogam utrum recte, cum Lactantio et Constantino, ad Sibyllinam originem retulerit, supra jam investigatum omittimus.

Pariter Sibyllinorum veneratione plenum invenimus eumdem sanctum Patrem, contra Quinque Hæreses, § 4 (aliis § 3); item contra Jud. Pag. et Arrianos, oratione jam citata, et alibi. Idem tamen alicubi fatetur de illorum oraculorum origine non inter omnes convenire, ut de Consens. Evang. lib. I, § 28 (aliis 20) : « Omitto, « inquit, dicere quod ea quæ in illorum libris leguntur, pro nostra, « hoc est, christiana religione dicunt, quod a sanctis angelis et ab « ipsis nostris prophetis accipere potuerunt... Hæc omitto, quæ quum « proferimus, a nostris ficta esse contendunt. » Nota hoc ultimum, et istud, de Civ. Dei, lib. XVIII, v. 46 : « Nisi forte quis dixerit, « illas prophetias Christianos finxisse de Christo, quæ Sibyllæ nomine « vel aliorum proferantur. » Quod ipsum a Lactantio haustum videtur, eamdem objectionem præcavente et, ut licuit, refellente, locis modo citatis, pag. 275. Prorsus ergo Lactantii vestigiis insistit Augustinus, eoque firmior videtur utriusque persuasio graviorque fides, quod ambo dubitandi causas probe quum nossent, nihili tamen fecerunt.

Tantum Augustinus aliquid de Sibyllinorum auctoritate detrahere semel aut bis videtur. Ut quum adversus Faustum Manichæum, nimium istis testimoniis tribuentem, recte observat, lib. XIII, cap. 1,

« in nullis Ecclesiis illa recitari, quum Hebræi prophetæ in omnibus « gentibus clareant, » et quum infra, cap. 15, hæc addit : « Sibylla « porro vel Sibyllæ et Orpheus, et nescio quis Hermes, et si qui alii « vates vel theologi vel sapientes vel philosophi gentium de Filio Dei « aut de Patre Deo vera prædixisse seu dixisse perhibentur, valet « quidem aliquid ad paganam vanitatem revincendam, non tamen « ad istorum auctoritatem amplectendam ; quum illum Deum colere « nos ostendimus, de quo nec illi tacere potuerunt, qui suos congen- « tiles populos idola et dæmonia colenda partim docere ausi sunt, « partim prohibere non ausi sunt. »

Sed si quis attendat, Augustinus, quum hæc scribit, causidicorum more utitur omnia adversarii testimonia convellentium ; nec tam de Sibyllis quam de Orpheo, Hermete, ceterisque loquitur, quos profecto minus quam Sibyllas colebat neque tam facile in Civitatem Dei admissurus erat, quippe paucis veris et orthodoxis multa falsa et gentili superstitioni faventia miscentes. Verissimum etiam illud est, minime cum Hebræorum prophetarum auctoritate comparanda esse vel aliorum vatum vel ipsarum Sibyllarum testimonia, et plus valere ad gentilium vanitatem revincendam quam ad firmandam Christianorum fidem : quod quidem jam monuerat Augustinus locis supra citatis. Sed ut hæc omnia ultro concesserit, nusquam tamen ab ea sententia discedit, quam illi diximus cum plerisque Patribus esse communem, fuisse Sibyllam aut Sibyllas inter gentilium turbam electas, quæ, ad suorum mentes ex erroris fœdissimi somno excutiendas, quoddam diluculum nondum ortæ veritatis, Deo jubente, præmonstraverint.

Post tantum auctorem vix necesse est minora proferre nomina divi Prosperi, de Promissionibus, lib. III, per omnia pæne capita passim ; Isidori Hispalensis, lib. VIII, cap. 8, aliorumque qui nihil de suo attulerunt, sed Lactantii tantum vel Augustini verba in suam rem verterunt : quod et serius ac per totum fere medium ævum recepto more factum est a theologis et scriptoribus etiam doctissimis. Quoniam vero jam in tempora recentiora et a nostro instituto aliena excurrere videmur, tempus est huic dissertationi fidem imponere, rejectis in Appendicem quæ de medii ævi Sibyllinis nec fortasse necesse erat addere, nec tamen omnino prætermittere sustinemus.



APPENDIX AD EXCURSUM IV.

De medii ævi Sibyllinis.

Non jam de carminibus Sibyllinis agimus, quæ priscis Patribus innotuerunt, necdum ad nostros Sibyllinos libros devenimus, qui sæculo tantum XVI in lucem prodierunt, vix ab illis prioribus diversi, uti infra patebit; sed de aliis quibusdam et prorsus alio pertinentibus vaticiniis, quæ tanquam Sibyllina medio ævo cursitaverunt, ætatis pleraque recentioris barbaræque originis manifesta. Quæ tamen in Oriente pauca inveniemus. Quum enim Procopii, modo in Excursu IV laudati, ideoque Justiniani imperatoris tempore, sexto post Christum sæculo, crebra etiamtum circumferrentur veterum Sibyllinorum exemplaria (id jam ibi monstratum, pluribus in Excursu V arguetur indiciis), quumque nec statim nec cito intercidere cuncta potuerint (nonnulla certe superfuisse necesse est, quando ad nos per apographa pervenerunt), verisimile est Sibyllinorum nomen non prius ad alia transisse vaticinia quam illi antiquiores libri prorsus ex usu ac memoria hominum excidissent, quod sero factum, nec ante aliquot fortasse sæcula.

Est quidem sæculo decimo clarum ac sæpe de hoc argumento prolatum testimonium Luitprandi in Legatione, p. 484, ed. Murat., his verbis : « Habent Græci et Saraceni libros quos ὁράσεις sive visiones « Danielis vocant, ego autem Sibyllinos, in quibus scriptum reperi« tur, quot annis imperator quisque vivat, quæ sint futura eo impe« ritante tempora, pax an simultas, secundæ Saracenorum res an ad« versæ. » Verum in eo testimonio notandum est, primum non Græcis tantum, sed etiam Saracenis communes fuisse istos libros, ut astrologici potius quam Sibyllini generis fuisse videantur; deinde Sibyllinos ab ipso quidem Luitprando vocari, non vero a Græcis, a quibus, ipso teste, Danielis visiones nuncupabantur, impio falsarii alicujus mendacio. Nec tamen pertinacius contendere ausimus non eosdem libros interdum Sibyllinos dictos illis jam temporibus fuisse, sed lato sensu, id est, fatidicos et propheticos, quo sensu eos videmus ab ipso Luitprando sic vocari.

Incertum an diversus ab illis visionibus fuerit liber, quem nouo

jam sæculo (paulo igitur ante Luitprandum) servatum in aula Byzantina fuisse docet Georgius Cedrenus, quemque Sibyllinum ipse vocat, scriptor undecimi sæculi desinentis. Locus est de Leonis Armenii interitu, t. II, p. 63, ed. Bonn.: Σιβυλλιακὸς δὲ ἦν ὁ χρησμὸς, ἔν τινι βίβλῳ τῆς βασιλικῆς βιβλιοθήκης ἐγγεγραμμένος, οὐ χρησμοὺς μόνον ἁπλῶς ἐχούσῃ, ἀλλὰ καὶ μορφὰς καὶ σχήματα τῶν βασιλέων διὰ χρωμάτων. Ἦν οὖν θηρίον μεμορφωμένον ὁ λέων ἐν τῷ βιβλίῳ, ἄνωθεν δὲ τῆς αὐτοῦ ῥάχεως ἐπεγέγραπτο τὸ χ στοιχεῖον μέχρι καὶ αὐτῆς τῆς γαστρὸς, κατόπιν δέ τις ἀνὴρ ἐπιθέων δόρατι καιρίαν ἐδίδου πληγὴν τῷ θηρίῳ διὰ μέσου τοῦ χ. Erat igitur in eo libro non oraculum modo, sed et figura oraculo addita, leonis χ literam in dorso gerentis, et ab homine quodam lancea transfossi. Quod signum ita aliquis interpretatus est, Leonem Armenium, ipso Christi natalitio die, inimici supervenientis impetu periturum, sicut revera evenit. Et hanc historiam ipsis pæne verbis repetierunt Joannes Curopalata, Cedreni transcriptor, ætate pæne suppar, libro III, fol. 6, ed. lat. Venet. 1510, ac multo posterior Zonaras, lib. XV, § 21, quorum uterque Sibyllini vaticinii designationem hoc loco retinuerunt, sed auctore, uti diximus, Cedreno, unico illo nec satis idoneo. Quis scit enim an ipse vel arbitrio proprio vel ex sæculi sui more appellationem istam huc intulerit, communi illo, quo supra diximus, sensu, prophetiæ nempe cujuslibet?

Sed et hodie supersunt, servata inter Byzantinas hujusmodi quisquilias, oracula prorsus iis similia de quibus Cedrenus agit; singula quippe paucis versibus iambicis expressa cum figuris calamo delineatis, symbolica igitur et allegorica, non Sibyllina dicenda, qualia videre est ad calcem Codini de Origin. Constantinopol. ed. Lambec. et in manuscriptis nonnullis bibliothecarum Vatic. Vindob. Paris. Conferendus præcipue codex biblioth. Paris. suppl. n° 82. Sed in hoc et in plerisque, ut opinamur, codicibus, ascribuntur ista aliaque hoc genus fatiloquia non Sibyllæ alicui aut Sibyllis, sed partim Hippolyto (an divo Hippolyto?), partim Theophilo cuidam presbytero (presbyter alicubi dicitur magnæ Ecclesiæ Romanæ, id est, Cptanæ), partim vero, et vel maxima ex parte, Leoni Philosopho imperatori.

Is inter Græcos medii ævi clarissimus vaticinandi fama fuit. Cui et plerique tribuunt oraculum, quod olim ferunt in Constantini columna Byzantii in foro inscriptum fuisse (frequens illius columnæ mentio apud historicos, quanquam de oraculo in ea scripto dubitari licet; ictam fulmine anno 1080 refert Curopalata, lib. cit. § extr.). Erat oraculum literis solis aut plerisque consonantibus, omissis intermediis, exaratum: videsis illud quum alibi, tum in codice supra dicto, n° 82, cum interpretatione Gennadii patriarchæ, quæ viro

cetera docto, sane nimio fuit honori, facili quippe et cuivis expedita vocalium literarum restitutione. Scriptum erat nimis aperte de imperatorum et patriarcharum successione, sicut illa quæ supra diximus, aliaque fortasse plura hujusmodi, pleraque post eventum conficta (quis non videt?); quæ ideo procedente tempore, numero crevisse facile credas, neque uni, sed multis plagiariis exercendæ venæ materiam præbuisse.

Scias tamen ista omnia apud Græcos illorum temporum, nec doctrina multum nec critico ingenio valentes, summa gratia ac fide viguisse. Ad hæc aut talia sæpe alludit Nicetas Choniata, auctor sæculi XIII incipientis, versusque ejusmodi complures affert, pag. 220, 289, 462, 484, ed. Bonn., quorum nonnulli cum iis conveniunt quæ sub Leonis Philosophi nomine exstant. Nec dubium eodem respexisse Laonicum Chalcocondylam, historicum multo posteriorem, qui postquam de ultimo Constantinopoleos excidio finem dicendi fecit, totam ejus urbis historiam Sibyllinis vaticiniis comprehensam ait fuisse, atque ita diligenter, ut de eorum oraculorum fide quemquam dubitare miretur ipse, de rebus Turcicis, lib. VIII, p. 405, ed. Bonn. : Θαυμάζω δὲ εἰ μὴ τοὺς χρησμοὺς τῆς Σιβύλλης οὐχ οἴονταί τινες ἀληθεῖς γεγονέναι, quum tamen statim pro Sibylla Leonem Philosophum citet ejusque supra dictas prædictiones : ut plane appareat id quod modo diximus, ultimis Græci imperii temporibus, quum nihil fere de Sibyllis, præter nomen, in hominum memoria remansisset, illud sæpe nomen ad cujuslibet generis oracula temere translatum fuisse.

At in Occidente certum est oracula bene multa sub ipso Sibyllarum nomine prodiisse. Id tamen fortasse non ante alteram medii ævi partem. Nam antea vulgaris ipsa veneratio Sibyllarum, e Lactantii et Augustini scriptis in illorum temporum theologiam invecta, falsariis obstabat; et usque ad nonum saltem sæculum satis videbatur doctissimo cuique sparsa apud Patres latinos Sibyllina fragmenta colligere et interpretari, uti factum observare est a quodam Sedulio, Caroli Calvi temporibus, in codice antiquissimo qui nunc inter cimelia bibliothecæ armamentarii Parisiensis asservatur, de quo multa docta Montifalconius, et nos aliquid in præfatione ad tom. I. Sed crescente in dies cum ignorantia vulgi etiam impostorum audacia, tanta deinde fatidicarum ineptiarum seges luxuriavit, ut nihil mirum sit quædam etiam pseudo-Sibyllina tot aliis mendaciis admixta crevisse, et ab imperitis hominibus pro bona fruge decerpta, in bibliothecarum horreis condita remansisse.

Horum celeberrimum est vaticinium venerabili Bedæ vulgo ascribi solitum, quod aliquoties typis editum, integrum legi potest non modo

inter ipsius Bedæ opera, tom. II, ed. Basil. 1563, extr.; sed etiam in Sibyllinorum editionibus Opsopœi, p. 515, sqq., et Gallæi, t. II, post præf. Sic vero incipit:

« Sibyllæ generaliter omnes feminæ dicuntur prophetantes [hæc et « pleraque infra de Sibyllis, e Lactantio ducta sunt, licet pleraque « adulterata], quæ divinam voluntatem [codd. ob div. vol.] interpre- « tari et ventura pronuntiare solebant. Tradunt autem doctissimi au- « ctores, decem fuisse Sibyllas, quarum prima Persis; secunda Li- « byca; tertia, Delphica, quæ ante Trojana bella vaticinata est; « quarta Cumæa, in Italia; quinta Erythræa in Babylonia orta, dicta « Erythræa ab insula in qua ejus dicta sunt carmina; sexta, Samiana, « a Samo flumine Beneventano [mirum, sed alii legunt, a Samo insula] « vocata; septima Amalthæa vel Cumana; octava Hellespontica; nona « Phrygia; decima Tiburtina græce, Albunea latine vocatur; cujus « carminibus [codd. ex cujus carm.] multa de Deo et Christo scripta « continentur. Fuit igitur hæc Sibylla Priamidis [sic] regis filia, etc. « Audientes igitur famam ejus Romani, statim nuntiaverunt in con- « spectu senatorum. Mittentes ergo senatores legatos ad eam, fece- « runt ipsam cum magno honore deduci Romam, etc., etc... »

Ibi mulier illa somnium quorumdam senatorum interpretatur, visos nempe in somnis novem soles, quos ipsa novem hominum generationes esse docet, atque inde paucis prædicit quid in quaque generatione eventurum sit, multis Sibyllinis fragmentis intermixtis e Lactantii fide secundum veterem latinam interpretationem. Et in quarta quidem generatione Christi adventum vaticinatur; in nona finem Romani imperii, venturos e Syria duos reges (conf. Lact. lib. VII, cap. 16, sq.), deinde regem magnum et pium urbem sanctam ædificaturum, cujus nomen a C litera incepturum sit [Constantinum], et post illum ignotos quosdam reges, fortuitis elementis designatos, B. A. A. A. A. R. L., dubiis omnibus, sed in quibus nomen prævalere videtur Augustorum. Tum sic pergit:

« Et post hæc surget rex Salicus de Francia per K nomine [Karolus « nempe Magnus]: ipse erit magnus et piissimus, potens et miseri- « cors et faciens justitiam pauperibus..... Et veniet rex post eum « per L nomine [Ludovicus Pius], et post hoc regnabit L [Lotharius] « et post L *** [lacuna hic est paucorum nominum], et de L. egre- « dietur A [Arnulphus] et ipse A erit nimis bellicosus et fortis in « prælio..... Tum exsurget rex per V nomine et ex una parte Sali- « cus et alia Langobardus [Verengarius nempe seu Berengarius im- « perator]..... Et in diebus illis procedet rex per O nomine (Otho « magnus), et erit potentissimus, etc., et de ipso procedet alius O po-

« tentissimus [Otho II], et de ipsa muliere [id est, uxore] nascetur « rex per O nomine [Otho III], hic erit sanguinarius et facinoro- « sus, etc. Et post eum surget rex per H nomine [Henricus II], etc. « Tunc exsurget alius rex Salicus per C nomine [Conradus]...... » Et sic nostra Sibylla historiam utcumque detexit imperii Germanici usque ad Fridericum vulgo dictum a Barba rufa, cujus laudes celebrat. « Post hæc vero surget alius rex per H nomine [Henricus VI], « et de ipso H procedent duodecim H, etc. » Jam vero delirare incipit vates, et Henrico isti regnum centenarium impertit, et mox eadem ex prole regem aliquem excitat Romanorum et Græcorum per annos cxxii duraturum; nec multo post Antichristi regnum et mundi finem prædicit, desinitque in illam celebratissimam acrostichidem de judicio supremo, quam latinam divi Augustini verbis recitat. Omnium igitur manifestissimum est, scripta hæc esse non a venerabili Beda, octavo sæculo incipiente, verum ab aliquo sive Italo sive Germano homine, tum quum Henricus sextus Germanis imperabat, sub duodecimi sæculi finem.

Notandum in illo superiore vaticinio Tiburtinam Sibyllam præcipuas partes agere. Alterum vix minus clarum medio ævo ferebatur, tanquam Erythrææ Sibyllæ, quod typis impressum prodiisse docet Fabricius cum commentario Ludovici de Tovat [an de Toval?], Hispani, Senis, 1508. Nos impressum hujus exemplar nullum Parisiis invenimus, nisi inter opera Theolosphori cujusdam eremitæ, Ven. 1516, ubi exstat fol. lii, sqq. Manuscriptum vero tractavimus in bibliotheca nostra Parisiensi sub numeris 3319, 6362, etiam 3455 (sed ibi ex parte tantum); atque ex infinita lectionum varietate, lacinias ejus utcumque refectas, quæ ad nostram rem conferre visæ sunt, excerpsimus. Prologus autem ei præfixus est hujusmodi :

« Vaticinium Sibyllæ Erythrææ (codd. Erithee, quidam Heritee). « Opusculum istud extractum est (alii, Prophetia Sibille Heritee ex- « tracta) de libro qui dicitur Vasiliographi, id est, imperialis scriptura « [conf. supra, pag. 287, sq.], quod Sibylla Erythræa [codd. Erithea, « alii aliter] Babylonica ad petitionem Græcorum tempore Priami regis « edidit; quodque de Chaldæo sermone in græcum Daxopetri [alius « cod. docta pater; corruptum utrumque : an Doxapatri, fictum no- « men e græco, δόξα τῷ Πατρί?] peritissimus transtulit : tandem de « ærario Emmanuelis [videlicet Comneni] imperatoris eductum Eu- « genius regni Siciliæ [al. Eugenius rex : imo lege, Rogerius rex Sic.] « admiratus de græco transtulit in latinum. Liber Erythrææ [alii ali- « ter] incipit. »

« Exquiritis me [alii codd. a me], o illustrissima turba Danaum,

« quatenus Graios eventus Phrygiasque ruinas [al. minas] in scriptis « referam; quidve proli Laumedontis nobilissimæ, quid Dioneo « [codex unus intra lineas, Paridi] duci peritissimo, quid Teucris [al. « Teucricis] ædibus universæque linguæ prædestinatum existat. Non « omittamus etiam quid post Ilion [id est, Iliacum] pulverem Argorum « [alii codd. hircorum] gradibus [id est, ducibus] generosis ubique « [al. orbique] proveniat, [quidve ex Phrygiis fiat reliquiis, add. cod. « 3455], vel futuris tantum temporibus existat. Delphos siquidem « Pelidem Calchamque [sic] transmittitis, opus humanum consulitis, « fictilem deum exquiritis. Numquid ex ipso ineffabilis conscientia « [al. sententia, al. ineffabile consilium] cognoscetur? Nunc vero solli- « citatis otium puellare, ut extra morem solitum [al. extra petitiones « solitas] dimensio propulsetur [id est, oraculi mensura producatur]. « Nos autem, contemplatione in altissimum habita, respondemus.

« Sudoris opus aggredimini [al. aggredimur], o Danai, sollicitudinis « et cruoris, donec decem pedes [id est, anni, sicut in hoc vaticinio « sæpe] præmensurati discurrant, Ilion depereat, Laumedontis pro- « genies evanescat, præda redeat ad Atridem, etc. » Inde multa sequuntur de Græcorum fatis, hic omissa.

« Sed et pertimescent universi terrigenæ nomen Æneadum [al. « Æneadæ]. » Adduntur deinde nonnulla de fatis Romanorum, quæ hic omittenda censemus.

« Hinc Æneadum [al. Æneadæ] gloria in Byzantium deducetur, « eritque nidus [al. modus] delicatissimus, qualis non fuit; robustum « decus in muliebrem mollitiem [al. in muliebre] convertetur; erunt « Danai in robore delicato, usque ad leonem [Manuelem Comnenum] « sexaginta pedum [al. pedes, id est, annos, quot omnino Manuel « vixit], donec catulos ejus ursus devoret [Andronicus Comnenus], « optimates Byzantios obtenebret, decus decalvet femineum; hinc « aquila despecta [Isaacus Angelus] ursum devoret [Andronicum], « aquilam hircus [tyrannus Alexius Ducas] obtenebret, pullum voret « aquilæ [nempe Alexium Isaaci filium]; sanguis effusus, physis « [id est, naturæ] offendiculum, in conspectu tremendi numinis cla- « mitet. Fietque [alii, fiat] potentium in aquis Adrianeis congregatio « [expeditio crucigera quarta]; cæco præduce [Venetorum duce Dan- « dolo, pro quo male al. cetero duce], hircum abigent, Byzantium « profanabunt, ædificia denigrabunt, aurum ejus [alii amictus] per « orbem et spolia dispergentur, virgines humiliabuntur. Hircus non « balabit, gallus non cantabit, usque dum XLIIII [Ven. ed. XL, sed « infra XLIIII; numerus igitur constat, licet oppido falsus : scri- « bendus enim fuit LVII] pedes novemque pollices semique [sic] præ-

« mensurati discurrant, aquila triceps volet et revolet. Hircus regalis « [al. jugalis, al. in Gallis; sed præstat, regalis, id est, Græcus imperator] in Byzantium reducetur. Sic inferius distinguemus [id est, « plura de his infra declarabimus]. »

« In ultima ætate humiliabitur Deus [redit vates ad divinæ redemptionis tempora], et humiliabitur proles divina; jungetur humanitati divinitas [al. deitas]. Jacebit in feno agnus, et puellari officio « educabitur Deus et homo. Signa præcedent apud apellas [id est, « Judæos]. Mulier venustissima præscium [alii hoc verbo carent] concipiet. Boetem [id est, auxiliatorem; sed alii loctem, an lactentem?] « orbis mirabitur. Ducatum præstabit ad ortum [id est, imperium ad « Orientem reducet]. Hic habens pedes triginta tres [alii, XXXII] sexque pollices, eliget sibi ex piscatoribus [addunt alii, et dejectis] numerum duodenarium unumque diabolum, etc., etc. »

Sequuntur raptim et paucis exposita christianæ religionis et potentiæ pontificalis exordia; inde Mahumetis adventus sub figura bestiæ apocalypticæ. Tum sic pergit :

« Porro leo fortissimus ab occidente rugiet, coloris cœlestis, maculatus auro [imperator Fridericus I vulgo a barbæ colore dictus]. « Cui capita quinque [alii quinque omittunt] pedesque quingenti « [sensus non patet], irruetque in bestiam [in Mahumetanum imperium], et conteret vires ejus. Caudam vorabit bestiæ; pedes et caput « omnino non lædet. Hinc morietur leo; hinc bestia confirmabitur « [al. hinc confirmabitur hostis] : regnabit [hostis nempe Mahumetanus] et vincet [al. vivet] usque dum abominatio veniat, etc., etc. »

« Erit in diebus postremis psittacus [Guillelmus II] dans jura Siculis, habens pedes XXXIII [imo XXIII, quot regnavit annos] et gallinam sine pullis. Hic mittet e lateribus [id est, e propinquis] suis, « irruetque in hircos [id est, in Græcos]. Vorabunt, destruent et evellent, donec ursus rugiat [Tancredes], cujus pedes tres semique, et « compressa [alii, comprehensa; verus sensus latet] aquila, cujus nomen « Y [Henricus VI imperator, cujus nomen sic olim scriptum, Ynricus], « scripta quinque [an potius sex?] apicibus, inæstimabiliter sibilans, « ministrum iniquitatis destruat, ursum conterat, caput evellat, sceptrum ejus possideat, latera psittaci [id est, Guillelmi cognatio] « hirci calliditate abigantur. »

« Eritque altera gallina [Constantia imperatrix] generis ejus [al. « coloris ejusdem], cui dabit gallus [id est, vir suus] germanicum « [suppl. filium]. Hic [iterum Henricus VI] descendet in rugitum, sicut ursus, cum devorat carnes optimas. Hereditatem psittaci [Guillelmi] possidebit, filiosque regis oppositi [Tancredis] obtenebrabit,

« Gloriam Siculorum annullabit, donec tres pedes pollicesque sex « [tres anni cum dimidio] consummentur. Oculos ejus gallina [Con- « stantia] claudet supprimetque. »

« Post hæc autem cum aquilam obtenebrabit hircus [rursus ad res « Byzantinas supra interruptas redimus], pullumque abiget [idem « quod supra de Byzantinæ aulæ vicibus rursus intellige], ascen- « dent in conspectu Altissimi Byzantii scelera : tremendum numen « effusum sanguinem et physis offendiculum abominabitur; et reli- « quiæ destructionis ursi septuaginta pedes [al. pedum, et fortasse « legendum sexaginta, ut supra de Manuele Comneno, cujus hic ge- « nus innuitur] conducent per aquas Adriaticas filium aquilæ et po- « testates paucissimas [rursus quartam agnosce crucigerorum expedi- « tionem] sponsæque latus [incertum quo id respiciat]. Et cum pullus « vorabit ursum [an potius, quum pullum Alexium Angelum vorabit « hircus Alexius Ducas?] corruent in Byzantium, decus et gloriam « subvertent. Impius devorabitur [al. ipsius denigrabitur aurum], au- « rum sanctum prophanabitur [et cetera. ut supra]. »

« Venient in postremis diebus duæ stellæ [duo scilicet reges seu « prophetæ, de quibus confer Lact. VII, 16, sq., et nos in Exc. VI]... « Et veniet aquila habens caput unum et pedes sexaginta, cujus « color sicut pardi, pectus sicut vulpis, etc. » Aliæque multæ bestia- rum figuræ sequuntur, tanquam regum olim futurorum, sed omnes vanæ et somniis similes.

« Post abominationem consequitur examen [id est, judicium extre- « mum]. Signa præcedent. Erit in elementis quatuor extra morem co- « loris cursusque mutatio, etc., etc. » Reliqua de judicio futuro ma- gnam partem ex Apocalypsi desumpta sunt.

Meminerunt hujus prophetiæ Boccatius, de Claris mulieribus, cap. 19, aliique plures, parum caute eruditi, sæculis præsertim XIV, XV et XVI, tanquam authenticæ et veræ : quam tamen, quum ex iis quæ vera et aperte jam facta prædicit, tum etiam ex iis quæ deinde reticet aut quæ falsa et absurda in futurum conjicit, priori suppa- rem esse ac pæne coætaneam, ortam nempe paulo post Henricum VI imperatorem, statim colligat quivis lector, nisi quod aliquanto re- centior argui videtur, quia nonnulla posterius eventura vaticinatur, ut de Byzantio a Latinis capto, anno 1204, et de restituendo Græco- rum imperio, anno 1261. Porro hæc, dicet aliquis, quomodo prædici potuerunt, quum hujus ipsius prophetiæ mentio fiat, imo ipsa verba sensusque proponantur, in libris Joachimi, abbatis suo tempore cla- rissimi, tract. in Hierem. cap. ult. fol. 62, ed. Ven. 1525? Quem tra- ctatum Henrico sexto, atque igitur ante annum 1197, inscriptum a se

testatur auctor ipse Joachimus, vir moribus ac pietate commendabilis, sed interpretandis veteris novique Testamenti allegoriis eo provectus, ut ipse vaticinandi de rebus temporis sui provinciam susciperet, sibique ac multis propheta videretur. Verum et quædam apud eum magis admiranda deprehendas. Nam in eodem super Hieremiam commentario, cap. cit., restauratio Græci imperii prædicitur, quod nondum a Latinis eversum tunc fuerat quum ista censentur esse scripta. Imo passim in eodem libro Friderici secundi mentio fit, ejusque cum Romana curia simultatum, et sic de eo principe sermo fit tanquam de fera quadam bestia, Ecclesiæ et Italiæ peste. Quin et ibidem, cap. 4, aperte prænuntiantur ac prælaudantur ordines duo monachorum, qui a divis Francisco et Dominico instituti sunt post Joachimi mortem annis plus decem. Quid tu inde, nisi in abbatis illius libros multa serius intrusa esse, quod et de pseudo-Erythræa prophetia tuto suspicari licet. Nulli enim libri interpolationibus magis patent, aut ad interpolandi libidinem lectores ac librarios magis incitant, quam prophetici vel propheticis similes, in quibus sui quisque temporis negotia potissimum quærit, omissa quovis pretio redimi velit. Id vero eo facilius libentiusque de Joachimi libris conjicimus, quod in Florensi, quod ipse condiderat, monasterio, juxta Consentiam Calabriæ (olim Brutii), inque aliis inde ortis cœnobiis (confer Chronol. Florensis ordinis, ed. Consent., 1612, in-4°), doctus ille sagacissimusque vir, pro sancto quodam vate habitus olim, ut diximus, non modo vivus multos habuit discipulos, e quibus præcipui recensentur in ejus vita annexa pseudo-Joachimi vaticiniis de pontificibus Romanis, Venet. 1600, in-4°; sed etiam multos post se reliquit sectatores æmulatoresque (Joachitas vulgo dicebant), quorum opiniones quædam, latius propagatæ, in Arelatensi concilio, anno 1260, hæreseos crimine damnatæ feruntur. Eos, auctoris ac patroni sui instar, vaticinandi studio plurimum addictos fuisse, nemo est qui dubitet; et hæc forsan illis errorum origo, inde mali labes. Eos igitur transcribendis Joachimi sui prophetiis, interdum etiam augendis, adornandis, novisque adeo condendis, operam dedisse qui suspicetur, vix errabit; et adest hujus rei indicium. Magnam quippe fuisse circa ea loca falsarum prophetiarum officinam ipsæ demonstrant supra citatæ duæ prophetiæ, Tiburtina nempe et Erythræa; in quarum priore Samia Sibylla sic vocata dicitur « a Samo flumine Beneventano » (sic vulgo codd. et sic legerat Gotfridus Viterbiensis, testis pæne coævus), unde, nisi hoc in honorem Sabati amnis excogitatum est ab incola aliquo Italiæ inferioris? In Erythræa vero prophetia, sub finem, ubi judicii supremi præsagia canuntur, ista maxime sunt anno-

tanda : « Fulmen igneum emanabit ab Ethna [sic] incolasque vorabit.
« Huic [an potius hinc?] in montibus niveis duo colles corruent;
« aperietur tellus ibidem in voraginem, et vapor igneus ad cœlos
« ascendet... Ethna in partes duas patebit, vocemque dabit Avernus;
« tres partes habitantium Trinacriam periment [leg. in Trinacria peri-
« mentur]; Arnon [Judææ torrens? an potius Arnus Etruriæ?] terri-
« biliter intumescet et loca vicina subvertet. » Nonne videntur hæc prodere Italum hominem, regni Neapolitani incolam, Siciliæ vicinum? Sed quo minus de Consentina sæculorum XII et XIII officina dubites, ecce post unum fere sæculum, circa annum 1386, Theolosphorus (an veriore nomine Telesphorus?), presbyter et eremita supra dictus, in iisdem, quibus olim Joachimus, locis degens, et ipse summus ejus viri admirator ac divinationis æmulus, docet se in Consentiæ urbis agro seu circa ea loca multos fatidicos reperisse libros, quorum catalogum instituit in suo « de magnis tribulationibus et statu Ecclesiæ » tractatu, Venetiis edito, anno 1516, 4°. Atque ibi, fol. VIII, libros a se repertos hoc ordine recenset :

1° Cyrilli librum qui incipit : « Domini totius, etc. » cujus libri verba angelus Domini in duabus tabulis argenteis, continentia futura magna negotia ab anno nativitatis Domini 1264, ipsi Cyrillo nuntiavit et dedit.

2° Libros omnes magni prophetæ Joachim, et maxime ipsius singulares libros missos Henrico de Suevia imperatori VI, et alium singularem librum ipsius intitulatum : « Liber de flore, » de summis pontificibus ab Innocentio quarto [qui regnare cœpit anno 1251] usque ad Antichristum. Incipit : « Tempore colubri leænæ filii. »

3° Unum singularem librum qui incipit : « Revelatio quæ de Ora-
« stopo [an horoscopo?] intitulatur, extracta de hebræo in latinum
« a Dandalo Illordensi [an Ilerdensi?] de summis pontificibus futuris
« a Nicolao tertio [is regnavit anno 1277] usque ad angelicum pasto-
« rem », qui incipit : « Etenim omnipotens opifex. »

4° Quemdam parvum librum intitulatum : « Hæc revelatio Merlini
« de summis pontificibus, » qui incipit : « Genus nequam. »

5° Multas alias prophetias et visiones sanctorum, et maxime quasdam singulares, quarum una incipit : « In vigilia namque ascensionis. » Alia : « Scitote quoniam. »

6° Librum continentem vates [sic] Ambrosii Merlini, Sibyllæ Herithеæ de Babylonia [hæc ipsa est cujus modo verba excerpsimus], Sibyllæ Tiburtinæ [illam intellige, cujus vaticinium Bedæ ascribi solitum, modo protulimus], et Sibyllæ Elespontinæ [nempe Hellespontiæ, sed cujus liber nobis ignotus est], de prophetiis futurorum.

7° Extractiones prophetarum, etc.

8° Cronicas [sic] Cusentini antistitis ac fratris Tholemei de Luca [en tibi sine dubio unum ex iis, quos supra notavimus, Joachimi discipulis], et multas alias Cronicas, scribentes omnia gesta Ecclesiæ et specialiter scismatum [sic] et intrusionum Romanæ Ecclesiæ, a nativitate Domini usque ad tempus sanctæ memoriæ domini Joannis papæ XXII inclusive, qui assumptus est ad papatum anno nativitatis Domini 1316 [ergo durabat etiamtum furor ille vaticinandi].

Addendus his omnibus ipse Theolosphori liber, unde hæc eruimus, omnimodis refertus vaticiniis excerptisque prophetiarum sacrarum profanarumque, ut appareat traditionem illam fatidicam in Calabria per duo fere sæcula nihil intervalli cepisse.

Illic ergo, circa Consentiam, sæculo fere XIII, suspicamur auctas et interpolatas fuisse Sibyllarum Tiburtinæ et Erythrææ prophetias : editas nempe sub Henrico VI, desinente sæculo XII, ab aliquo Joachimi adhuc viventis discipulo (nam ipsum Joachimum, tam sanctum virum, suspicari piget); auctas postea ab aliis ejus discipulis. Eæ deinde prophetiæ cum suis interpolationibus in reliquam Italiam atque inde in totius Europæ bibliothecas transierunt.

Ac fortasse obiter notanda est pseudo-Sibyllinorum istorum inventio prima, quo ex fonte originem duxerit. Ipsa nos hoc docet Tiburtina prophetia exordium sumens a Lactantiano catalogo, qui in Tiburtem potissimum Sibyllam desinit. Inde scilicet omnis falsariorum eruditio defluxit. Erythrææ quoque Sibyllæ ad Græcos epistola, supra memorata, ortum sumpsit ex hoc ejusdem catalogi testimonio : « Quartam Erythræam, quam Apollonius Erythræus affirmat suam « fuisse civem, eamque Graiis Ilium petentibus vaticinatam. » Meminit alibi Theolosphorus, fol. xx, v°, « Sibyllæ Cumanæ Crethensis »; sed legendum suspicamur Erithensis, quod eadem ex hujus prophetia afferantur, quæ supra ex Eritheæ sive Erythrææ vaticinio. At Hellespontiam, de cujus etiam prophetia loquentem Theolosphorum audivimus, etsi qualem sibi finxerit non liquet, ex eodem tamen Lactantii catalogo profectam esse, minime dubium est.

Sed quid refert istis Calabricis immorari commentis, quum nulla pæne sit Italiæ, Galliæ, Belgii, Angliæ, Germaniæ bibliotheca, in qua non multa hujusmodi oracula manuscripta exstent, nunc Sibyllæ aut Sibyllis assignata, nunc aliis vatibus seu viris, ut Merlino, sive feminis, Hildegardi, Mechtildi, Brigittæ, Catharinæ Senensi, etc., quippe pro ætate et gente quaque variantibus prophetarum nominibus. Cujus rei testes produci possunt vel ipsi codices Parisienses supra citati, n° 3319 et 3455. Sed unum afferre satius sit exemplum

e bibliotheca Bodleiana Oxoniensi, codicem nempe 623, chartaceum, parvum, obesum, sæculi XV jam ad finem vergentis, quo, præter astrologica quædam, etiam multa prophetica continentur, imo plura quam recensentur in ipsius voluminis indice, fol. 31, v°, e quibus hæc præcipua sunt :

1° Vaticinium unius Sibyllarum Italiæ : « Veniet aquila ardens et regina Austri quæ venit ad Salomonem [confer nostrum Exc. I, cap. 15], quam Josephus dicit fuisse reginam Æthiopiæ et Ægypti et « vocat eam Natalam [sic, sed Josephus Nicaulam ; confer ibid.], quæ « divisas [lege, divinas] vices [id est, sortes] composuit et libros ad « instantiam divisorum [ad exemplum divinorum] : primum librum Sa- « lomoni ; secundum, terræ Æthiopiæ ; tertium, Italiæ ; quartum, « Bladud, regi Britonum, vocans hanc insulam, insulam Occidui vel « Oceani, reliquiis Trojanorum inhabitatam, etc. » Multa sequuntur de Britanniæ fatis tanquam a Sibylla hac Æthiopica prædictis, cujus Sibyllæ « reginæ Ægypti et Æthiopiæ » aliud etiam haud assimile vaticinium reperias in ejusdem bibliothecæ cod. Bodl. 302, fol. 142.

2° [An ejusdem Sibyllæ?] « Ex ventre ejus egredietur ros cœli- « cus, » et quæ ibi sequuntur, ad beatæ Virginis partum adventumque Servatoris nostri pertinentia.

3° Vaticinium Hermerici [ejusdem sane, qui alibi vocatur « Hermerus, Deus sapientium, » in cod. Bodl. 302, fol. 142, v°, fortasse cum respectu ad Hermetem Trismegistum Lactantii].

4° Vaticinium paganorum et Machumetæ.

5° Vaticinium per angelum Cadwalladro [nempe ultimo illi et piissimo Britonum regi] datum.

6° Vaticinium filiæ sancti Germani.

7° Vaticinium Merlini Ambrosii [sæpe alias obvium].

8° Vaticinium Aquilæ [cujus mentio est in eodem codice, fol. 10, tanquam sub Hudibræ tempora viventis] ad cognoscendum Sextum Hiberniæ regem, [futurum quemdam in illa insula magnum præpotentemque regem, de quo nonnulla etiam in codice Bodl. 302].

9° Versus Sildæ de eodem Sexto Hiberniæ.

10° Quidam sanctus et macarita prophetavit.....

11° Vaticinium de adventu Normannorum. Et cetera multa : sunt enim in indice XXIV, in ipso libro plura XXX, variis temporibus scripta, quorum recentissima, decurrente jam sæculo XV, invehuntur in tres Henricos reges e Lancastriæ domo, conficta nempe ab Eboracensis domus et rosæ albæ fautoribus. Quæ omnia, et quæ plurima his similia passim reperiri diximus, etsi pleraque inepta et a nostro instituto aliena, ideoque sponte a nobis prætermissa, absit tamen ut ho-

minum gravium ac præsertim historicorum curis indigna censeantur, quum ad cognoscendos hominum mores et diversarum partium vulgatas singulis temporibus opiniones plurimum prodesse possint. Et nos ipsorum Sibyllinorum a nobis editorum præcipuum hunc esse fructum, in præfatione ad tom. I alibique monuimus.

Unum insuper observandum, in illo numero prophetarum, qui medio ævo in Anglia clari fuere, primum locum Sibyllæ, ut semper et ubique, dari : quod quidem præcipue tribuendum esse patet Lactantii et Augustini summæ tum venerationi apud omnes latinæ fidei gentes. Quidni enim, quum isti persuasioni suffragium pæne suum adderet ipsa Catholica Romana Ecclesia? quippe quæ in sacris suis atque inter publicas preces versus decantari sineret ad Sibyllarum testimonium aperte provocantes, quales isti canebantur in nostra nobisque dilecta Ambianensi ecclesia, die Domini natalitio, ex hymno qui a divo Bernardo compositus fertur (Missal. Ambian. ed. Paris., 1529) :

Si non suis vatibus,
Credat vel gentilibus
Sibyllinis versibus
Hæc prædicta.

Sed gravius clariusque testimonium est, quod Romæ, et nunc per totam fere Galliam, canitur in prosa funebri notissima :

Dies iræ, dies illa,
Solvet sæclum in favilla,
Teste David cum Sibylla.

Ubi, ne tertii versus sententia doctiores aures offenderet, placuit olim gallicano emendatori pro vulgata lectione hanc reponere :

Crucis expandens vexilla,

rectius ad sensum et sane elegantius, alieno tamen a sequentibus colore, accentu præterea in quartam sedem translato contra illius ævi metricas leges atque ipsam musici rhythmi necessitatem. Nec vero sententia ipsa majores nostros multum offendere debuit, tum quum in mortuorum exsequiis ubique fere decantabatur acrostichis Sibyllina, latine ab Augustino servata :

Judicii signum, tellus sudore madescet,
E cælo rex adveniet.....,

et cetera, quæ tu videsis inter nostras ad Sibyllina curas. Illius autem cantici usum usque ad sæculum fere decimum quartum in plerisque latinis ecclesiis permansisse constat, cujus ferales modos hodie typis editos habemus in eximio Coussemakeri libro jam alias a nobis laudato : *Histoire de l'Harmonie au moyen-âge*, Paris., 1852.

Quis jam miretur Sibyllarum effigies in plurimis medii ævi templis

Prophetarum ipsorumque Apostolorum imaginibus mixtas reperiri? Antiquissimum fere hujusmodi monumentum est in Ecclesiæ Senensis pavimento vermiculato, circa tertium decimum sæculum mira pro illis temporibus arte composito. Sunt vero alia pæne infinita quum in Italiæ et Germaniæ, tum etiam in Galliæ templis, nunc in vitris fenestrarum coloratis, aut in sacellorum parietibus depicta, nunc in portarum ornamentis aut chori sedilibus lapide vel ligno sculpta; cujus rei testes urbes multas vel ex sola Gallia citavit vir artium medii ævi peritissimus Didron, *Manuel d'Iconogr. chrét.*, Paris., 1845, et has quidem literarum ordine primas, Aquas, Ambianum, Augustodunum, Auscos, Autissiodorum, etc.

Numerus vero Sibyllarum ita consecratarum non idem ubique. Una Lauduni nuper, ut ferunt, inventa est, effigies nempe feminei capitis cum inscriptione, SIBYLLA : quænam illa? Erythræa procul dubio Augustini, quæ de supremo Dei judicio cecinit. Et is apud Græcos medii ævi receptus mos fuisse videtur, ut unius Sibyllæ persona inter sacras imagines admitteretur, si fides libro in usum artificum ejus gentis græce scripto, qui nuper in monte Atho repertus, Ἑρμηνεία τῆς ζωγραφικῆς, gallice prodiit curis ejusdem Didron, op. supra cit. Ibi enim, pag. 150, post longam seriem prophetarum et omne genus auctorum, etiam poetarum et philosophorum, qui aliquid de Christo effati sunt, procedit ultimo loco « Sapiens Sibylla, » et Redemptoris adventum prædicit his fere verbis : « Veniet de cælo rex æternus, etc. »

Sed in Occidente plerumque plures effinguntur : et quidem in antiquioribus templis numero decem, illæ nempe Lactantianæ seu Varronianæ, ut in pavimento Senensis ædis supra laudato; in recentioribus vero sæpius, quod notatu dignum, duodecim, ut scilicet prophetarum numero adæquentur, atque ideo duæ novæ et adventitiæ ceteris adduntur, Europæa et Agrippa, de quibus nos aliquid jam supra in Exc. I, cap. 16. Nec sane casu factum est, ut et ille numerus ubique fere prævaleret, et duæ semper eædem adderentur. Liquet igitur inter medii ævi labentis artifices traditam de ea re doctrinam viguisse, ortam videlicet ex insignis alicujus vel ædis vel artificis exemplo, quod, ut fieri solet, reliquis posterioribus viam præstraverit. Is tamen mos non altius videtur esse repetendus quam a sæculo XIV, quoniam decimo tertio Vincentius Bellovacensis, Specul. Hist. lib. II, cap. 100, sqq., decem tantum agnoscebat, illas nempe Lactantianas; nec plures sane numerantur in pseudo-Sibyllina prophetia, sæculo XII desinente scripta, cujus initium retulimus supra p. 290; nec sæculo XIV, inclitus ille Boccatius, in libro « de Claris mulieribus, » quum plerasque Lactantianas Sibyllas recenseat, Europææ vel Agrippæ mentio-

nem ullam facit. Itaque si novitas illa jamtum ex artificum ingenio prodierat, quod omnino negare nolimus, nondum tamen adoleverat, neque ad famam pervenerat; saltem ab illius ævi eruditis recepta nondum fuerat.

Artifices vero, seu pictores, seu sculptores, Sibyllas suas duodecim, atque in iis duas illas adventitias, non barbaris tantum sæculis, sed et ad doctrinam renascentibus, et jam cultissimis, retinuerunt. Quis enim ignorat celebratissimas illas Michaelis Angeli Sibyllas in sacello Sixtino Vaticano? cum quibus æmulari solæ possunt quæ ab Urbinate Raphaele depictæ visuntur in æde Sanctæ Mariæ a Pace, hæ vero quatuor tantum et omnes antiquæ. Illas, quas diximus, duodecim in libris quoque manuscriptis sæculorum XIV, XV et XVI, reperire est summa interdum arte depictas, ut potissimum in Horis illis quas Annæ de Francia, Ludovici XI filiæ, fuisse tradunt, Bibl. Paris. mscr. 920. In impressis vero libris, ornatus causa, sæpe illas mireris eleganti cælo delineatas : quale est antiquissimum fortasse hujus rei exemplar, liber de Discordantiis Hieronymi et Augustini, auctore Philippo de Barberiis, excusus cum figuris Romæ, 1481; iterum Romæ, sine anno; ac denique Oppenheimii, 1494 (?), in-4°. Adde, si libet, Horas Parisienses aliasque sæculo XV desinente vel XVI incipiente typis editas, præsertim Parisiis, curis Simonis Vostre, annis 1498, 1528, etc., in quibus Sibyllæ duodecim cum prophetis aliisque sanctis viris, inter flores et frondes et avium aut ferarum formas aliosque artificum sibi indulgentium lusus, expressæ passim exstant. Recentiores autem libros, qui Sibyllarum imaginibus ornati prodierunt, enumerare longum sit, simulque negotiosum et otiosum : quorum præcipuos editores satis erit indigitasse, Boissardum, Opsopœum, Gallæum, Gronovium filium in Thes. antiq. gr. tom. II, etc.

Apud hos omnes, ut in antiquioribus illis templorum picturis, et forma et ætas et vestis et habitus singularum Sibyllarum varie finguntur pro artificum ingenio vel pro arbitrio redemptorum patronorumve doctorumve virorum qui de ea re consulti fuerant. Hinc in codicibus nonnullis manu exaratis ac libris etiam prælo editis, schedæ quædam reperiuntur, ignota plerumque, sed non indocta manu, interdum nec ineleganti oratione, scriptæ, in artificum scilicet gratiam, præsertim qui decorandis templorum vitris operam navabant; quorum causa effigies uniuscujusque Sibyllæ describitur ita accurate et minute, ut facile penicillo exprimi possit. Hujusmodi folium est manuscriptum in Biblioth. Bruxellensi, n° 5267; et nos talium descriptionum exempla jam aliqua protulimus in Exc. I, cap. 16, ex libro Cronicarum impresso cum figuris, Venet., 1493, in-4°, quibus hæc addi possunt ex libro Philippi de Barberiis supra citato :

PERSICA.

« Sibilla Persia [sic] vestita veste aurea cum velo albo in capite, di-« cens : Ecce bestia conculcaberis, etc. »

LIBYCA.

« Sibilla Libica [sic] ornata serto viridi et floribus in capite, vestita « pallio honesto et non multum juvenis, sic ait : Eccė veniet dies, etc. »

Vides in hujusmodi schedis definitas inscriptiones etiam, quas singulis figuris addi placeret. Atque eæ potissimum eligebantur ex ipsis Lactantii fragmentis, temere ac pro cujusque arbitrio inter Sibyllas divisi, contra Lactantii mentem, qui vel integris libris suam cuique Sibyllam assignari posse negaverat, Div. Inst. lib. I, cap. 6, qua de re plura nos in Exc. V. Audacter hoc nihilominus tentatum est a medii ævi piis viris, ut videlicet ab auctore præ ceteris antiquo Senensium inscriptionum, quæ sic utcumque distributæ leguntur :

PERSICA.

« Panibus simul quinque et duobus piscibus hominum millia multa « in eremo satiabit. » Lact. IV, 15.

LIBYCA.

« In manus inimicorum veniet; dabunt Deo alapas manibus in-« cestis; miserabilis et ignominiosus videbitur, et miserabilibus spem « præbebit. » Lact. IV, 18.

Et sic in reliquis Sibyllis. Alii vero Lactantianis fragmentis sententias recentiores prætulerunt, sive ex oraculis pseudo-Sibyllinis medio ævo confictis, quorum supra meminimus, sive diversorum ex auctorum libris, sive suo ipsi ex ingenio desumptas, quales Ambianæ supra dictæ Sibyllæ præ se ferunt, consonas fere cum libro Philippi de Barberiis jam citato :

PERSICA.

« Ecce bestia conculcaberis, et gignetur Dominus in orbem [sic] « terrarum, et gremium virginis est salus gentium. »

LIBYCA.

« Ecce veniet dies [sic], et tenebit illum in gremio virgo et domina « gentium, et regnabit in misericordia, et uterus matris ejus erit sta-« tera cunctorum. »

Et reliquæ ibidem Sibyllæ talia ferunt elogia, insuper gallicis versa numeris, quos hic transcribere non vacat. Nam poetæ in hujusmodi inscriptionibus componendis operam ipsi quoque suam posuerunt, uti videre est non in hoc solum nostrati exemplo, sed in latinis etiam inscriptionibus metricis ab Opsopœo prolatis e codice, ut ipse ait, vetustissimo, unde et in alios libros complures et in Bibliothecas sanctorum Patrum, sic vulgo dictas, transierunt :

PERSICA.

« Virgine matre satus, pando residebit asello,
« Jucundus princeps, unus qui ferre salutem
« Rite queat lapsis, etc. »

LIBYCA.

« Ecce dies venient, quo æternus tempore princeps,
« Irradians sata læta, etc. »

Recentiora tamen ista, si vel ex ipsa oratione judicentur, et vix sæculo XV anteriora, ut quivis videt. Qui plura de his ac talibus voluerit, adeat Gallæum, dissert. de Sibyll. cap. 2, sqq.

Nobis finis hic esto : neque enim nostrum est absurdas omnes recensere fabulas, quibus, medio præsertim ævo, Sibyllarum nomen insertum fuit : ut, quod alibi jam notavimus, Fatas illas, celebratas diu formidatasque, medias scilicet inter veterum nymphas et sagas, Sibyllarum aliquando nomine insignitas fuisse, Delrio, disquis. mag. lib. II, quæst. 27, § 2, t. II, pag. 705, sq.; etiam fuisse Anconæ et Nursiæ in Italia Sibyllas quasdam in antris degentes (nota superstitem antri Cumani memoriam), quæ raptos ad se viatores discerperent, Delrio ibid., pag. 674, sqq. Doctiorem atque elegantiorem fabulam ultimo demum loco proponemus, quæ in Italia maxime increbuit, sibique religiosam quamdam speciem traditionis et monumentorum auctoritate vindicavit; illam nempe quæ de Tiburtina Sibylla ac de *Ara cœli* vulgo fertur.

Sic Romæ vocatur altare quoddam, seu sacellum altari circumdatum, in templo cui titulus olim Sanctæ Mariæ in Capitolio, nunc Sanctæ Mariæ in Ara Cæli. Fama est autem ibi olim aram ab Augusto Cæsare positam fuisse ex revelatione quadam Tiburtinæ Sibyllæ de Dei tunc in terris exorientis adventu. Nota jamdudum atque ante omnem hominum memoriam, mutata locorum facie, non ipsam Augusti aram illic ostendi, sed locum in quo ara fuisse fertur. Nunc ibi visitur altare christianum, columnis marmoreis cinctum, egregie illis quidem fabrefactis, et tholum quemdam marmoreum sustentantibus; de quo nos altari plura infra dicturi sumus. Nunc de ipsius traditionis, cujus illud monumentum exstat, origine satagimus.

Atqui hujus rei antiquissimus index occurrit Timotheus chronographus, subdubiæ ætatis, sed Justiniani temporibus prior, citatus a Joanne Malala, lib. X, p. 232, ed. Bonn., rem ita narrante in hunc modum : Ὁ δὲ Αὔγουστος Καῖσαρ Ὀκταβιανὸς τῷ νε' ἔτει τῆς βασιλείας αὐτοῦ, μηνὶ ὀκτωβρίῳ, τῷ καὶ ὑπερβερεταίῳ, ἀπῆλθεν εἰς τὸ μαντεῖον· καὶ ποιήσας ἑκατόμβην θυσίαν ἐπηρώτησε, Τίς μετ' ἐμὲ βασιλεύσει τῆς Ῥωμαϊκῆς πολιτείας; καὶ οὐκ ἐδόθη αὐτῷ ἀπόκρισις ἐκ τῆς Πυθίας. Καὶ πάλιν

ἐποίησεν ἄλλην θυσίαν, καὶ ἐπηρώτησε τὴν Πυθίαν τὸ, Διὰ τί οὐκ ἐδόθη αὐτῷ ἀπόκρισις, ἀλλὰ σιγᾷ τὸ μαντεῖον; καὶ ἐδόθη αὐτῷ ἀπὸ τῆς Πυθίας ταῦτα,

Παῖς Ἑβραῖος κέλεταί με, Θεὸς μακάρεσσιν ἀνάσσων,
Τόνδε δόμον προλιπεῖν καὶ ἄϊδος αὖθις ἱκέσθαι.
Καὶ λοιπὸν ἄπιθι ἐκ πρόμων [leg. προδόμων] ἡμετέρων.

Καὶ ἐξελθὼν ἐκ τοῦ μαντείου ὁ Αὔγουστος Καῖσαρ, καὶ ἐλθὼν εἰς τὸ Καπετώλιον, ἔκτισεν ἐκεῖ βωμὸν μέγαν ὑψηλὸν, ἐν ᾧ ἐπέγραψε Ῥωμαϊκοῖς γράμμασιν, Ὁ βωμὸς οὗτός ἐστι τοῦ πρωτογόνου Θεοῦ· ὅστις βωμός ἐστιν εἰς τὸ Καπετώλιον ἕως τῆς νῦν, καθὼς Τιμόθεος ὁ σοφὸς συνεγράψατο. Inepta multa et aperte falsa in hac narratione nihil moramur. Neque in oraculi textu multum insistemus, qui apud auctores varie legitur. In Ἑβραῖος nota eamdem syllabarum mensuram quam passim in Sibyllinis nostris, præsertim lib. I et II. Pro καὶ ἄϊδος, Suidas, καὶ ἀΐδην, Cedrenus, καὶ ὁδόν : legendum videtur, καὶ ἐς Ἄϊδος. Ultimus versus omnino mutilatus ac depravatus est. Suid. λοιπὸν ἄπιθι σιγῶν ἐκ βωμῶν ἡμ. Cedrenus, ἄπιθι λοιπὸν ἐκ δόμων ἡμ. Nicephorus, λοιπὸν ἄπιθι ἐκ προδόμων ἡμ. Legendum fortasse, καὶ λοιπόν γ' ἄπιθι προδόμων ἐξ ἡμετερείων. Verum et multa alia conjici possunt : quid enim si fuerit ultimus versus pentameter, uti sæpe factum alibi notavimus? Casaubonus quidem, in Baronium exerc. I, cap. 12, soluto sermone scripta hæc ultima putavit; sed quid ad nos? Graviora quippe nos vocant.

Priorem hujus historiæ partem et ipsum Pythiæ oraculum habet Cedrenus quoque tom. I, p. 320, ed. Bonn., eaque tanquam ex Eusebio refert : apud quem tamen, multa de defectu oraculorum in Præp. Ev. tradentem, nihil tale exstat; nec tale quidquam in ejus Chronico, injuria fortasse temporis, quoniam ab Augusto potissimum incipit grandis lacuna Eusebiani operis armeniace versi. Sit tamen Cedreno fides : at Cedrenus ex Eusebio mentionem affert oraculi quidem Augusto dati, minime vero altaris infanti Deo positi. Sunt ejus hæc omnino verba : Ὁ δὲ αὐτός φησιν Εὐσέβιος ὅτι οὗτος ὁ Αὔγουστος ἀπελθὼν εἰς Δελφοὺς ἠρώτησε, τίς μετ' αὐτὸν βασιλεύσει· τοῦ δὲ Πυθίου μηδὲν ἀποκρινομένου, καὶ τοῦ Αὐγούστου πάλιν ἐρωτήσαντος, διὰ τί σιγᾷ τὸ μαντεῖον, ἔφη ἡ Πυθία ταῦτα, Παῖς Ἑβρ., κ.τ.λ.

Partem igitur illam narrationis, in qua de altari agitur, uni hactenus auctori Timotheo licet ascribere, tradenti, si Malalæ fides, suo adhuc tempore aram ipsam in Capitolio exstare : Ὅστις βωμός ἐστιν εἰς τὸ Καπετώλιον ἕως τῆς νῦν, καθὼς Τιμόθεος ὁ σοφὸς συνεγράψατο. Suidas quoque, v. Αὔγουστος, de oraculo consulto eadem fere narrat, quanquam paulo brevius, et de altari eadem quæ Malalas habet, iisdemque fere verbis, an pariter e Timotheo? Nicephorus denique, Hist. Eccl. lib. I, cap. 17, in omnibus plane cum Malala consentit.

Utique piam de illo altari traditionem certum est ante Timotheum, ideoque ante sextum sæculum, Romæ vulgatam fuisse, quæ sane non modica est antiquitatis ratio. Neque illam traditionem prorsus omni fundamento caruisse remur, sed antiquæ alicujus aræ inscriptionem male intellectam eo pertraxisse mentes hominum, sicut illam olim statuam SEMONI SANCO DEO dicatam Justinus martyr, nimia credendi festinatione, Simoni Samaritano inscriptam putaverat, Apol. I, § 26. Fuerit igitur Romæ in Capitolio servatum, post Constantini magni tempora, altare aliquod paganæ vel incertæ originis cum inscriptione PRIMOGENITO DEO, qui fortasse fuit Orphistarum et Neopythagoricorum Protogonus ille seu princeps Deus, Orphicis carminibus celebratus, hymn. 5 (ed. Hermann.), passimque per reliquos hymnos. Et illud altare, vulgata serius apud Christianos fama, tanquam positum ab Augusto Cæsare primogenito et unigenito Dei Filio, monstratum fuerit hospitibus : non est hic quidquam fide indignum; non negamus; non miramur. Suppresso deinde altari incertum quando vel quo casu, religio loci superfuerit, atque in ipso illo loco, priscorum hominum memoria sacrato, ædes deinde structa fuerit, quæ Sanctæ Mariæ in Capitolio dicta est : facile id credimus. Etiam crescente populorum erga Virginem matrem pia fide, rumorem jam antiquitus percrebuisse credimus de Maria in somnis vel interdiu Augusto visa infantem recens natum ostendere, tanquam primogenitum Dei filium. Ac vulgo circa divinæ Matris effigiem addebatur aureus quidam nimborum vel stellarum circulus, quanquam ovali sæpius forma, qualem videre est in altari vetustissimo infra citando, et in effigie Ambianensi Tiburtinæ Sibyllæ, et passim in ecclesiarum vitris, atque in impressis multis Sibyllæ hujus figuris : cujus rei significatio non aliunde quærenda est quam e Pauli Diaconi loco, Hist. Misc. lib. VII, in Augusti vita. Nam, illo teste, « cum primo, Apol- « lonia rediens, Cæsar Augustus urbem ingrederetur, hora circiter « tertia, repente, puro ac liquido sereno, circulus ad speciem cælestis « arcus orbem solis ambiit, quasi eum unum ac potentissimum in « hoc mundo solumque clarissimum in orbe monstraret, cujus tempore « venturus esset qui ipsum solem solus mundumque totum et fecisset « et regeret. » En tibi circuli cælestis origo, quo postea Mariam virginem super Aram Cæli stantem inclusit poetica fictio. Sed ipsa de Virgine Augusto visa quam sit antiqua traditio, satis ostendit quum sanctæ Mariæ nomen huic ædi affixum, tum quæ, sæculo jam duodecimo, Aræ Cæli, sic jamtum vocatæ, adhæserat non vulgi tantum, sed et summorum pontificum veneratio.

Constat ordinis Benedictini monachis, illos tunc locos incolenti-

bus, concessam fuisse ab Anacleto antipapa, qui Romæ tum legitimus habebatur, non ædem modo Sanctæ Mariæ, quæ prius eorum cœnobii pars fuerat, sed totam montis Capitolii superficiem quacumque patebat; exstatque de ea re pontificia bulla, data inter annos 1130 et 1134, servata vero in archivis Aræcælitani conventus, unde prodiit primum apud Waddingum, Annal. fratr. min. t. III, et cum viri docti annotatione, inter Opuscula philologica collecta per Angelum Calogerà, tom. XX (Venet. 1739, in-12), p. 103, sqq. Idem pontifex altare seu sacellum illud, de quo nunc agitur, columnis quatuor stipavit marmoreis, tholum marmoreum sustinentibus (non illis quæ nunc octo spectantur, sæculo XVII ab episcopo quodam Cavallicense prioribus suffectæ); atque hoc Anacleti beneficium testatur auctor anonymus non vetus, sed antiquam videlicet traditionem sequens, vitæ et translationis sanctorum Abundii et Abundantii, citatus a Pancirolo Jesuita, *Tesori nascosti di Roma* (ed. II, Rom. 1625), et Waddingo, Annal. Fr. min. t. III, et Casimiro Romano, *Memorie istoriche della chiesa d'Ara-Celi*, quibus e libris multum profecimus. Fors et eidem antipapæ tribuendum est altare vetus quod sub hodierno altari nunc quoque introspici dicitur, hinc regem exhibens (Augustum videlicet) genibus flexis precantem; illinc Virginem cum Deo infante, nimborum corona cinctam, cum vetusta inscriptione, literarum forma ætatem suam, XII nempe vel XIII sæculum, testante:

Numinis hanc almam matris qui scandis ad aulam,
Cuntarum prima quæ fuit orbe sita,
Noscas quod Cæsar tunc struxit Octavianus
Hanc aram, cæli sacra proles cum patet ei.

Hujus prisci altaris imago est apud Casimirum, digna visu. E quibus omnibus ultro conjicias celebratam fuisse jam sæculo XII Augusteæ aræ memoriam in illa æde. Quod et arguitur duobus antiquis et ad illa sæcula pertinentibus catalogis Abbatiarum urbis Romæ (apud Casimir. ibid.), inter quas recensetur « Ecclesia Sanctæ Mariæ in Capitolio « ubi est ara [codd. male, arca] Filii Dei. » Verum hactenus aræ quidem, Virginisque supra eam visæ, mentio facta est, minime vero Sibyllæ: quærendum igitur quosnam illa mulier in hanc scenam habuerit ingressus.

Primum de ea re auctorem invenimus Martinum Polonum, vulgo a patria sic dictum, qui sæculo XIII jam declivi in Italia florebat, scripsitque Clementis IV tempore, circa annum 1268, etsi ejus opus aliena manu ulterius productum est. Fuit ille pontificis quidem Romani pœnitentiarius, archiepiscopus vero Consentinus: mirum, huc quoque recurrere Consentiæ nomen, urbis, uti diximus, p. 295, sqq.,

Sibyllinis fabulis præsertim circa illa tempora feracissimæ. Apud quem sub ipso operis initio ad Octaviani principatum hæc leguntur: « Hunc populi Romani videntes... quod totum mundum sibi tributarium fecerat, dicunt ei : Te volumus adorare, quia deitas in te est... Qui renuens inducias postulavit, et ad se Sibyllam Tiburtinam sapientem vocavit, cui, quod senatores dixerant, recitavit. Quæ spatium trium dierum petiit, in quibus arctum jejunium operata est. Post tertium diem respondit imperatori hoc modo :

« Judicii signum, etc. [tota sequitur acrostichis Sibyllina].

« Illico apertum est cælum, et nimius splendor irruit super eum, et vidit in cælo quamdam pulcherrimam virginem stantem super altare, puerum tenentem in brachiis, et miratus est nimis, et vocem dicentem audivit : Hæc ara filii Dei est. Qui statim projiciens se in terram adoravit. Quam visionem senatoribus retulit, et ipsi mirati sunt nimis. Hæc visio fuit in camera Octaviani imperatoris, ubi nunc est Ecclesia sanctæ Mariæ in Capitolio, ubi nunc fratres Minores sunt. »

Fratrum Minorum mentio recte in Poloni tempora cadit, quoniam illius Ecclesiæ proximique cœnobii et totius circumjacentis areæ possessio a Benedictinis ad Franciscanos translata erat, anno 1250, Innocentii IV decreto, cujus de hac re literæ hodieque exstant; et vix dubitamus ad veterem de Ara Cæli traditionem additam esse Sibyllæ mentionem a novis monachis, tum quum in antiquioris ordinis bona ingressi sunt, quo majus miraculum ex eoque orta, ut fit, major fides densiorem credentium turbam ad templum adduceret. Cur hoc suspicemur, multa faciunt. Primum fuit ordo ille miraculorum semper et piorum omne genus commentorum avidissimus. Fuit etiam solertissimus vulgi captator, et iis præsertim religionibus addictus, quæ maxime plebeias, maxime vero femineas mentes commovere possent. Quemadmodum vero prædii emptor vel domus raro non aliquid ornandæ rei suæ novæ allaborat, ita recentes ædis Capitolinæ possessores, ut ipsam plebi credulæ quam maxime commendarent, nihil neglexisse, admodum verisimile est. Multum vero illos traditioni de Augustea ara institisse, facile credas, quoniam ab illo fere tempore nomen mutavit eorum domus, et quæ antea Sanctæ Mariæ in Capitolio, jam de Ara Cæli dicta est, quod nomen prius non ædi ipsi, sed uni ædis parti, illi nempe veteri sacello proprium erat. Denique quod sub illud tempus quo possessionem novam adierunt, accessisse demum videtur ad Augusteam fabulam Sibyllæ mentio, antea ignota : scribebat enim Martinus Polonus, post traditum iis Capitolium, annis tantum xv aut xx.

Unde vero ipsis de Sibylla venit in mentem? Facilem hoc habet interpretationem. Jampridem enim et a quinto saltem sæculo, si vera sunt quæ supra exposuimus, p. 303, sqq., traditio constabat de Pythiæ oraculo ab Augusto Cæsare consulto, cujus ex responso ara illa posita fuisset. Inoleverat autem medii ævi consuetudini atque sermoni illa Sibyllæ definitio, quam in nostro Exc. I, cap. 1, ab Isidoro tradi notavimus, lib. VIII, cap. 8, loco sæpe a nobis citato: « Sibyllæ generaliter dicuntur omnes feminæ vates, » quod idem et apud Suidam aliosque græce legitur: Ἑνὶ ὀνόματι αἱ θήλειαι μάντιδες ὠνομάσθησαν Σίβυλλαι. Pythiæ ergo vocabulum, ut jam antiquitus a nonnullis improprie, (confer Exc. I, pag. 44, sq.), ita tum a plerisque cum Sibyllæ appellatione confundebatur. Itaque traditio vetus de Pythia ab Augusto consulta sponte ad Sibyllæ memoriam ducebat. Illa autem memoria præsenti locorum aspectu Fraterculis usque renovabatur, dum fundum suum Capitolinum circumibant, unde prospectus patebat in subjectam regionem atque in ipsum Sibyllæ templum, sicut recte colligi potest ex Anacleti bulla supra citata, definiente montis Capitolini limites atque in iis *templum majus* (antiqui nempe templi maximi reliquias) « quod respicit super Alephantum [sic]. » Erat autem Elephantus, sic vulgo dictus propter quamdam hujus feræ sculptam imaginem, macellum ipsum tunc Romæ præcipuum et proxima macello regio inter Capitolium et Tibrim, de qua Anonymus sæculi XIII, apud Montefalconium, Diar. Ital. cap. 20: « In Elephanto templum Sibyllæ, etc. » Verum quid insuper novo de Sibylla commento viam patefecerit, nunc dicemus. Tunc enim maxime tempus erat, quum, nemine contradicente, discurrebant per omnes Europæ partes, per Italiam vero præsertim, falsæ Sibyllarum prophetiæ latinæ, e monachorum otiosorum ingenio prognatæ, sicut supra diximus. Illud autem de Sibylla Virginem sanctam ostendente miraculum quisquis primus excogitavit atque in publicum protulit (Martinum ipsum Polonum absit ut reum faciamus), is aperte ob oculos habuit fictam Tiburtinæ Sibyllæ prophetiam quæ Bedæ injuria tribuitur, de qua nos, pag. 289, sqq. Sumpsit ex ea ipsum Tiburtinæ præ ceteris electum nomen. Sumpsit missam ad Sibyllam legationem, a qua honorifice Romam deduceretur. Sumpsit acrostichidem Erythrææ Sibyllæ Augustinianam, quæ Tiburtinæ responso tota inserta est. Sumpsit senatorum mentionem, ad quos responsum Sibyllæ referri fingitur ab Augusto. Cetera e vulgatis jam pridem de Ara Cœli traditionibus retenta sunt.

Illam vero Bedæ falso affictam prophetiam sæculo demum XII desinente primum prodiisse diximus supra, pag. 291, viderique confictam

a monachis circa Consentiam in Calabria degentibus, et statim miro favore receptam a vulgo fuisse (confer iterum, pag. 295). Ea igitur Romam perlata monachis Capitolinis ansam dederit ornandæ suæ de Ara Cæli fabulæ. Eam deinde Martinus Polonus, archiepiscopus Consentinus, circumstrepentibus de re Sibyllina fabulis novis assuetus, temere, cupide quippe, exceperit et in annales suos transtulerit. Transiit inde eadem ipsis pæne verbis atque literis ad sequentes historicos, ut puta ad Chronicarium Bergomensem, in ipso operis initio; item ad auctorem ignotum Rudimenti Novitiorum, Lubeck. 1475, ejusque gallicum imitatorem in opere cui titulus, *la Mer des histoires*, lib. I, extr.; Baronium in Apparat. ad Ann. Eccl. § 26, etc., etc. Confer et Ascensium ad Mantuani carmen, loco infra citando; et poetam historicis pæne accensendum, Novidium Fraccum, Fast. sacr. lib. XII, p. 162, Rom. 1547, 4°.

Utique certissimum est apud sanctos Fratres vim fere divini mysterii obtinuisse illam fidem, referente Casimiro Romano hymnum quemdam solitum jamdiu et, ut ipse ait, ex omni viventium memoria in illa æde atque ad illud altare decantari festis quibusdam diebus:

Stellato hic in circulo
Sibyllæ tunc oraculo
Te vidit rex in cælo.
O mater Christi, dirige
Nos et ad bonum erige,
Pulso maligno telo.

Narrat idem haud procul illo sacello lectam olim fuisse inscriptionem, quæ nunc exstet apud Aicherium, Hort. var. inscr. pag. 77:

Unum erat imperium mundi, dominator et unus:
Falleris, at non tu, Roma, sed ipse Deus.
Quem tulit Augusto Cumana puella videndum,
Rector erat primus; ipse secundus erat.
Hic locus est, ubi vidit, ubi rex credidit, Ara
Cæli, facta domus Regis et aula Dei.

Verum hæc, ut cuivis patet, inscriptio inter recentiores habenda est, vix quippe anterior sæculo XVI. Præstat afferre testimonium Petrarchæ, sæculo XIV fere medio, ad Clementem papam VI ita scribentis, lib. II, epist. 5, v. 129, sqq.:

Hos equidem ex multis, reor, admiraberis actus
Cæsareos, ut Tarpeio vestigia colle,
Fatidicæ quondam ductu monitisque Sibyllæ,
Presserit Augustus Cæsar, visoque feratur

Obstupuisse Deo. Quid tum, nisi talia, volvens?
Alme puer, decus æthereum, stirps certa Tonantis,
Ista tibi simul atque tuis Urbs inclita semper
Præstabit sedem, Cælique vocabitur Ara
Iste locus, surgens matris de nomine templum.

Cui nos testimonio unum addemus, propter insignem et poetæ et carminis famam, Mantuani nempe, ex Parthenice Mariana, lib. III, v. 165, sqq., hac quoque ex parte notandum, quod, ut falsa Tiburtina prophetia (supra, pag. 290), ejusque fortasse prophetiæ exemplo, a Lactantiano Sibyllarum catalogo ordiatur. Nascente enim et in mundum suum intrante Christo, fama, inquit, per omnes gentes ferebatur,

.........venisse dies, speratque multum
Tempora, quæ vates, quæ prædixere Sibyllæ,
Tempore, voce, loco variis, at sensibus iisdem.
Disparitas facit illa fidem : nam Persica primum
Hæc cecinit, post hanc Libycæ telluris alumna,
Delphicaque, et Cumas veniens a Chalcide virgo,
Antiquumque trahens cognomen ab æquore Rubro,
Et Samia, et regi quæ terna volumina Prisco
Attulit, angustæque fretum quam nominat Helles,
Et Phrygio nutrita solo, quæque ardua tecta
Tiburis et magnæ coluit juga proxima Romæ.
Hæc, quum divinos cultus et sacra pararent
Augusto cum plebe Patres, cita Tiburis arcem
Liquit, et ingentes veniens ad Cæsaris aulas,
Fulgentem nitido monstravit in aere circum,
Irideque inclusam parva cum prole parentem;
Atque manum tendens vultuque ad sidera verso :
Ille puer Deus est, inquit; tu desine, Cæsar,
Velle coli, pueroque aras ac templa relinque.
Ille regit cælos, atque immortalis Olympi
Possidet imperium, et fatalia temperat astra.....
Tu sceptrum mortale geris : te Serica nondum
Regna, nec Eoæ noverunt litora terræ,
Nec Scythiæ glaciale fretum, neque consita Nili
Principio tellus, nec inhospita rura Sienes.
Parva brevi te Roma sinu concludit; et audes
Te superis æquare, viamque ad sidera tentans,
Tendis ad obscuræ pallentia flumina Lethes.

Pone, precor, Cæsar, fastus, Auguste, superbos;
Teque, licet tractes vastæ telluris habenas,
Esse sub immenso positum reminiscere summi
Principis imperio, cui rerum æterna potestas.
Hæc ait, et patrios petiit sic fata penates.

EXCURSUS V.

DE SIBYLLINIS LIBRIS HODIERNIS.

In Excursu priore de Sibyllinis carminibus olim apud Christianos vulgatis egimus, et quæ quoque tempore de iis existimatio fuerit, utque a summa veneratione sensim in contemptum delapsa sint, exposuimus. Simul enumeravimus desumptos ex iis complures versus ab antiquis scriptoribus præsertim ecclesiasticis, unde palam factum est :

1° Sibyllinorum olim apud Christianos usitatorum proximam fuisse cum nostris cognationem;

2° Pauca ex iis aut sane non ita multa intercidisse, quum vix ullus Sibyllinus versus ab aliquo Patre citatus reperiatur qui non in libris hodie superstitibus exstet;

3° Parum immutatam fuisse temporis decursu priscam in iis carminibus lectionem, quum plerumque ab antiquis Patrum testimoniis hodierna lectio, præsertim si ad optimorum exemplarium fidem accuratius exigatur, non plus differat quam pro talium fragmentorum conditione, quæ vel ex obviis apographis vel memoriter sæpius laudabantur.

Sed non inde sequitur librorum Sibyllinorum eumdem semper fuisse numerum aut ordinem qui in hodiernis libris habetur. Imo de numero fatendum est nihil definitum reperiri apud antiquos auctores ante Suidam, vix antiquis accensendum, cujus ipsius testimonium, libros XXIV agnoscentis, v. Σίβ. Χαλδαία, vel infidum videtur vel depravatum : confer infra, cap. 16. De ordine multo etiam minus licet hodiernis exemplaribus acquiescere, quoniam Lactantii auctoritate constat, permixtos ejus tempore libros sine discrimine lectos fuisse (confer Exc. IV, pag. 272, et infra, cap. 16); atque ipse anonymus auctor præfationis græcæ quæ hodie Sibyllinis præfixa legitur, a se primo testatur in ordinem ac seriem redactos esse eos libros antea sparsos et confusos, σποράδην εὑρισκομένους καὶ συγκεχυμένους. . . . εἰς μίαν συνάφειαν καὶ ἁρμονίαν ἐκθέσθαι τοῦ λόγου, Præf. § 1. Confer quæ de his omnibus disputabuntur infra, cap. 16.

Patet igitur in his libris recensendis nullo nos astringi vinculo, quominus posthabito, quem hunc habemus, ordine, eum sequamur

qui melius proposito nostro conducere videbitur. Quod sane non multum haberet momenti, si libri omnes ab eadem manu profecti aut eodem tempore nati essent. Id vero non licet credere, quum et orationis et rerum et sententiarum color auctores plerumque diversos indicet ætatisque diversæ. Quod si auctoribus temporibusque diversi proponuntur libri, ad eos sane discutiendos atque inter se comparandos multum interest, quis potissimum ordo adhibeatur; isque vix alius esse potest quam ordo ipse temporum, quum necessario libri recentiores aliquid ex antiquioribus ad se trahere debuerint, unde ex iis lucem insperatam accipere rursusque in ipsos refundere sæpe possunt.

Verum ordo ille antiquitatis, quum minime ex ipsis libris peti possit, quandiu penitus inspecti non sunt, interim aliunde quærendus est; dumque argumenta potiora suppetant, utendum indiciis extrinsecus accersitis, nempe ex antiquitate testium, quorum plerosque in Excursu priore protulimus, ubi fragmenta modo non omnia conquisivimus quæ ab unoquoque scriptore seu sacro seu profano in medium prolata essent. Atque hæc fere invenimus :

Apud Josephum historicum, sub extrema primi sæculi scribentem, quædam e libro III, § 2;

In apocryphis divi Pauli actis, primo sæculo desinente vel secundo incipiente, quædam e libro III, § 4;

In Constitutionibus Apostolicis, sub idem tempus scriptis, versus nonnullos e libro IV;

Apud Justinum martyrem, secundo sæculo fere medio, loca complura e Procemio, et libris III, § 2 et 4, IV, VIII, § 2;

Apud Athenagoram, eodem sæculo, quædam e lib. III, § 2, atque alia forsitan e Procemio;

Apud Theophilum, item secundo sæculo, multa e Procemio atque e libris III, § 4, et VIII, § 2;

Apud Celsum, paganum quidem auctorem, sed ejusdem ætatis, quædam e libris III, § 2, et VIII, § 2;

Apud Clementem Alexandrinum, tertio sæculo, multa e Procemio et libris III, § 4, IV, V;

Apud Arnobium, paulo juniorem, quædam, ut videtur, e libro VII;

Apud Lactantium, quarti sæculi initio, multa, imo plurima, e Procemio et libris III, § 2 et 4, IV, V, VI, VII, VIII, § 1 et 2, forsan et aliquid e libro I;

Apud Eusebium, sub idem tempus, in Constantini oratione, acrostichidis Sibyllinæ fragmentum e libro VIII, § 2, et fortasse quædam e libris I et VIII, § 3;

Apud Gregorium Nazianzenum, eodem quarto sæculo jam inclinato, quædam tacite decerpta e Procemio et libris VI et VIII;

Apud Augustinum, quinto sæculo ineunte, partem acrostichidis supra dictæ, e lib. VIII, § 2;

Apud Sozomenum, quinto sæculo, magis provecto, versum unum integrum e libro VI.

Quæ si inter se componantur, apparebit Sibyllinos hodiernos libros, temporum respectu quibus laudati ac citati sunt, hoc fere ordine collocari posse :

Librum III (saltem § 2 et 4);

Procemium et lib. VIII (saltem § 2);

Lib. V;

Lib. VIII, § 1;

Lib. VI et VII.

E ceteris libris nempe I, II, XI-XIV, atque e quibusdam librorum partibus, ut III, § 1, 3; VIII, § 3, 4, nihil aperte citatum apud antiquos reperimus; in quibus ideo collocandis paulo liberiore utemur arbitrio : sed in reliquis quam minimum poterimus ab illo discedemus ordine, quem et Patrum indicavit usus, et interiora, nisi fallimur, argumenta firmabunt.

CAP. I. *De libri tertii partibus* § 2 *et* 4.

Sibyllinorum librorum, qui hodie exstant, si ex ætate testium dijudicentur, antiquitate primum esse patet, qui tertius inscribitur : nec tamen id de cunctis ejus partibus affirmatum velimus. Nam quum in eo quatuor partes sive sectiones suis quasi limitibus definiri possint, sicut in editione nostra factum est, prima quidem pars et tertia sanctis primævæ Ecclesiæ Patribus fuisse videntur incognitæ, nullum ex iis versum afferentibus, nullum certe qui non melius et certius ad alium Sibyllinum librum referri queat. Præterea pars prima, sive argumento, sive dictione, non minus ad priores libros accedit quam a reliquis libri tertii partibus distat, estque secundi libri velut appendix quædam, uti suo loco dicetur. Remotis igitur prima quidem hujus libri parte, ut aliena; tertia autem, ut merito suspecta; ceteras duas, § 2 et 4, aggrediamur, quarum prior, sive omnium secunda, prodit a versu 97, his nempe verbis :

Ἀλλ' ὁπόταν μεγάλοιο Θεοῦ τελέωνται ἀπειλαὶ,
Ἅς ποτ' ἐπηπείλησε, κ. τ. λ.

Caret exordio, abrupta et quasi capite detruncata, si tamen caput unquam habuit; potuit enim sic emitti jam antiquitus ab auctore,

fractos Sibyllæ cantus imitante. Incipit a Babelicæ turris eversione, v. 98, sqq., unde statim fit transitus ad Titanum deorumque Saturniorum historiam, satis fuse narratam, v. 110-157; inde nomine tantum recensentur prima in terris futura imperia Ægyptiorum, Persarum, Medorum, Æthiopum, Assyriorum, inde Macedonum, rursus Ægyptiorum, ac denique Romanorum (nota jamtum late patentem illorum famam et potentiam), v. 158-161.

Hactenus omnia narrata sunt; sed reliqua deinceps, tanquam futura, prædicentur. Itaque sibi ad novum hunc rerum ordinem transitione quadam opus esse credidit poeta, v. 162, sqq.:

Καὶ τότε μοι μεγάλοιο Θεοῦ, κ. τ. λ.

Pergit inde vaticinari : sed primum regnis omnibus præiturum canit Salomonis regnum, cujus potentiam sane ultra modum amplificat, v. 167-170. Addit pauca de Græcorum et Macedonum dominatione, v. 171-174; plura de Romanis, quos multis versibus increpat, sævituros in orbe terrarum, sed in Macedonia præcipue, donec Ægypto rex imperet a Græca origine septimus (Ptolemæus haud dubie Philometor), v. 175-193. Tum vero, inquit, gens Dei potens exsistet, quæ mortalibus omnibus dux vitæ futura est, v. 194, sq. Nec plura interim de Judæis; sed statim transit ad futuras gentium calamitates hoc modo, v. 196, sqq. :

Ἀλλὰ τί μοι καὶ τοῦτο Θεὸς νόῳ ἔνθετο λέξαι,
Τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον κακὸν ἔσται
Πάντας ἐπ' ἀνθρώπους; τίς τούτων ἔσσεται ἀρχή;

Tum, facto, ut supra, a Titanibus initio, breviter et carptim recenset primorum imperiorum vices, v. 199-212, properatque ad eam gentem, quæ, ut ipse ait, circa magnum Salomonis templum habitat, v. 213, sqq., cujus deinde fata canit.

Urbs est, inquit, in terra Uchaldi (seu potius Ur Chaldææ, quam omnes sciunt Abrahami fuisse patriam), unde genus est (vel ut quidam volunt codices, unde genus mihi est, prodente sic Sibylla originem suam) hominum justissimorum (Judæorum videlicet) : ac protinus mores eorum describit rectissimos, ut quivis inde discere possit, atque, ut ipse monet Sibyllista, profanarum gentium vitiis alienos, v. 218-247. Inde paucis versibus, prorsus ad historiæ fidem, eorum fata prædicuntur, v. 248, sqq., fuga ex Ægypto, lex in monte data, captivitas deinde populi et agri vastitas propter impensos falsis numinibus honores; denique post annos multos redivivæ gentis instauratio et ad nova fata reditus, v. 286, sqq., jubente magno quodam rege cælitus misso (Cyro videlicet), faventibusque Persarum regibus, quorum præsidio et opibus templum denuo surget :

Καὶ τότε δὴ ναὸς πάλιν ἔσσεται, ὡς πάρος ἦεν.

Hic desinit in versu 294 libri tertii secunda pars, a qua statim, ob eas quas diximus causas, omissis intermediis, ad quartam transimus partem, sic incipientem, v. 489 :

Ἡνίκα δή μοι θυμὸς ἐπαύσατο, κ. τ. λ.

Quum, inquit vates, divinus apud me instinctus et vox fatidica resedisset, rursus me Deus per terras jussit oracula fundere, v. 489-491. Hinc mala prædicuntur quæ quamque gentem aut regionem maneant:

Phœnices in primis, quod adversus sanctam gentem verumque Deum convicia fuderint, quibus portenditur agrorum vastatio eversioque urbium, v. 492-504;

Cretam vastabit incendium, v. 504-507;

Thraciam servitus manet a Dardaniis (an Pergamensibus?) et Galatis inferenda, v. 508-511;

Gog et Magog (id est, Scythas), gentesque duas Marsog et Angon incognitas dubiasque, præterea minoris Asiæ plerasque gentes, Arabes insuper, Mauros et Æthiopas, mala manent plurima nec tamen satis aperte definita, v. 512-519.

Sed quum barbara gens (Romana, nisi fallimur) in Græciam irruet, tunc omnia belli et servitutis mala Græcis instabunt; præterea cælum arebit, terra vastabitur deserta, inculta, de cælo combusta, donec generis humani pars tantum tertia supersit, v. 520-545.

Hic subito invehitur vates, v. 545, sqq. adversus idololatriam, quam hactenus mille et quingentos annos in Græcia dominatam ait, v. 551, unde conflata in Græcos ira Dei, calamitatesque non ante desituræ quam, perfectis omnibus Dei consiliis, Græcia ad veri numinis cultum reversa sit, v. 545-572.

Tunc hominum piorum rursus gens erit sancta, v. 573, sqq., unius Dei sacris addicta, ad ejusque templum pingues ductura victimas: quæ deinceps urbes et agros secura incolet, nullis mancipata simulacris, mane ablutis manibus Deum precans, filiorum erga parentes et conjugum pietate commendabilis (v. 594, sq.), nec fœdis polluta puerorum amoribus, quibus aliæ gentes inficiuntur, Phœnices, Ægyptii, Latini, Græci, Persæ, Galatæ et Asiani omnes (v. 596, sqq.), quorum flagitiorum causa genus omne calamitatum profanis incumbet populis, tum scilicet, quum septimus rex Græcus Ægyptiis imperabit (rursus idem, qui supra, Philometor), v. 608, sqq., quumque rex alius (Antiochum intellige) ex Asia repente cladem Ægypto intulerit, multa mox cum præda redux in suam terram navigaturus, v. 615.

Tunc, inquit poeta, proximus aderit idololatriæ finis, v. 616, sqq.;

tunc rursus omni rerum copia fruentur pacatæ gentes, v. 619, sqq.

Invitantur ergo gentes ad deponendam idolorum vanitatem, victimasque uni Deo offerendas, 624-631; non aliter cessatum iri a bellis, seditionibus, rapinis, barbaræ præsertim gentis (an Romanorum?) horrendis per totam Græciam incursionibus, v. 632-651.

Quibus malis rex a sole missus (Messias, ut videtur) finem est allaturus, ac tum florebit rursus amata Deo gens, v. 652-659. Sed reges invidia moti, inito adversus illam fœdere, sanctam terram invadent, templum obsidebunt, v. 660-669. Tum Dei aderit judicium; cadent de cælo faces; terra commovebitur, et omnes viventium species contremiscent; gentes impiæ, propter admotam urbi sanctæ obsidionem, ignium et lapidum imbre opprimentur, v. 670-698.

Interea sancti (id est, Judæi) circa templum habitantes, summa fruentur felicitate, v. 699-709, cujus spectaculo invitatæ gentes ad veri Dei cultum revertentur, v. 710-731.

Rursus Græcia monetur, 1° ut Deum verum colat; 2° ut eos qui sunt e terra sancta oriundi (Judæos, quis dubitet?) in hanc urbem (id est, Hierosolyma) remittat, neu Camarinam agitet, pardumve dormientem excitet (obscuræ hic videntur inesse minæ Judæorum adversus gentiles ipsis in patriam redituris obstantes); 3° ut partem mereatur felicitatis quæ Dei veri cultoribus promissa est, v. 732-742.

Hinc iterum ea felicitas describitur, admixtis quibusdam morum præceptis, v. 743-784. Gaude et lætare, filia Sion, quam ætas manet aurea, lupis et agnis simul pascentibus, etc., v. 785-794.

Hæc vero Sion propinquare discet e signis, quæ multa statim recensentur, meteora pleraque, ut nocturni per cælum rutilantes gladii, pulvis de cælo, solis defectus, etc., v. 795-805. Quibus omnibus prodigiis finis malorum portendetur atque bellorum, si modo regi omnipotenti sacra posthac ab omnibus populis offerantur, v. 806, sq. :

Τοῦτο τέλος πολέμοιο τελεῖ Θεὸς οὐρανὸν οἰκῶν.
Ἀλλὰ χρὴ πάντας θύειν μεγάλῳ βασιλῆϊ.

Sequitur epilogus, versibus constans vel x vel xxi, de quo plura infra disputabuntur.

Omnia interim quæ ex secunda et quarta parte supra a nobis allata sunt, apparet unum quasi corpus efficere, certe sententiis et rebus inter se optime convenire. Jam tota pars secunda ita uno tenore deducitur, ut minime scindi aut dividi possit. Continet primorum regnorum atque inprimis Hebrææ gentis historiam usque ad finem Babyloniæ captivitatis. Quarta autem pars post brevia et pauca vaticinia in exteras gentes, id unum agit, ut ostendat cumulum adesse humanis calamitatibus (præsertim post Antiochi tempora), Messiam propin-

quare et cum eo Judæorum felicitatem, tempus instare quo gentes omnes a falsorum deorum cultu ad verum numen redeant; sin minus certam illis imminere perniciem. Non solum autem utraque secum, sed ambæ inter se probe cohærent: nam post Judæorum historiam in secunda parte detextam, quarta pars exhibet ultima eorum fata. Utramque autem diligentius inspicienti et ambas comparanti, patet hæc omnia a Judæo vel a Judæis esse scripta (quippe omnia adversus gentes et pro Judæis), atque ab uno potius quam a pluribus (idem enim color verborum, rerum, sententiarum), in Ægypto certe (nam rerum Ægyptiarum assidua ibi mentio), regnante Ptolemæo Philometore (qui Græcus septimus Ægypti rex ab Alexandro numeratur, v. 192, sq., 608, sqq.), eoque etiam tum juvene (βασιλεὺς νέος, v. 608), quo tempore Antiochus ex Ægypto cum ingenti præda mari discessit (prior ergo ejus expeditio intelligenda), v. 611, sqq., Romanis jam in Græcia dominantibus et ad orbis universi dominationem grassantibus, v. 161, 175, sqq., 629, sqq., necdum unius imperio, sed adhuc senatui parentibus, unde recte vocatur λευκὴ καὶ πολύκρανος ἀρχή, v. 176. Non multo autem post Antiochi discessum ex Ægypto scripta hæc esse patet, quod statim post illum eventum prædicatur idololatriæ finis, v. 616, sqq., in quo vatem spes sua fefellit. Nec facile Antiocho mortuo scripta fuissent, tum quum in Ægypto resedisset omnis terror, qui eo vivente perseverare debuit: ac mirum, si poeta nihil de exitu talis viri cecinisset. Scripta sunt igitur inter annos ante Christum 170, quo primum recessit Antiochus ex Ægypto, et 164, quo, e vivis decessit. Quum vero cœperit illo ipso anno 170 Judæa gens crudelissime ab Antiocho vexari, capta urbs ab irato rege fuerit, decem fere hominum millia cæsa totidemque in captivitatem abducta, direptæ ceterorum facultates, oppressa religio, templum ipsum pollutum atque fœdatum, non erat sane tempus illud opportunum ad celebrandam Judææ gentis restaurationem, et spem propinquæ prosperitatis ac dominationis amplectendam: confer v. 194, sq., 657, sqq., 702, sqq., et totum pæne libri hujus finem. Itaque non credimus ad illa se vota erexisse Judæi hominis animum, quin de Machabæorum conatibus egregiis rebusque feliciter gestis aliquid fando audiisset (confer v. 734, sqq. et ibi notata), neque ideo ante annum 166 vel 165, quibus prima spes Judæis affulsit libertatis recuperandæ, ut, qui annum 165 definierit, vix biennio errare possit.

Porro illo anno Judæi in sua terra, quamvis armis superiores et templi rursus compotes facti, nondum tamen a metu respirare cœperant, uti recte observatum videmus a doctissimo Prideaux, Hist. Jud. lib. XI. Templo enim liberato, manebat in ipsa urbe arx ab hostibus

occupata; Idumæi ceteræque vicinæ gentes, invidia motæ, adversus Judæam conspiraverant; nec sine tremore exspectabatur rediturus mox e Perside victor Antiochus. Itaque inter præsentis successus lætitiam et reliqui certaminis imminens periculum ancipites erant mentes certantium pro patria Judæorum. Iis vero in locis quibus non tam propinquus instabat timor, in Ægypto videlicet, ubi tanta erat Judæorum copia ut Alexandriæ tertia pars et gens in gente haberetur, quantum putas efferbuisse illius multitudinis animos, auditis suorum victoriis! Ac plerique post Antiochum, quem sibi fingebant cumulum et finem humanis afferre calamitatibus, venturum sperabant Messiam, qui nova gentis sanctæ fata auspicaretur. Eam tum communem fuisse Judæorum exspectationem, multa suadent, favente in speciem ipsa Danielis prophetia, cap. 11, v. 40, sqq., et cap. 12. Magnos igitur motus animorum in Ægypto fuisse verisimile est, Alexandriæ præsertim, in illa, quam diximus, Judæorum multitudine. Quis tunc ibi Abrahamo satus et patriæ amans non cognatam plebem ad arma capienda, saltem ad suppetias fratribus mittendas, ad inchoandum novum Judææ regnum adhortaretur? Sed licet Ægypti inter et Syriæ reges magnæ nuper interfuissent simultates, erant tunc ex fœdere compositæ res; concordiam utrisque suadebat quum privata utilitas, tum Romanorum metus, tum etiam commune regibus adversus rebellantes odium. Præterea Ptolemæorum plurimum intererat, contineri Alexandriæ nec in Judæam remitti tantam tamque utilem plebis partem. Vix igitur dubites compressos tunc regiis edictis fuisse Judæorum Alexandrinorum impetus. Atque ob hanc, nisi fallimur, causam, Græcis sive gentilibus malum minatur poeta, nisi Judæos dimittant, quos ipse λαὸν ἄβουλον vocat, id est, non satis strenue sibi consulentem, v. 734, sqq.:

Στεῖλον δὴ ἐπὶ τήνδε πόλιν τὸν λαὸν ἄβουλον,
Ὥστε μιν ἐξ ὁσίης γαίης πέλεται μεγάλοιο.
Μὴ κίνει Καμάριναν· ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων·
Πάρδαλιν ἐκ κοίτης, μήτοι κακὸν ἀντιβολήσῃς.
Ἀλλ' ἀπέχου, μήδ' ἴσχ' ὑπερήφανον ἐν στήθεσσι
Θυμὸν ὑπερφίαλον, στείλας πρὸς ἀγῶνα κραταιόν.

Notanda sunt ultima verba, στείλας πρὸς ἀγῶνα κραταιόν, quæ nos olim in interpretatione latina, Castalionem secuti, ita vertimus ut στείλας neutro sensu positum intelligeretur, et στεῖλαι πρὸς ἀγῶνα idem esset quod adire certamen. Nunc, mutato consilio, vocem hanc activo sensu sic accipimus, ut supra, στεῖλον δὴ ἐπὶ τήνδε πόλιν. Ita jubet vates Ægyptiorum regem Philometora partem Judaïcam Alexandrinæ plebis in patriam dimittere ad sustinendas contra Antiochum graves pugnas. Sit tamen suum cuique de hoc versu judicium, modo constet, reliqua

hujus loci, et cetera quæ adhuc a nobis exposita sunt, in nullum melius quam in Antiochi et Machabæorum tempus convenire.

Ceterum ne auctor quidem harum partium de ætate sua dubitari voluit. Non enim modo septimum Ægypti regem bis designavit, sed et annorum supputationem addidit, quum nempe, ad indicandam, uti diximus, profanæ apud Græcos religionis originem, ita scriberet, v. 551, sqq. :

Χίλια δ' ἔστ' ἔτεα καὶ πένθ' ἑκατοντάδες ἄλλαι,
Ἐξ οὗ δὴ βασίλευσαν ὑπερφίαλοι βασιλῆες
Ἑλλήνων, οἳ πρῶτα βροτοῖς κακὰ ἡγεμόνευσαν,
Πολλὰ θεῶν εἴδωλα, κ. τ. λ.

Quippe jam olim annotavimus, si a mediis Ptolemæorum temporibus anni mille quingenti deducantur, sponte incidi in Argivos reges Cecrope antiquiores et in tempora mere fabulosa, ad quæ gentilium deorum originem referri ratio suadet. Sin autem non illo ævo versus hi scripti fuerint, sed ut cetera pleraque Sibyllina primis Ecclesiæ sæculis, deducti inde MD anni cadent jam in ætatem proximam historicis temporibus, recentioremque quam cui gentilium sacrorum origo assignari possit. Quid igitur putemus nisi fuisse jam Philometoris temporibus Judæos Alexandriæ non illiteratos, neque omnino metricæ rei imperitos, quorum aliquis, audita patriæ suæ calamitate quæ sub Antiocho Epiphane exarserat, suos erga Deum ac patriam affectus in hos versus effuderit. Statim succurrit, posse hos Aristobulo Judæo tribui, quem Evergetæ, fratris Philometoris, præceptorem fuisse magnaque apud cives suos gratia floruisse constat ex epistola præfixa Machabæorum libro II, cap. I, v. 10, sqq. Quum etiam citetur ejusdem Aristobuli liber ad Philometorem, scriptus in honorem Judææ gentis, laudatus vero a Clemente Alex. Stom. I, et ab Eusebio Præp. Ev. lib. VIII, cap. 9, qui ambo nonnulla ex eo proferunt, inque iis falsa Orphei fragmenta pariter Judæis faventia, aperteque conficta. Quidni igitur Sibyllinæ quoque confictionis suspectus idem habeatur? Quod etiam nobis placeret, nisi de Aristobulo illo, in quem Valckenarii exquisita est dissertatio, quemque omnes cum Eusebio philosophum peripateticum faciunt, altum ceteroquin esset antiquitatis silentium, ac nisi vero simile esset, librum qui Clementi et Eusebio fucum fecit, serius ab aliquo Judæo sub ejus nomine suppositum esse. Quæ enim tanta fuisset ejus impudentia, ut vir in aula gratiosus, et fortasse duorum regiorum principum, unius certe magister, fictos a se versus ac facile fraudis arguendos, sub tanto Orphei nomine adversus publicam religionem scriptos, regi ac fortasse discipulo suo offerret, oblitus videlicet

Onomacriti pœnæ et infamiæ. Nec nos quidem videmus cur, si poeta judæo-græcus Aristobulus, non alii quoque sub idem tempus Judæi græcis Musis indulserint. Esto tamen : de auctore liberum sit suum cuique judicium, modo de tempore non ambigatur.

Nihil deinde mirum, si ex hoc libro seu potius ex hujus libri partibus antiquioribus, quædam citata reperiuntur non a primis modo Ecclesiæ patribus et in apocryphis christianis primi et secundi sæculi, sed a Judæo etiam historico Josepho, cujus testimonium et jam alias indicavimus et huc integrum proferre juvat, Antiq. Jud. I, cap. 5 : Ὁ δὲ τόπος ἐν ᾧ τὸν πύργον ᾠκοδόμησαν, νῦν Βαβυλὼν καλεῖται διὰ τὴν σύγχυσιν τοῦ περὶ τὴν διάλεκτον πρῶτον ἐναργοῦς. Ἑβραῖοι γὰρ τὴν σύγχυσιν Βαβὲλ καλοῦσι. Περὶ δὲ τοῦ πύργου τούτου καὶ τῆς ἀλλοφωνίας τῶν ἀνθρώπων μέμνηται καὶ Σίβυλλα λέγουσα οὕτως, Πάντων ὁμοφώνων ὄντων τῶν ἀνθρώπων, πύργον ᾠκοδόμησάν τινες ὑψηλότατον, ὡς ἐπὶ τὸν οὐρανὸν ἀναβησόμενοι δι' αὐτοῦ· οἱ δὲ θεοὶ ἀνέμους ἐπιπέμψαντες, ἀνέτρεψαν τὸν πύργον, καὶ ἰδίαν ἑκάστῳ φωνὴν ἔδωκαν· καὶ διὰ τοῦτο Βαβυλῶνα συνέβη κληθῆναι τὴν πόλιν. Hæc aperte desumpta sunt ex initio secundæ partis, ubi sic leguntur, v. 98, sq. :

Οἳ πύργον ἔτευξαν
Χώρῃ ἐν Ἀσσυρίῃ (ὁμόφωνοι δ' ἦσαν ἅπαντες,
Καὶ βούλοντ' ἀναβῆναι ἐς οὐρανὸν ἀστερόεντα)·
Αὐτίκα δ' ἀθάνατος μεγάλην ἐπέθηκεν ἀνάγκην
Πνεύμασιν· αὐτὰρ ἔπειτ' ἄνεμοι μέγαν ὕψοθι πύργον
Ῥῖψαν, καὶ θνητοῖσιν ἐπ' ἀλλήλοις ἔριν ὦρσαν·
Τοὔνεκά τοι Βαβυλῶνα βροτοὶ πόλει οὔνομ' ἔθεντο.

Sed antiquius multo locum hunc Sibyllinum fuisse notum apparet ex Abydeni fragmento apud Euseb. Præp. Ev. IX, cap. 14 : Ἐντὶ δ' οἳ λέγουσι τοὺς πρώτους ἐκ γῆς ἀνασχόντας, ῥώμῃ τε καὶ μεγέθει χαυνωθέντας, καὶ δὴ θεῶν καταφρονήσαντας ἀμείνονας εἶναι, τύρσιν ἠλίβατον ἀείρειν, ἵνα νῦν Βαβυλών ἐστιν· ἤδη τε ἆσσον εἶναι τοῦ οὐρανοῦ· καὶ τοὺς ἀνέμους θεοῖσι βωθέοντας, ἀνατρέψαι περὶ αὐτοῖσι τὸ μηχάνημα· τοῦ δῆτα ἐρείπια λέγεσθαι Βαβυλῶνα· τέως δὲ ὄντας ὁμογλώσσους, ἐκ θεῶν πολύθροα φωνὴν ἐνείκασθαι· μετὰ δὲ Κρόνῳ καὶ Τιτῆνι συστῆναι πόλεμον. Simillima sunt Eupolemi verba ex Alexandri Polyhistoris fide ab Eusebio tradita, ibid. cap. 17 : Πόλιν Βαβυλῶνα πρῶτον μὲν κτισθῆναι ὑπὸ τῶν διασωθέντων ἐκ τοῦ κατακλυσμοῦ· εἶναι δὲ αὐτοὺς Γίγαντας (sic supra Abydenus : τοὺς πρώτους ἐκ γῆς ἀνασχόντας, id est, γηγενεῖς sive γίγαντας : confer Sibyll. I, v. 120, sqq.), οἰκοδομεῖν δὲ τὸν ἱστορούμενον πύργον· πεσόντος δὲ τούτου ὑπὸ τῆς τοῦ Θεοῦ ἐνεργείας, τοὺς Γίγαντας διασπαρῆναι καθ' ὅλην τὴν γῆν. Δεκάτῃ δὲ γενεᾷ, φησί, κ. τ. λ. Ubi apud utrumque scriptorem eadem Sibyllina vides quæ apud Josephum; plura tamen nonnulla, ut illa

de decima generatione et de Saturni cum Titane bello, quæ ipsa leguntur in libro nostro, v. 108, sqq.:

Καὶ τότε δὴ δεκάτῃ γενεῇ μερόπων ἀνθρώπων.

. . . .

Καὶ βασίλευσε Κρόνος, καὶ Τιτὰν, Ἰαπετός τε,

. . . . καὶ μαχέσαντο Κρόνος Τίταν τε πρὸς αὐτούς.

Porro Abydenus, qui Assyriaca scripserat, ab Eusebio sæpe citatus, nec confundendus cum Palæphato Abydeno Aristotelis discipulo, secundo vel primo ante Christum sæculo vixisse creditur, ut et Eupolemus, ceterum ignotus, antiquior tamen Alexandro Polyhistore, Syllæ coævo. Jam tum igitur vel iis ambobus vel saltem alterutri innotuerat tertius noster Sibyllinus liber, sive ea certe pars in qua de turri Babelica agitur. Josephum vero ex ipsis Sibyllistis, non ut alicui videri possit, ex Abydeno vel Eupolemo sua desumpsisse, indicio esse potest quod ipse Sibyllam citet auctorem, ceteris reticentibus.

Ex illa vetere horum carminum fama manaverunt procul dubio omnia quæ de Hebræa seu Judaïca seu Chaldæa Sibylla, Pausaniæ, Suidæ aliorumque testimonia protulimus in Exc. I, cap. 15 : unde male interdum ejusdem prophetissæ nomen ad ceteros quoque Sibyllinos libros traductum est. Atque ut addamus ipsorum Sibyllistarum suffragia, videntur plerique ad has libri tertii partes accommodasse poesim suam. Neque enim dubium hinc petita esse quæ de turri Babel ac de linguarum dispersione vel traduntur vel innuuntur apud Nostros, lib. VIII, 4, sqq.; XI, 49, 116; item de primorum imperiorum successione, lib. IV, 49, sqq.; VIII, 6, sqq.; V, 4, sqq.; XI, 20, sqq.; item de Judæorum seu Christianorum laudibus, lib. IV, 24, sqq.; V, 402, sqq. Ipse liber V manifesto ad librum tertium nos remittit, quum Judæos prius a se laudatos memorat, v. 150 : Οὓς ὕμνησα δικαίως.

Senserunt hæc omnia et saltem pleraque notaverunt viri gravissimi et doctissimi qui de hoc argumento ante nos egerunt Bleekius, *Theol. Zeitschr.*, Berol. 1819-20; Gfrörerus, *Kritisch Geschicht.*, Stuttg. 1831; Klausenius, *Æn. und die Penat.*, Hamb. et Goth. 1839. Verum absque illorum virorum judicio, tot veterum testimonia tot aliis argumentis fulta vix locum dubitandi relinquunt : ut jam supervacaneum sit minutioribus insistere dictionis atque syntaxeos indiciis, quæ, quoniam ad rem grammaticam pertinent, melius et commodius in Excursum VII reservabuntur.

Unum addemus, adeo vivacem fuisse de tertii libri seu potius de harum partium antiquitate traditionem, ut nemo carmen hoc dubitaret Erythrææ Sibyllæ, tanquam omnium antiquissimæ, tribuere. Hinc

vero interdum a quibusdam sanctis Patribus Erythrææ nomen ad alios quoque libros translatum esse non infitiamur. Sed Lactantius multum in Sibyllinorum lectione versatus, et qui suum cuique Sibyllæ librum restituere conatus erat (nam id frustra tentatum confitetur, dum fieri posse aperte negat, Divin. Inst. lib. I, cap. 6), facto inter certa et incerta discrimine, ea omnia quæ ex his libri tertii partibus haud sane pauca refert, Erythrææ Sibyllæ constanter assignat, eumque ipsis honorem communem facit cum solo Procemio, quod videlicet præfixum exemplari suo legebat (confer infra cap. 8 et 16). Causam vero judicii sui ipse tradit : « Suntque confusi, inquit, [libri], « nisi Erythrææ, quæ et nomen suum verum carmini inseruit, et « Erythræam se nominatum iri prælocuta est, quum esset orta Baby- « lone. » Quæ palam sunt ex epilogo hujus libri desumpta, v. 808, sqq.:

Ταῦτά σοι Ἀσσυρίης Βαβυλῶνος τείχεα μακρὰ
Οἰστρομανὴς προλιποῦσα...
Καὶ καλέουσι βροτοί με καθ' Ἑλλάδα πατρίδος ἄλλης
Ἐξ Ἐρυθρῆς γεγαυῖαν...

Inde porro patet a Lactantio lectam fuisse et pro sincera habitam priorem certe hujus epilogi partem, ex qua etiam laudat alibi atque ipsis literis profert versus alios quatuor, 814-817, id est, genuinos pæne omnes. Nam cave credas omnia æque in hoc epilogo ad librum antiquum et primarium pertinere. Sunt in eo XXI versus, quorum primos tantum decem legitimos habendos, sequentes vero, jam a versu 817, spurios et posterius additos esse demonstrabimus infra, cap. 12.

CAP. II. *De libro quarto.*

Post librum tertium, id est, post libri tertii partes § 2 et 4, antiquissimus quartus habendus est liber, si ex ætate testium judicetur. Innotuit enim non tantum Justino et Clementi Alexandrino, sed ante illos etiam auctori pervetusto Constitutionum Apostolicarum, qui versus ex eo continuos undecim affert, sicut in Excursu jam priore dictum est, et plura mox de hac re in Excursu VI.

Liber hic in omnibus codicibus mscr. λόγος τέταρτος inscribitur, excepto Monacensi (H), in quo est λόγος ι', id est, liber decimus, sed manifesta librarii fraude, de qua nos alias. Plenior titulus in quibusdam : Λόγος τέταρτος περὶ διαφόρων χωρῶν καὶ νήσων, auctus videlicet ejusdem librarii vel editoris manu, quem libris I et II similia nonnulla passim inseruisse dicemus infra, cap. 11.

Ipse liber haud dubie christianus est (id infra certissimis argumen-

tis demonstrabitur), scriptus ad revincendam gentium impietatem ab homine poeticæ artis haud ignaro, aperteque sub Sibyllæ nomine; nam ipsa inducitur hoc sibi nomen arrogans, v. 22, sq. :

Σὺ δὲ πάντα, λεώς, ἐπάκουε Σιβύλλης
Ἐξ ὁσίου στόματος, φωνὴν προχέοντος ἀληθῆ.

Sed jam ad singula procedamus.

Principio Asiæ et Europæ gentes invitat Sibylla ad vocem suam audiendam, non vanam illam quidem, neque Phœbi falso numine, sed veri Dei instinctu vaticinantem, v. 1-5. Sequitur de uno Deo rerum omnium creatore locus poetice amplificatus, v. 5-17. Ille Deus Sibyllam jussit hominibus nuntiare, v. 18-23, quæ fuerint, quæ sint, quæ futura sint a prima generatione usque ad decimam, v. 20 :

Ἐκ πρώτης γενεῆς ἄχρις ἐς δεκάτην ἀφικέσθαι,

ubi male olim legebatur ἄχρις ἐνδεκάτης.

Sequitur laus hominum piorum, ejus simillima quæ libro III de Judæis decantata fuerat; sed hic de Christianis potius, nisi utrosque confudit Noster, religione quidem Christianus, ex Judæis tamen, ut tum plerique, ortus. Clemens certe Alexandrinus eos versus de Judæis accepit, Cohort. p. 54. Christianos tamen designari vix dubites, quum eos vulgi ludibriis expositos, nec contumeliis tantum, sed falsissimis calumniis exagitatos deplorari audias (persecutiones intellige jam a Neronis temporibus sævientes), v. 37, sqq. et infra, v. 151, sqq. : quibus tamen ultio certa reservatur in judicio, tum quum, impiis rursus in terræ viscera detrusis, justi in novam melioremque vitam reponentur, v. 40, sqq.

Sed hæc, inquit, decima generatione fient, v. 47 :

Ἀλλὰ τὰ μὲν δεκάτῃ γενεῇ μάλα πάντα τελεῖται.

Hinc discas decimam a Nostro numerari generationem, cujus ipse pars erat, aperte sub imperatoribus Romanis ; et hæc communis est Sibyllistarum opinio, de qua vide nos in Exc. VI. Novem vero priores generationes alii aliter numerabant; hic ipsas singulari quadam et, ut verum dicamus, absurda ratione sic dividit : Assyriorum sex; Medorum duas; Persarum unam. Reliqua est decima, Græcorum nempe et Romanorum.

Ac primorum quidem regnorum historiam carptim paucisque delibat, v. 49-85. Inde, v. 86, sqq., de Macedonum regno pauca tradit, insertis quarumdam vel insularum vel urbium calamitatibus, Sami videlicet, et Deli, et Sybaris (?), et Cyzici, et Rhodi, v. 91, sqq.

Tum Romana fata aggreditur, v. 102, quibus inserit de more suo nonnullas alienarum urbium calamitates, Carthaginis, Laodiceæ, Corinthi, Myrorum et Patarorum in Lycia, terræ motibus eversarum.

De Armenia subacta versus est unus, v. 112 (114); de illato Judæis bello versus duo, v. 113 (115), sq., atque hæc omnia breviter decurruntur usque ad Neronis falso mortui trans Euphratem fugam, 116 (119), sqq. Memorat tum, v. 125 (128), sq., Cypri ingentem terræ motum, quem sub Vespasiano accidisse scimus, anno post Christum 71; et statim, v. 127 (130), sqq., Vesevi montis eruptionem, illam nempe sub Tito maximam, anno 79, quam prænuntiam fore dicit, v. 132 (135), sq., instantis et jam erupturæ divinæ ultionis propter gentem piam crudeliter exstinctam, v. 133 (136). Prodit sic ætatem suam poeta sub Tito scribens vel ad summum sub fratre ejus Domitiano; prodit simul originem suam, quam diximus esse judaïcam.

Statim post illas minas seu post illam Vesevi eruptionem, inducitur Nero redux e Parthis, qualem Antichristum sibi fingebant primis istis sæculis Christiani, seu qualem sæpe prædicunt Sibyllistæ: confer Exc. VI. Redibit ille cum ingenti exercitu, bellum portans in Occidentem, v. 134 (137), sqq., nec plura de illo: sed protinus Antiochia canitur sub Italicis armis casura (an veniente Antichristo?), v. 137 (140), sqq.; Cyprus iterum quatienda et undis demergenda, v. 140 (143), sqq.; raptæ olim a Romanis opes Asiaticæ, Roma rursus devicta, in Asiam reportabuntur, v. 142 (145) sqq.; inundatio Mæandri cives Cariæ plerosque fame conficiet, v. 145 (149), sqq. Videtur has omnes calamitates poeta cum Antichristi mentione supra facta conjungere, sed incertum quo vinculo. Fortasse voluit futura tunc per orbem universum omnis generis mala, quum recensere cuncta non posset, paucis delibatis, indicare.

Canit interim, v. 148 (152), sqq., vitia et scelera hominum ultra modum exspatiatura: præsertim persecutionem adversus justos (id est, ne dubita, adversus Christianos) sævituram, donec iræ supremæ tempus adveniat, et mundus incendio comburatur, v. 156 (160).

Tum hortatur homines, v. 157 (161), sqq., ad fugiendam Dei iram, agendam scelerum pœnitentiam, veniam precibus implorandam, et totum corpus undis salutaribus mergendum, v. 160 (164),

Ἐν ποταμοῖς λούσασθε ὅλον δέμας ἀενάοισι.

En tibi baptismi necessitas! An non hæc aperte Christianum produnt? Sin minus, finem rerum et incendium universum fore prædicit, v. 166 (170), sqq.; dein resurrectionem mortuorum, v. 174 (178), sqq., et judicium supremum, v. 178 (182), sqq., ex quo, impiis rursum sub terras, nempe in ipsam Gehennam actis, justi deinceps in mundo renovato vitam agent felicissimam, cujus desiderio et voto carmen concluditur, v. 184 (191):

Ὦ μακαριστὸς, ἐκεῖνον ὅς ἐς χρόνον ἔσσεται ἀνήρ.

Omnia in hoc libro plana sunt; ac vix de ejus ætate ambigi potest, quam nos supra definivimus, sub Tito nempe vel Domitiano. Judæum auctorem passim agnovimus, sed origine tantum, non religione, quoniam aperte baptismi mentionem facit, nisi quod illum e judaïzantibus fuisse, qui tum major pars erant Christianorum, suspicari licet. Patria incerta. Quod tamen Assyriis antiquitatis primum honorem ultro deferat, v. 49 (non ut lib. III, v. 149, et VIII, v. 6, et XI, v. 19, Ægyptiis), et quod Ægypti semel tantum meminerit, v. 72, sqq., quodque plurimum Asiæ calamitatibus immoretur, v. 90, sqq., 106 sqq.; quod denique de raptis Asiæ divitiis aliquando in Asiam redituris primus omnium vaticinatus sit, v. 142 (145), sqq.; Asiaticum illum facile credimus, ex Lycia fortasse vel Caria, quarum potissimum urbes citat atque deplorat.

Habemus ergo antiquissimum eoque pretiosissimum religionis nostræ monumentum, ab homine Christiano scriptum apostolicis temporibus, paulo post Hierosolyma deleta, ante Joannis evangelium! Cujus ideo doctrinam in Excursu proximo, qua par est diligentia, investigabimus. Interim satis sit dicere, poetam hunc nostrum, licet origine Judæum, et affectu, si non cultu, judaïzantem, cetera prorsus videri orthodoxum : quippe ne millenaria quidem labe, quæ tunc temporis late diffusa fuit, infectus videtur. Quæ vero apud eum lectores pios morari possunt, de hominum statu post judicium supremum, v. 40, sq. et 179 (181), sqq., non discedunt a receptis tum vel toleratis opinionibus etiam inter orthodoxos; eaque quum in libro apocrypho quidem, sed tamen antiquo et venerando, Constitutionum apostolicarum, sine reprehensione, imo auctoritatis instar, proferantur, durus sit omnino qui severius damnare audeat in homine illorum temporum, theologus hodiernus, ea quæ secundo sæculo plerique sancti Patres haud dubie vel probaturi vel æquo animo laturi fuissent, etsi eadem postea jure derelicta sunt, et nunc omnium ecclesiarum consensu rejiciuntur : sed de his omnino cfr. Exc. VI.

CAP. III. *De Procemio Sibyllino.*

Prodeant nunc post quartum librum statim ii libri seu librorum eæ partes quæ non quidem ante secundi sæculi medios annos, sed apud Justinum certe, illius ævi scriptorem, citati reperiuntur. Tale est Sibyllinum, quod vulgo dicitur, Proœmium, et talis erit libri VIII pars secunda. Sed a Proœmio incipiendum vel ipsius tituli jure, et quod illud, in nonnullis olim exemplaribus, tertii libri partibus antiquissimis sub communi Erythrææ Sibyllæ nomine præfixum fuisse

doceant Theophilus ad Autol. lib. II, § 36, ἐν ἀρχῇ τῆς προφητείας αὐτῆς, et Lactantius, lib. IV, cap. 6, « in carminis initio. » Erythrææ ergo Sibyllæ fetum esse, multi credebant, seu potius Assyriæ vel Chaldææ vel Hebraïcæ, quæ se falso Erythræam vocatum iri prædixisset, lib. III, v. 808, sqq. (confer Exc. I, cap. 15), unde citatos ex ipso versus Clemens Alexandrinus, Cohort. ad Gr. p. 61, Hebraicæ vatis ait esse, προφήτιδος τῶν Ἑβραίων.

In hodiernis tamen Sibyllinorum codicibus manuscriptis frustra quæritur hoc Procemium, aberatque ex editione principe anni 1545. Mox tamen eodemque anno repertum in Theophili libris ad Autolycum, qui tum primum typis edebantur, doctorum animos ad se convertit, atque in Sibyllinum corpus receptum est a Castalione, latine primum anno 1546, deinde etiam græce anno 1555. Inde semper in editis obtinuit principem locum, quem hodieque servat. Cur prius a Sibyllino corpore, quando et a quo suppressum, nunc non quærimus, plura de ea re dicturi infra, cap. 12 et 17. Nunc ipsum per se intueri præstat, quale sit, et quale ab initio fuerit.

Quanquam integrum ad nos minime pervenisse fatendum est: supersunt enim fragmenta solum a Theophilo servata, quæ tamen quum longiora sint, aperteque et initium et finem carminis exhibeant, ad sententiam de toto ferendam satis valent.

Argumentum ejus est manifestissimum, de unitate Dei veri ac de falsorum deorum vanitate; quod recte significaverat Lactantius, loc. cit.: « Sibylla, inquit, Erythræa in carminis sui principio, quod a Deo « summo orsa est. » Statim quippe a primo versu mortales increpantur, quod a vero numine ad falsa defecerint, v. 1-27. Ecce autem lux illis affulget, ad quam sequendam invitantur, v. 28-30. Extollitur Dei cuncta regentis potentia, v. 31-35. Vanitas falsorum deorum demonstratur, v. 36-40, quibus opponitur unus Deus, omnium rerum auctor, v. 41-52, omnium gnarus, v. 53, sq., præmiorum ac pœnarum bonis malisque arbiter, v. 55-58. Tum illi præsertim dii deridentur, quos e brutis animalibus desumptos fœda superstitio aris imposuit, v. 59-71. Opponitur tantæ amentiæ debita uni Deo reverentia, v. 72-75, gentilesque ab errore suo deterrentur, v. 76-80, ignis scilicet æterni metu impiis proposito, v. 81, sqq., dum contra veri Dei cultoribus æterna vita promittitur cum Paradisi, felicis nempe cujusdam horti, deliciis et panis cælestis alimento, v. 84-extr.

Carmen est non inelegans, verbis sententiisque paulo laxius, sed nec numero carens nec colore, poetæ denique mediocris potius quam mali. Insuper philosophicum quiddam ac prope scholasticum redolet illud argumentandi genus, v. 39, sqq.:

Εἰ δὲ γεννητὸν ὅλως καὶ φθείρεται, κ. τ. λ.

Ex his omnibus Alexandrinum subolfacias ingenium; quam conjecturam omnino firmant taxatæ bis in hoc carmine Ægyptiorum superstitiones, v. 60, sqq.:

Αἰσχύνθητε γαλᾶς καὶ κνώδαλα θειοποιοῦντες, κ. τ. λ.

Et paulo infra, v. 65, sqq.:

Προσκυνέοντες ὄφεις, κύνας, αἰλούρους, ἀνόητοι,
Καὶ πετεεινὰ σέβεσθε καὶ ἑρπετὰ θηρία γαίης.

Quæ alibi quam in Ægypto scribi vix potuerunt; neque alibi tam græce et eleganter, quam Alexandriæ, in ipso nempe græcæ elegantiæ domicilio. Quum autem vel Judæum vel Christianum fuisse scriptorem ex ipsa carminis materia constet, restat quærere utris potius sacris addictus, et quando vixerit. Utraque quæstio, quamvis diversa, iisdem prope rationibus dirimi potest.

Viri doctissimi et sagacissimi Bleekius, Gfrörerus et Klausenius, operibus citatis supra, pag. 322, Judæum scriptorem in Procemio sibi visi sunt agnoscere, eumque Alexandrinum, Ptolemæis coævum, ex Aristobuli schola, eumdem fortasse qui libri tertii partes antiquiores scripsisset, et quid plura? ipsum fortasse Aristobulum. Cujus tamen opinionis sola hæc afferuntur argumenta:

1° Procemium hoc a Lactantio citari tanquam ipsius Erythrææ Sibyllæ, quem honorem communem huic carmini facit non cum omnibus Sibyllinis, sed cum antiquissimis tantum libri tertii partibus, sub Philometore scriptis;

2° Spirare in eo philosophicum quiddam et e schola petitum, præsertim v. 39, sqq.;

3° Illud initio γλυκὺ Πνεῦμα, quod Deus cunctis mortalibus indidisse, omniumque ducem fecisse ibi dicitur, v. 5, sq., non aliud esse quam Judæorum Alexandrinorum Σοφίαν sive Πνεῦμα sive Λόγον, id est, Platonicum Νοῦν in judaïcam theologiam invectum;

4° In hoc Procemio cruenta sacrificia commendari, v. 21, quod vel solum originis mere judaïcæ indicium sit.

Horum pleraque vera sunt, ita tamen ut inde certi nihil colligi possit. Primum enim non negamus, imo plenius alias ostendemus, fuisse olim varias Sibyllinorum collectiones, inque iis unam quæ Procemium duobus libris sub Philometore scriptis præfixum exhiberet. Quid vero si hoc Procemium ab aliquo recentiore Sibyllista, post æram nostram vivente, ea mente confictum est, ut antiquioribus libris initio carentibus exordii munus præstaret? Hoc Theophilo, hoc Lactantio, hoc aliis fucum facere potuerit.

Quæ porro nimis dialectica in Procemio reperiuntur, quidni poetæ

ipsius ingenio, scholasticis fortasse studiis enutrito, potiusquam Aristobuli, incerti auctoris, ignotæ ceteroqui disciplinæ tribuantur?

Illud γλυκὺ Πνεῦμα, si revera idem est ac Σοφία Ecclesiastici et libri qui Sapientia Salomonis inscribitur, idemque cum Λόγῳ non Philonis modo, sed etiam divi Joannis evangelistæ, nescimus cur ad judaïcam potius aut græcam theologiam quam ad christianam referatur.

Restat hecatombarum facta mentio, v. 21; sed qui illum ac proximos utrinque versus relegerit, facile agnoscet quod diximus, non certam ex iis conjecturam elici posse. Sunt enim hujusmodi :

Ὅττι Θεὸν προλιπόντες ἀληθινὸν ἀέναόν τε
Δοξάζειν, αὐτῷ τε θύειν ἱερὰς ἑκατόμβας,
Δαίμοσι τὰς θυσίας ἐποιήσατε.

Quid ergo? suadet Noster aut commendat hecatombas? Minime : sed si sacrificia hujusmodi offerenda sint, Deo potius offerenda censet quam dæmonibus. Neque enim Christianos latebat, præsertim ex Judæis plerosque ortos, placuisse olim Deo cruentas victimas, modo sibi, non falsis diis oblatas; neque in gentilibus omnino reprobare poterant eos ritus qui ipsis olim Hebræis divinitus impositi fuerant.

Ut autem, nobis quidem judicibus, nihil in hoc carmine judaïcam, id est, mere judaïcam, originem arguit, ita multa christianam prodere videntur. Nam illud quod modo afferebatur :

Ὅστις γλυκὺ Πνεῦμ' ἐν ἅπασι
Κάτθετο, χὴγητῆρα βροτῶν πάντων ἐποίησεν,

nihil aliud est, si Lactantius recte intellexit, quam ipsum divi Joannis testimonium de Christo : « Erat lux vera, quæ illuminat omnem « hominem venientem in hunc mundum. » Ac si pro βροτῶν cum Lactantio legas Θεόν, eamque putes primariam fuisse scripturam, ita ut Dei Filius, sive Verbum, sive Sapientia, sive Spiritus, paternæ divinitatis consors ac Deus ipse vocetur, quanto certior elucebit hujus carminis origo christiana!

Quod si judaïca illa fuisset et Ptolomæis suppar, ut isti volunt, quo jure potuisset Noster exclamare, v. 25 et 28, sqq. :

Τί πλανᾶσθε, βροτοί;.....
Οὗτος ἰδοὺ πάντεσσι σαφὴς ἀπλάνητος ὑπάρχει.....
Ἠελίου γλυκυδερκὲς ἰδοὺ φάος ἔξοχα λάμπει.

Nam quæ nova illa lux, regnante Philometore, gentibus affulserat? Contra post Christi adventum lux et aurora divini regni, a Prophetis prædicta sæpe, præsens jam haud immerito salutatur.

At vero, non jam obscure, sed palam christianus est hujus Procemii epilogus, in quo mali et impii sic increpantur, v. 81, sq. :

Τοὔνεκεν αἰθομένοιο πυρὸς σέλας ἔχετ' ἐφ' ὑμᾶς,

Λαμπάσι καυθήσεσθε δι' αἰῶνος τὸ πανῆμαρ,

justis vero Paradisi deliciæ promittuntur, v. 84, sqq. :

Οἱ δὲ Θεὸν τιμῶντες ἀληθινὸν ἀέναόν τε
Ζωὴν κληρονομοῦσι δι' αἰῶνος χρόνον, αὐτοὶ
Οἰκοῦντες Παραδείσου ὁμῶς ἐριθηλέα κῆπον,
Δαινύμενοι γλυκὺν ἄρτον ἀπ' οὐρανοῦ ἀστερόεντος.

Raro enim in Veteris Testamenti libris tam apertam invenias professionem, primum æternitatis pœnarum ac præmiorum; deinde supplicii per ignem in Gehenna subeundi; tertio felicis in Paradiso vitæ : quæ omnia sub prisco fœdere figuris sæpius involuta, in Evangeliis luce plena coruscant. Non quod dubium sit illa dogmata seu maximam eorum partem, ex antiquiore videlicet traditione, in Pharisaïcam penetrasse doctrinam. Verum Alexandrinos Judæos constat illi sectæ addictos non fuisse : imo Pharisæorum tanta fuit adversus Judæos omnes hellenistas invidia, ut vel græce discere apud ipsos nefas esset.

Quod si quis Alexandrinos putat, quia magis in philosophia versati essent, propius ad verum accessisse, ideoque clarius de iis rebus locutos esse quam aut Mosem aut Psalmos aut Prophetas, id vero, ne quid gravius dicamus, nimis est Alexandrinis honorificum. Philo certe, qui omnium judicio primum inter eos locum obtinuit, non tam orthodoxam de mortuis profitebatur fidem tum quum fabulas de inferis palam aspernaretur his verbis, de Congr. erudit. quær. caus. p. 432, ed. 1640 : Ὁ δὲ χῶρος οὗτος [ἡδονῶν καὶ ἐπιθυμιῶν καὶ ἀδικημάτων μεστὸς] προσφυέστατα ἀσεβῶν καλεῖται, οὐχ ὁ μυθούμενος ἐν ᾅδου· καὶ γὰρ ὁ πρὸς ἀλήθειαν ᾅδης ὁ τοῦ μοχθηροῦ βίος ἐστίν. Et quum in toto libro de Præmiis et Pœnis ne semel quidem mercedum pœnarumve in alio mundo futurarum meminisset, nisi uno verbo, p. 921 : Ἄνθρωποι μὲν γὰρ πέρας τιμωριῶν νομίζουσι θάνατον, ἐν δὲ τῷ θείῳ δικαστηρίῳ μόγις ἐστιν οὗτος ἀρχή, dubio tamen sensu nobisque suspecto : nam ut πέρας summum cumulum, ita ἀρχήν primum fortasse et infimum gradum pœnarum, non temporis initium intellexit; vel allusit ad suas insanas metempsychoses, de quibus ipsum adi, de Somniis, p. 585, sqq.

At ipsi christiani Sibyllistæ qui sub finem primi sæculi aut secundi initium scripserunt, rudem omnino de pœnis impiorum ac de justorum præmiis sententiam aliquando tradiderunt, ut libro IV, v. 183, sqq., loco jam supra discusso. An igitur hoc Procemium, quia propius quam ceteri libri ad evangelicam veritatem accessit, quum inter christianos ipsos emineat, inter judaïcos reputabitur? Adde quod in eo dicendi formulas quasdam christianas invenire est, ut vel illud, v. 85, ζωὴν κληρονομεῖν, in Evangeliis tam sæpe obvium, Matth.,

cap. 19, v. 29; Marc., cap. 10, v. 17; Luc., cap. 10, v. 25, et cap. 18, v. 18 (confer et Petri epist. I, cap. 3, v. 7) : in Veteri autem Testamento nihil simile, nisi semel in Ecclesiastic. cap. 4, v. 14, κληρονομήσει δόξαν, et iterum, cap. 20, v. 25, ἀπώλειαν κληρονομήσουσιν, sed neutrum de futura vita. Item παράδεισος, de beatorum sede, in Veteri Testamento nusquam usurpatum reperitur, nisi Ecclesiastic. cap. 44, v. 16, et quidem in latina tantum versione, non in græco textu. Quid quod in notis ad Procemium, imitationem reperire nobis visi sumus locorum quorumdam ex Joannis evangelio, ad v. 6, atque ex ejusdem Apocalypsi, ad v. 86, sq. Quin et alicubi, sed præcipue v. 10, sqq., 41, sqq., similitudinem nonnullam deprehendimus hujus carminis cum quarto Sibyllino libro, quem videtur ob oculos habuisse Noster. Multa igitur concurrunt ut Proœmium hoc scriptum putemus ab homine Christiano, orthodoxo illo, nisi fallimur, ac ne judaïzante quidem, post initia secundi sæculi : an ab eodem qui librum VIII, § 2, sub eadem tempora scripsit, nec nunc facile est dicere, et melius in Excursu proximo disquiretur.

CAP. IV. *De libri octavi parte secunda.*

Liber octavus lacunis quibusdam grandibus in partes quatuor dividitur, quarum tamen ultimæ duæ (an verius unam efficientes?) quum a nemine antiquorum citatæ reperiantur, nunc sunt amovendæ et in aliud tempus differendæ. Prima et secunda a Lactantio laudantur tanquam ab eadem Sibylla profectæ, Div. Inst. IV, 15; sed falso, uti infra demonstrabitur, quum ne ætatis quidem ejusdem esse possint : e quibus secunda, quia citatur a divo Justino, ideoque prior ætate videtur, priorem in hac dissertatione locum obtinebit.

Incipit, v. 217, ab illa celebratissima acrostichide versuum xxxiv, quorum initiis conficiuntur voces istæ: ΙΗΣΟΥΣ.ΧΡΕΙΣΤΟΣ.ΘΕΟΥ. ΥΙΟΣ. ΣΩΤΗΡ. ΣΤΑΥΡΟΣ. Cujus qualiscumque seu poetici lusus seu puerilis artificii, ne quem forte falleret, Sibylla ipsa lectores admonuit his verbis, v. 249 :

Οὗτος ὁ νῦν προγραφεὶς ἐν ἀκροστιχίοις Θεὸς ἡμῶν.

Multa de hac acrostichide essent dicenda quæ malumus in caput proximum reservare, monito tantum lectore, duas ejus esse partes, quarum prior, versibus constans xxvii, tota est de judicio supremo; altera, versibus vii, de sanctæ Crucis laudibus : unde, sed jam acrostichii lege neglecta, pergit poeta, v. 251, sqq., et statim transit ad hominis redemptionem per Crucis mysterium factam.

Postquam igitur nonnulla præmisit de causa et consilio divinæ redemptionis, v. 256-268, prædicit adventum Christi, ejusque miracula, passionem, mortem, descensum ad inferos, resurrectionem a mortuis, v. 269, sqq.

Inde, v. 324, sqq., Sionem ipsam compellat, hortaturque ut venientem ad se Redemptorem cum fide et amore excipiat. Qui Christum noverit, ei soli contingere ait, ut Christi Patrem videat, v. 336 :

Γνῶθι τίς ἐσθ' οὗτος, καὶ τὸν γενετῆρά ποτ' ὄψει.

Tunc, inquit (sed quando? nisi secundum Christi adventum intelligas) vidua mundi elementa dispergentur, magnaque erit per orbem terrarum desolatio, v. 337, sqq., frustra veniam implorantibus, qui tunc supererunt; nam Deus orantes aversabitur, v. 356 : satis quippe datum misericordiæ, quod septem sæculorum dies hominibus concesserit ad pœnitentiam, motus prece Virginis almæ, v. 357, sq. :

Ἑπτὰ γὰρ αἰώνων μετανοίας ἤματ' ἔδωκεν
Ἀνδράσι πλαζομένοις διὰ χειρὸς Παρθένου ἁγνῆς.

Pergit Sibylla : Ipse Deus hæc me vaticinari jussit, quæ mox ipse, sicut dicta sunt, efficiet. Novi ego numerum arenarum, etc. Sequitur locus de sapientia et potentia Dei, qui loquens ipse, poetica quadam figura, lectore non præmonito, inducitur, v. 361-377.

Queritur inde Deus quod, se relicto, mortales vilem materiam colere et adorare maluerint, v. 378-381; damnat gentilium superstitiosos ritus, donaria, fercula, lychnos in templis accensos, libamina, victimas, v. 382-401, et qui sit verus cultus edocet : amor nempe hominum et collata in proximum beneficia, v. 402-408, quibus operibus vita emitur æterna, digna justis parata merces, sed non priusquam igne omnes probati fuerint, v. 409-411.

Omnes enim probabo, inquit, tum quum, cælo convoluto, apertis terræ visceribus, mortuos e sepulcris excitabo et ad judicium vocabo, v. 412-418. Tum palam arguentur qui nunc superbia elati justorum ora præcludunt, quo facilius oppressos servituti addicant, dominationis simul et lucri causa, v. 419-423. Pios vero ad me venire jubebo, illuc ubi nec tempus erit, nec astrorum ortus et occasus, sed jugis dies et lux æterna. Lux enim iis erit ipse Christus, v. 428, sq. :

Εἰς δ' αἰῶνα τὸ φῶς μέγα καὶ πεποθημένον ἔσται
Χριστὸς Ἰησοῦς αἰώνων....

Atque hic pars secunda libri hujus clauditur in versu 429, truncato illo quidem ac dimidiato, paucis tamen, ut videtur, amissis et quæ facile conjectura suppleri possint, de bonorum nempe æterna felicitate post judicium futura.

Quid nunc de tota hac parte censeamus? Apertissime christiana est;

orthodoxa etiam ac vix ulla judaïsmi labe infecta. Tantum aliquem habet erga Judæam gentem pietatis affectum locus iste, v. 324 :

Χαῖρε, ἁγνὴ θύγατερ Σιὼν καὶ πολλὰ παθοῦσα,

sed id e sacris Prophetis ductum, ac minime in hoc poeta suspectum; statim quippe Judæam gentem invitat ad pristinos mores ritusque deponendos, v. 332 :

Τοὺς προτέρους ἀπόθου,

quibus Deum non placari aperte docet, v. 334, sq. :

Οὐ γὰρ σοῖς ἐθίμοις ἱλάσκεται, οὔτε λιταῖσιν,
Οὐ θυσίαις προσέχει φθαρταῖς.

Et hoc idem apertius fortasse professus erat, solutum legis vinculum proclamans, supra, v. 300, sq. :

Εἰς αὐτὸν τότε πᾶς λύεται νόμος, ὅστις ἀπ' ἀρχῆς
Δόγμασιν ἀνθρώπων ἐδόθη διὰ λαὸν ἀπειθῆ,

ut, etiamsi Judæus origine fuerit, tamen ad mere christianos ritus convolasse eum necesse sit.

Ceterum nihil occurrit in hoc carmine quod auctoris domicilium prodat. Alexandrinum subindicat quædam versuum, passim notabilis, elegantia; idque certius fieret, si vera esset, quam mox astruere conabimur, hujus libri cum Proœmio affinitas et cognatio.

De ætate certius aliquid pronuntiari potest. Est enim Antonino Pio anterior, quando minime dubium est ad illa supra dicta de Christi vita ac miraculis respexisse divum Justinum, Cohort. § 38 : Πείσθητε, inquit, τῇ ἀρχαιοτάτῃ καὶ σφόδρα παλαιᾷ Σιβύλλῃ, ἧς τὰς βίβλους ἐν πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ σώζεσθαι συμβαίνει, περὶ μὲν τῶν λεγομένων θεῶν ὡς μὴ ὄντων ἀπό τινος δυνατῆς ἐπιπνοίας διὰ χρησμῶν ὑμᾶς διδασκούσῃ· περὶ δὲ τῆς τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μελλούσης ἔσεσθαι παρουσίας, καὶ περὶ πάντων τῶν ὑπ' αὐτοῦ γίνεσθαι μελλόντων σαφῶς καὶ φανερῶς προαναφωνούσῃ. In his Justinum ad nostrum librum seu potius ad nostram libri octavi partem respicere non dubitamus, quod illas prædictiones palam et aperte factas, σαφῶς καὶ φανερῶς, de Christo ac de omnibus per illum gerendis, περὶ πάντων τῶν ὑπ' αὐτοῦ γίνεσθαι μελλόντων, nusquam alias in Sibyllinis inveniamus, nisi libro I, qui Justino haud dubie recentior est et magnam partem ex hoc ipso octavo libro desumptus.

Sibyllæ autem antiquissimæ, ἀρχαιοτάτῃ καὶ πάνυ παλαιᾷ, ista tribuit Justinus, quod ipsam a Babylonia seu Chaldæa non distingueret, quam etiam ab Assyria Cumas venisse credebat, omnia turbans atque confundens (cfr. Exc. I, cap. 7 et 15), homo sane parum critici ingenii; vix tamen eum credimus tantam antiquitatis laudem carmini nostro concessurum fuisse, si recens adhuc et atramento madidum

accepisset, ac nisi illud per aliquot annos legere ac mirari consuevisset. Itaque non multum nos a vero distare confidimus, si hoc carmen antiquius aliquanto faciamus Justini operibus atque ideo Antonini Pii principatu, scriptum nempe vel Hadriani vel Trajani temporibus. Certe non ante Trajanum; nam versus 255 :

Εἰς ὃν ὁ πιστεύσας ζωὴν αἰώνιον ἕξει,

ductus ex Evangelio divi Joannis, sub initia Trajani scripto, ætatem arguit posteriorem; quod etiam innuunt versus 271 et 336 ex eodem Evangelio desumpti.

Sed nos in capite priore eadem fere de Procemii ætate conjiciebamus, quanquam aliis de causis. Quod si ambo carmina inter se conferamus, saltem ab hujus libri versu 359, sqq., magna nobis obversabitur quum argumenti, tum etiam sententiarum et dictionis similitudo. Confer, exempli causa, versum 381 :

Τὸν κτίστην προλιπόντες ἀσελγείαις ἐλάτρευσαν,

cum illo Procemii, v. 19 :

Ὅττι Θεὸν προλιπόντες ἀληθινὸν ἀέναόν τε
Δοξάζειν.

Ipsum verbum δοξάζειν bis occurrit in hac libri VIII parte, v. 330 :

Αὐτὸν δοξάζουσα καὶ ἐν στέρνοισιν ἔχουσα,

et v. 380 :

Δοξάζουσι λιταῖς καὶ θρησκείῃσιν ἀνάγνοις.

At quod libro legitur octavo, v. 393 :

Δαίμοσι ποιήσουσι νεκροῖς, ὡς οὐρανίοισι,
Θρησκείαν ἄθεον,

nonne in Procemio quoque dictum erat, v. 22 :

Δαίμοσι τὰς θυσίας ἐποιήσατε τοῖσιν ἐν ᾅδῃ.

Versus quoque octavi libri, 366 :

Αὐτὸς γὰρ μορφὰς ἀνδρῶν καὶ νοῦν ἐτύπωσα,

consimilis est huic :

Αὐτὸς δ' ἐστήριξε τύπον μορφῆς μερόπων τε,

quod hodie quidem inter fragmenta legitur, fuisse vero olim videtur in ipso Procemio, sicut nos jampridem annotavimus.

His adducimur ut suspicemur, diffidenter tamen, ut in mera decet conjectura, auctorem Procemii eumdem esse quem libri VIII, § 2. Et sane post illos versus in Procemii fine positos de pœnis malorum ac de bonorum præmiis, non male procederet acrostichis de judicio :

Ἱδρώσει δὲ χθών, κρίσεως σημεῖον ὅτ' ἔσται, κ. τ. λ.

Imo vix aliter capi potest illud δέ, quam si nonnulla præcesserint, et quidni Procemium ipsum? Verum id fortasse probabilius etiam

videbitur, postquam aliquid de acrostichide dictum fuerit, id quod capite proximo fiet.

CAP. V. *De Acrostichide Sibyllina.*

Sibyllina acrostichis de qua capite priore obiter tantum egimus, digna est ob famam et antiquitatem, quæ singulari dissertatione tractetur. Eam antiquitus jam adhæsisse libro VIII, § 2, testis est Lactantius, Div. Inst. lib. VII, cap. 20, duos ex ipsa citans versus, 241, sq. :

Ταρτάρεον δὲ χάος, κ. τ. λ.,

et statim tanquam « ex alio loco apud eamdem Sibyllam » quatuor afferens qui revera hodie leguntur in eadem hujus libri parte. Constat vero ipsa, ut diximus, versibus XXXIV, quorum initia voces has repræsentant vulgo in libris manuscriptis et editis acrostichidi præfigi solitas : ΙΗΣΟΥΣ. ΧΡΕΙΣΤΟΣ. ΘΕΟΥ. ΥΙΟΣ. ΣΩΤΗΡ. ΣΤΑΥΡΟΣ, et hoc ab ipsa Sibylla admonemur, v. 249, sq. :

Οὗτος ὁ νῦν προγραφεὶς ἐν ἀκροστιχίοις Θεὸς ἡμῶν
Σωτὴρ ἀθάνατος βασιλεὺς, ὁ παθὼν ἕνεχ' ἡμῶν.

Rursus vero notandum, quod jam supra observavimus, posse hanc acrostichidem, quamvis brevem, in duas dividi partes, quarum una est de judicio supremo, versus XXVII continens; altera, versuum VII, sanctæ Crucis laudes canit : non tamen sine specie justæ inter utramque transitionis, quoniam in judicio Crux ipsa Redemptoris effulsura creditur, illudque *signum* fore *Filii hominis* in Evangelio prædictum, Matth., cap. 24, v. 30, quo respexit Sibylla et in fine libri VI, et in hac ipsa acrostichide, v. 244, sq. :

Σῆμα δέ τοι τότε πᾶσι βροτοῖς, σφρηγὶς ἐπίσημος,
Τὸ ξύλον ἐν πιστοῖς, κ. τ. λ.,

ubi si pro vulgata σφρηγὶς ἐπίσημος admittatur Eusebiana lectio ἀριδείκετον οἷον, etiam melius constabit sensus.

Quum vero hæc acrostichis a duobus ecclesiasticis auctoribus citata reperiatur, græce quidem ab Eusebio in oratione Constantini ad Sanctos, unde in multos græcos codices transiit; latine autem a divo Augustino, de Civ. XVIII, 23, quem plerique Latini secuti sunt : notabile est Eusebium integram ipsam afferre; Augustinum vero versus tantum ex ea priores XXVII, id est, totam de judicio partem, quam inde conjicias vulgo tum seorsim ab altera lectitatam fuisse apud Latinos, quum Græci carmen integrum libentius retinerent. Ac revera prior pars integrum per se sensum efficit, eaque in titulo seu lemmate acrostichidis respondet vocibus quinque ad ipsam Christi perso-

nam spectantibus; sexta vox cum prioribus syntaxi non cohæret. Adde quod ipse monet Augustinus, vocibus illis quinque ΙΗΣΟΥΣ. ΧΡΕΙΣΤΟΣ. ΘΕΟΥ. ΥΙΟΣ. ΣΩΤΗΡ, aliam acrostichidem includi, nempe vocem ΙΧΘΥΣ, quæ apud veteres Christianos symbolum Christi fuit, a qua sequens vox ΣΤΑΥΡΟΣ aliena est. Unde suspicio suboritur serius illam secundam partem esse additam, ideoque sine septem ultimis versibus prodiisse primum acrostichidem, totam sic de judicio scriptam.

Verum in libro Sibyllino ipsi illi septem versus tam apte cum sequentibus cohærent, ut nec lacuna nec interstitio ullo a reliquis libri octavi separentur. Itaque necesse est, si serius additi sunt, additos ab auctore ipso libri octavi fuisse : atque ideo pars prior acrostichidis, seu quæ tota olim acrostichis fuit, antiquior habenda est non modo sequentibus VII versibus, sed etiam tota libri octavi secunda parte; antiquior igitur ceteris quoque Sibyllinis plerisque libris ipsoque Prooemio. Nec tamen ausimus priorem illam facere libro quarto, quia videtur quartus is liber Sibyllinis omnibus christianis viam aperuisse, in quo se Sibylla ipsa nominat, v. 22 :

Σὺ δὲ πάντα, λεὼς, ἐπάκουε Σιβύλλης,

unde factum putamus ut et sequentes libri et acrostichis ipsa Sibyllæ tribuerentur; aliter ne causa quidem fuisset, cur fetus esse putarentur Sibyllæ reticentis. Itaque libentius credimus scriptam esse acrostichidem inter libros IV et VIII, § 2, id est, inter Domitiani et Hadriani tempora, fortasse sub ipsum sæculi secundi initium.

Atque hæc unde ortum ceperit, ita fere conjicimus. Fama erat in Cumanæ seu Romanæ Sibyllæ libris totum carmen per acrostichia esse descriptum. Id aperte tradiderat Cicero de Divin. lib. II, § 54 : « Atque in Sibyllinis, inquit, ex primo versu cujusque sententiæ « primis literis [versuum nempe sequentium] illius sententiæ carmen « omne prætexitur. » Idem innuit Dionysius Halic. lib. IV, § 62, Varronem auctorem citans, ubi ait in Sibyllinis suo tempore cognitis spurios aliquot versus deprehendi, eosque falsitatis argui acrostichiis ipsis, id est, interrupta acrostichiorum serie : Ἐν οἷς εὑρίσκονταί τινες ἐμπεποιημένοι τοῖς Σιβυλλείοις, ἐλέγχονται δὲ ταῖς καλουμέναις ἀκροστιχίσι. Quæ quo sensu capienda sint, in Excursu tertio demonstravimus. Sed utcumque capiantur, inde procul dubio venit olim in mentem Christiano alicui Sibyllinorum lectori, ut tale quoddam acrostichidis specimen, christianæ doctrinæ accommodatum, sub Sibyllæ nomine ederet; illudque prior iste XXVII tantum versibus comprehenderat, quod alius deinde Sibyllista, versibus aliquot auctum, fundamentum fecit libri VIII, § 2.

Huc redit altera conjectura quam supra jam in fine capitis prioris exposuimus. Nam fortasse idem vel alius Sibyllista acrostichidem ita auctam et in modum justi libri amplificatam, principio non magis quam fine carere voluerit; atque ideo carmen illi breve quoddam, exordii seu prologi instar, præfixerit, quod postea inde revulsum tertioque libro annexum, rursus denique a tertio libro separatum, illud ipsum factum sit, quod nunc habemus, Procemium. Et quidem inter Procemium et hanc octavi libri partem cognationem quamdam sententiarum et orationis, præterea rerum quoque seriem non male continuatam notavimus ibidem, p. 334. Sed hæc, quia, ut diximus, mere conjectanea sunt, in præsentia omittantur, et de ipsa acrostichide instituta quæstio, quo cœpit ire pede, pergat.

Non dissimulandum gravem suspicionem esse motam præsertim a Gallæo, Dissert. p. 133, sqq., quod a sanctis Patribus, Sibyllinorum assiduis lectoribus excerptoribusque, nulla ante Eusebium mentio acrostichidis fieret, quam si novissent, libenter exhibituri fuissent, palam quippe faventem christianæ doctrinæ, non sententiis modo, sed versuum initiis, habentemque in se sanctum ipsum Redemptoris nostri nomen. Affert ex ipsa Lactantius variis locis versus quatuor, 224, 239. 241, sq.; fors et alicubi respicit ad v. 236; nusquam vero servatæ in iis versibus ullius legis meminit. Imo, v. 224, ubi literarum ordo ῥίψουσι postulat, habent Lactantii exemplaria τρίψουσι, sensu æque bono, ut ita legisse scriptor ille videatur ac seriem literarum minime curasse. Inde quidam excogitaverunt, compositos primo versus istos sine ulla acrostichiorum lege, postea, mutatis quorumdam versuum initiis, in eam quam nunc habemus formam esse redactos. Sed istam opinionem satis revincunt adducti tres a Lactantio versus sine ullius literulæ mutatione. In versu autem 224 vel scriptura Lactantii corrupta est, vel ipse, ut fit, memoriter citando aliquid inscius peccavit. Quod attinet ad Patrum silentium, credibile est illorum temporum Christianos acrostichidem, quam plerique vere Sibyllinam putabant, gentibus tamen non ita fidenter opposuisse, quod arcano quodam veritatis sensu admonerentur, ipsam nimis exquisitam carminis formam profanis fore suspectam, statim quippe reclamaturis cum Cicerone, loc. supra cit.: « Id certe magis est attenti animi quam furentis.....; » adhibentis diligentiam, non insani. »

Sed id quod gentiles acrostichidi nostræ merito opposuissent, nobis parum momenti habet, qui sciamus hoc, ut reliquum omne Sibyllinum vaticinium, piæ fraudi deberi. Et jampridem diximus Romanæ Sibyllæ exemplo viam ad id parari potuisse. Debuit autem hoc poetici ludi genus apud Græcos nec novum esse nec rarum, qui

nomen ei indiderant. Ennium quoque apud Latinos in isto genere versificandi exercuisse se tradit Cicero. l. cit. Addendum tamen exempla non defuisse etiam sacra in Psalmis et Prophetiis alphabeticis vulgo dictis, nempe Psalm. 118, 144, et Jeremiæ Lament., nisi quod in iis acrostichia fiunt non e certarum vocum literis, sed ex ipsa totius alphabeti serie. Conjici etiam potest, placuisse hanc Sibyllistis vaticinandi formam quod aliquid haberet in se μυστηριῶδες : et sic præsertim libro V et libris XI-XIV nomina Cæsarum et Imperatorum primis suis literis designari solent. Quanto magis hoc placere debuit volentibus augustum nomen Redemptoris Dei sacris tenebris involvere! Nobis quidem illud versificationis arcanum non multum distare videtur a gryphis et ænigmatis quibus usum videmus, similis mysterii causa, alium quoque Sibyllistam in Dei ac Jesu nominibus exprimendis, lib. I, v. 137, sqq., et 326, sqq.

Caret igitur fundamento ac specie Gallæi conjectura, suspicantis acrostichii formam serius ad hos versus accessisse. Eusebius certe, quarto jam sæculo incipiente, laudabat integramque citabat hanc acrostichidem, qua etiam aliud inclusum mysterium agnovit Augustinus de Civ. Dei, loc. cit. ita scribens : « Horum autem græcorum quinque verborum, quæ sunt Ἰησοῦς Χριστός [sic ille legit] « θεοῦ υἱὸς σωτήρ, quod est latine : Jesus Christus Dei filius salvator, « si primas literas jungas, erit ΙΧΘΥΣ, id est, piscis : in quo nomine mystice intelligitur Christus, eo quod in hujus mortalitatis « abysso, velut in aquarum profunditate, vivus, hoc est, sine peccato « esse potuerit. » Ingeniosa, sed incertum an vera interpretatio arcanæ cujusdam tesseræ primævorum Christianorum, ab illo potius Jonæ pisce deducendæ, quæ divinæ resurrectionis imago fuit, sæpe obvia in quarti vel quinti sæculi monumentis sculptis, præsertim in sepulcris ad epitaphiorum marginem. Aliter vero hanc figuram interpretatur, nempe de piscina baptismi, Tertullianus, de Bapt. cap. 1, qui Christianos inducit pisciculorum nomine gaudentes : « Sed nos « pisciculi secundum ἰχθὺν nostrum J. C. in aqua nascimur, nec aliter « quam in aqua manendo salvi simus. » Utique symbolum illud acrostichiis feracissimum fuit. Nam ut illa quinque verba acrostichidis Sibyllinæ, Ἰησοῦς Χρειστός, κ. τ. λ., brevioris acrostichidis instar in se habuerunt vocem ἰχθύς, ita ex ipsa hac voce factam aliam acrostichidem reperimus in epitaphio græco christiano Augustoduni apud Æduos reperto, cujus nos specimen, partim a doctis antea viris, partim a nobis ex αὐτοψίας restitutum, huc proferemus :

Ἰχθύος [οὐρανίου θε]ῖον γένος ἤτορι σεμνῷ
Χρῆσε λαλῶ[ν φωνὴ]ν ἄμβροτον ἐν βροτέοις·

Θεσπεσίων ὑδά[τω]ν τὴν σὴν, φίλε, θάλπεο ψυχὴν
Ὕδασιν ἀενάοις πλουτοδότου σοφίης·
Σωτῆρος δ' ἁγίην μελιηδέα λάμβανε βρῶ[σιν],
Ἔσθιε, πῖνε, [δυεῖ]ν ἰχθὺν ἔχων παλάμ[αιν].
Ἰχθῦ Χ[ριστὲ μέ]γα, Γαλιλαίων δέσποτα σῶ[τερ],
Συσ[σίτων ῥ]υτὴρ, σὲ λιτάζομ[αι], φῶς τὸ θανόντων.
Ἀ[λέξ]ανδρ[ε πάτ]ερ, τῷ 'μῷ κεχαρισμένε θυμῷ,
Εὐμν[ήστῳ σὺν μητρὶ καὶ αὐθαίμ]οισιν ἐμοῖσιν,
Ἵ[λαθι, καὶ παιδὸς] μνήσεο Πεκτορίου.

Lapis est quadratus, haud ita magnus, editus primum a doctissimo Pitra, in *Annal. de Philos. chrét.*, 1839, sept.; commentariis deinde adornatus a R. P. Secchi, Rom. 1840, et J. Franzio, Berol. 1841; rursus editus et novis commentariis variorumque lectionibus auctus ad eodem doct. Pitra in Spicilegio Solesm. tom. I.

In hoc epitaphio, quod quidem III vel IV sæculi arguit esse quum argumenti ratio, tum ipsa literarum forma, lacunæ primorum trium versuum, e lapidis fractura prognatæ, principis editoris conjecturis optime restitutæ sunt. In tertio displicet ὑδάτων, quod statim sequatur ὕδασι: sed poeta fortasse ποταμῶν aut πηγῶν scripserat, quam vocem vel exscriptor aliquis vel ipse scalptor aliud agens mutaverit. In quinto parvi refert βρῶσιν an βρωτὺν legas. In sexto δυεῖν vel δυοῖν planissimum est; ἰχθύν in ultima correptum contra regulam probat vel excusat Theocritus, Idyll. 21, v. 49. Sequentes versus minus certi sunt.

In septimo χαῖρε omnes suspicati sunt, nec male, ubi tamen lapis XPI...potius videtur exhibere, et sic sensus aptior nobis videtur; judicent acutiores. Deinde μέγα de nostro est, faventibus ultimorum apicum vestigiis. Γαλιλαίων vero miramur nemini succurrisse, ac plerisque placuisse λιλαίω, verbum pæne inusitatum, quum lapis aperte habeat ΓΑΛΙΛΑΙΩ, ducta super Ω lineola.

In octavo prima vox valde ægrotat: e vestigiis tamen eruuntur utcumque literæ CVC, unde qui primi hunc lapidem æri inciderunt, conjectando refecerunt εὔελπι seu simile quid; aliis magis placuit εὐσεβέων, et hoc non male quadrat cum Sibyllino loco, II, v. 28:

Ἀνδρῶν εὐσεβέων σωτὴρ κατὰ πάντα γένηται,

ubi codices quidam ἐνσαέων habent, an pro εὐσαέων? quod lapis noster omnino ferret. Nobis vero legendum videtur συσσίτων vel συγγενέων, acrostichii causa, quorum prius magis placet, non solum quia magis ad lapidis superstites ductus accedit, sed etiam quia melius cum iis cohæret, quæ de sacro convivio prius dicta erant. Deinde clare legitur λιτάζομε, pro λιτάζομαι, noto scripturæ mendo, raro tamen in metricis epigrammatibus, et hic notando.

In nono legi videtur Ἀσχάνδις, barbarum nomen : sed cave credas. Nam in ACXANΔIE latet inter duas primas literas parvulum Λ, more in illorum temporum scriptura usitato; qui mos etiam supra, v. 3, observatus est in θάλπεο, ubi eadem litera λ perpusilla intercalata oculos fallit. X vero pro Ξ positum in lapidibus haud infrequens est, præsertim illis temporibus et in occidentalibus maxime provinciis, propter latinæ orthographiæ contagium. Sequens I facile in P transit, ne lapide quidem reclamante. De ultimo E ac de voce sequenti non est quod ambigatur. Nec multum nos offendit in Alexandro prima litera producta, nempe ante liquidam, et in nomine proprio, et in tali poemate. Alterum deinde hemistichium totum est Homericum, Iliad. λ, 607, et alibi passim.

Decimus versus pæne totus lapidis vitio absorptus, facile tamen suppleri potest sive nostra sive simili conjectura. Et vulgata quidem lapidis initio reliquias exhibet literarum CYNM, unde reficitur :

Σὺν μητρὶ γλυκερῇ καὶ ἀδελφειοῖσιν ἐμοῖσιν,

sed verius CYMN legitur, unde nostra scriptura.

Restat ultimus versus, de quo fatemur dubitari posse : nos vero non dubitamus. Nam etsi prioris hemistichii litera tantum prima dimidiata superest, reliqua tamen quasi sponte subeunt. Quanquam haud ignoramus multos fore, præsertim ab Ecclesia Romana dissidentium, quibus sic invocari mortuos minus placeat; nec minus fortasse quosdam pigebit, quod sanctæ Eucharistiæ beneficium defunctis applicari in hoc elogio videatur : verum inter doctiores constat, jam tum in privatorum etiam exsequiis celebrata fuisse missarum solennia, quod olim nisi in martyrum anniversariis non fiebat.

Quod magis ad nostram rem pertinet, vides incipere hoc epigramma ab acrostichide vocis ΙΧΘΥΣ. Illam vero speciose et ingeniose sagacissimus Franzius ita continuari jussit, ut ΙΧΘΥΣ·ΕΙΣ ΑΕΙ legeretur; idque nobis jam ab initio placuit, et omnibus placiturum esse confidimus. Sed vix ac ne vix quidem id fiet, quin lectiones nostræ συσσίτων et εὐμνήστῳ in versibus 8 et 10 recipiantur. Aliter servari necesse erit productam per aliquot versus acrostichidem ac postea neglectam, prorsus ut in nostris Sibyllinis initio libri VIII, § 2, ubi pariter inceptus acrostichiorum ordo post aliquot versus deficit : sed hoc in Sibyllinis, etsi, quomodo sit factum, supra diximus, merito tamen displicet; et quanto magis in tam brevi poematio!

Esse autem hoc elogium Sibyllinis omnibus posterius, atque ideo fortassis ab eorum imitatione ductum, innuit præcipue vox Γαλιλαίων, quæ de Christianis sub Juliano imperatore maxime usitata fuit (quanquam et antiquius multo, confer Arrian. in Epict. lib. IV, c. 7, § 6), ac

primum quidem opprobrii loco; deinde vero illud probrum Christianos sibi laudi vertisse, quum aliunde, tum ex hoc lapide constat.

Vixit ergo sæculo IV fere medio, ut opinamur, Pectorius ille (an Pectorii alicujus libertus?), qui Alexandro patri (ejusdem fortasse domini servo) et matri et fratribus hoc monumentum posuit, Christianus ipse Christianis et in Christo mortuis; neque illorum sepulturam melius adornari posse censuit quam eo carmine quo fidei nostræ pretiosissima mysteria continentur.

Hæc de acrostichide Sibyllina, quæ diceremus, habuimus, simulque supplevimus quæ de secunda parte libri VIII dicenda restabant, a quibus jam ad initia ejusdem libri remeandum.

CAP. VI. *De libri octavi parte prima.*

Non posse hanc libri octavi primam partem cum secunda conjungi patebit vel ex ipso carminis tenore. Est autem hujusmodi:

In exordio Sibylla (quam ipsam loquentem induci ne dubita: nomen enim suum, etsi non aperte pronuntiat, tamen, dum feminino genere loquitur, satis prodit) docet se nuntiare mortalibus per omnes terras iram Dei venientem:

Ἐρχομένης μεγάλης ὀργῆς, κ. τ. λ.

Postquam igitur a turri Babel (respiciens nempe ad initia libri III, § 2), diversas populorum fortunas, et succedentia invicem regna, Ægypti, Persarum, Macedoniæ, etc. (hæc quoque e tertio libro), breviter et carptim recognovit, v. 4-8, mitti jam se ait in Italiam, quæ ultima sit terris imperatura, seu potius, ut ipsa dicit, omnes seu populos seu reges oppressura, v. 9, sqq. Sed, quamvis sera, Dei ultio tandem aderit, accenso jam et mox erupturo igne qui omnia deleat, v. 14-16.

Statim in avaritiam multis versibus invehitur, omisso Romæ nomine, sic tamen ut ad Romanos potissimum spectare non obscure videatur, v. 17-37.

Tum Romæ aperte plagam de cælo minatur, v. 37, sqq., nempe ignis illius de quo supra, unde et hic additur, καὶ πῦρ σε ὅλην δαπανήσει, v. 39. Hinc poeta ruinis insultat urbis impiæ, frustra auxilium a diis suis imploraturæ, v. 43-49.

Quum vero reges quindecim fuerint (id est, post quindecim seu potius quatuordecim Romanos imperatores), erit rex albo crine, etc. Sequitur Hadriani effigies ad vivum depicta, v. 52-58, quo mortuo Romæ luctus describitur, cladem inde suam ominantis, v. 59-64.

Post hunc tres regnabunt ultimis temporibus, Adonaï nomen referentes (Antonini scilicet), quorum unus senior (Antoninus Pius) in regno diu perstabit, infelix, qui totius orbis opes congeret, effundendas mox et in Asiam potissimum refundendas, ut auxilia sibi comparet adversus Neronem redeuntem, v. 65-72.

Hinc finis imperii Romani prædicitur, v. 73, sqq., et immensa totius orbis confusio, tum quum Deus veniet vivos mortuosque judicaturus, v. 81-83 (ita ut nullum poni videatur intervallum inter Romani imperii ruinam et judicium supremum; sed hæc latius sumenda: nam ante judicium multæ interim futuræ rerum vices mox ab ipsa Sibylla recensebuntur).

Describitur humani generis per illos dies amentia, luctus, desperatio, v. 84-87.

Quum draco igneus super aquas venerit, agmina ventre vehens infesta Romæ filiis (Antichristum ex Asia venientem intellige, et confer Apocal., cap. 12, sq.), tum finis rerum, inquit Noster, aderit et paratum justis Dei judicium, v. 88-92.

Rursus Romani imperii ruina, Romæ præsertim et Italiæ, describitur, v. 93-122. Itaque urbes increpantur, quod sub illius calamitatis adventum templis se monumentisque certatim exornent (respicit hoc ad luxuriantem sub Antoninis ædium magnificentiam), v. 123, sqq.

Hinc sexta Latinorum regum progenies (nempe Antoninorum) interibit, ita jubentibus fatis, post reges quindecim (id est, post Antoninos, Hadriani successores, ut supra dictum est), v. 131-138.

Verum huc inserta legitur, v. 133-136, improvisa quædam et hoc loco prorsus aliena prædictio de rege quodam per orbem terrarum feliciter regnaturo, neque ipso tantum, sed et filiis et nepotibus, quos versus ab aliquo recentiore interpolatos esse mox ostendemus.

Quum vero Phœnix ales quintum visus in terris fuerit (gratis hoc et temere excogitatum), veniet Hebræorum inimicus (Antichristus Nero), et Romam penitus affliget, v. 139-147, postquam nomen ipsa suum impleverit, exactis annis CMXLVIII, ab origine nempe sua, v. 148-150 (qui annus revera cadit in Commodi imperatoris initia, nec mirum si falso, utpote ante eventum, prædictus).

Inde votis arcessitur Neronis reditus in Romæ perniciem, v. 151, sqq., quem tamen postea, potentis alicujus ultoris (Messiæ scilicet) interventu, sceptris et vita privatum iri nuntiatur, v. 157-159.

Interim portenduntur gentibus et urbibus quibusdam, Rhodo, Thebis, Ægypto, Samo, Persidi, calamitates (sub Antichristo, uti reor, perferendæ, sed hæ raptim et paucis indicatæ), v. 160-168.

Tum canitur adventus Messiæ, mortuis excitatis (omnibusne, an

justis tantum?), regnaturi per orbem sine fine, v. 169, sqq. Adversus quem concitabit Antichristus submissas sibi gentes, v. 176, sq..... Sed hic lacuna sensus abrumpitur, facile conjectura supplendus.

Sequuntur signa venientis rerum finis, agrorum sterilitas, hominumque fœdissima corruptela, v. 178-189. Astrorum denique de cælo lapsus, quorum agmen ducet cometa quidam, fatale mundo signum afferens, v. 190-193.

Orat Sibylla ne sibi tum vivere detur, quum hilaris mulier (Roma, nisi fallimur) imperabit, v. 194, sed tum quum divinæ gratiæ regnum incipiet, nempe post impios (id est, Antichristi socios) a juvene quodam (id est, ab angelo, confer Apocal. cap. 20) in barathri puteum detrusos, v. 195-198.

Postea quum decima generatio occiderit (intellige, quum ex magna parte exhausta fuerit), v. 199, exsistet dominatio viduæ cujusdam mulieris, quæ mundo universo mala inferet, v. 200-202.

Sequuntur horrenda prodigia, cælum stellis orbum, terra procellis vastata, v. 203, sqq., dein resurrectio mortuorum (omnium jam, nisi fallimur, non justorum tantum), v. 205, et aurea (justorum videlicet) in terris renovatis felicitas, v. 206-212.

Hic rursus abrupto textu sensuque, reliqua desunt, superstitibus paucis tantum hemistichiis, in quibus agi videtur de ultima rerum universarum conversione ac de supremo judicio.

Hæc autem omnia attentius relegenti patebit primum, quod diximus, nihil esse commune inter hanc hujus libri partem et alteram statim sequentem. Nam in secunda, post acrostichidem de judicio supremo, sermo omnis est de Christi in terris commoratione, de vera religione ac de falsorum numinum vanitate; nihil de Romanis, nihil de profanis rebus. Hic autem pæne omnia de Romanis et adversus Romanos, quod quidem poeta ipse præmonuerat, v. 9:

Πέμπομαι εἰς Ἰταλῶν κλεινὴν βασιλείαν ἄθεσμον,

totumque carmen hoc unum propositum habet ut Romani imperii finis prænuntietur, Antichristi nempe adventum consecuturus. Sed adventus ille prævius erit judicio supremo; idque non semel in ipso carmine declaratur; et ex illis paucis atque mutilis in fine hemistichiis conjici potest latere ibi in lacuna supremi judicii descriptionem: quanquam minime credimus transitum inde fieri potuisse ad ejusdem libri partem § 2, quæ longe alio ingenio videtur esse scripta.

Quippe vix nobis quisquam persuadeat, Sibyllistam, qui, metune an consilio an alia de causa, nusquam aperte in priore parte religionem suam professus erat, repente in altera palam Christianum esse factum, ac de Christi vita et miraculis et passione, soluto jam omni

metu ruptisque frenis exspatiatum esse. Hinc nobis elucet, quod diximus, diversos diversorum auctorum duos illos esse fetus. Velimus ergo, post lacunam quæ est in versibus 213, sqq., priorem libri octavi partem seu potius octavum librum claudi, ut novus liber, nempe ordine nonus, incipiat ab acrostichide, v. 217.

Nunc vero prioris hujus carminis, si a sequentibus separetur, ætas haud ægre patet, scripti nempe sub Antonino Pio, quum recens adhuc esset Hadriani memoria, recensque luctus, v. 59, sqq.; nec tamen statim post ejus mortem : nam et Antoninus senex vocatur, πρέσβυς ἐών, (qui vix ita vocari poterat, annos quippe natus vix LIV, tum quum ad imperium evectus est), et idem diu regnaturus prædicitur, ibidem, v. 68 :

Εἷς μὲν, πρέσβυς ἐών, σκήπτρων ἐπὶ πουλὺ κρατήσει,

unde colligas ipso jam aliquamdiu sceptris potito hæc esse scripta. Præterea tres Antonini simul imperaturi canuntur, τρεῖς ἄρξουσι, v. 65, quod Nostro in mentem venire non potuit, priusquam L. Verus Cæsar ad consulatum evectus fuisset, anno post Christum 154, Antonini Pii decimo sexto; quem annum aut unum e proxime sequentibus, scilicet 155 aut 156, libenter huic carmini assignaverimus. Atque illo fere tempore divus Justinus Apologiam suam priorem tribus principibus inscribebat : Αὐτοκράτορι Τίτῳ Αἰλίῳ Ἀδριανῷ Ἀντωνίνῳ Εὐσεβεῖ Σεβαστῷ, Καίσαρι Οὐηρισσίμῳ υἱῷ Φιλοσόφῳ, καὶ Λουκίῳ Φιλοσόφῳ Καίσαρος φύσει υἱῷ καὶ Εὐσεβοῦς εἰσποιητῷ (confer de illo triplici in speciem principatu Guill. Dindorfium ad Aristid., t. III, pag. LVI, sq.); itaque nihil mirum, si partem hanc octavi libri videtur ignorasse sanctus Pater, ad quam nullo suorum operum loco respexit.

Certe ante Pii mortem hæc scripta esse necesse est, quoniam dicitur ipse multas opes, multas pecunias domi esse inclusurus, quas veniente Antichristo effundat. Atque hic omnino notandum est, quod fusius in Excursu VI demonstrabitur, vulgo recepta opinione post tres Antoninos exspectatum fuisse finem rerum, quod apertissime declaratur in illo ipso supra citato loco, v. 65 :

Τὸν μέτα τρεῖς ἄρξουσι πανύστατον ἦμαρ ἔχοντες,

et passim in reliquis, v. 73, sqq.; 91, sqq.; 131, sq.; 137, sq.

Id quidem ita eventurum credebant, ut prius Romana res concideret per Antichristum Neronem ex Asia rediturum, sicut dictum est libro IV, v. 134, sqq., et sæpius in hoc libro repetitur, v. 70, sqq.; 88, sqq.; 145, sqq.

Nullus vero Sibyllinus liber apertius de ea re vaticinatur quam hic noster, quum et numerum ipsum imperatorum designet, v. 65, 131, 138, et annum ipsum quo Roma peritura sit, v. 148, sqq., an-

num, ut diximus, CMXLVIII, quem ipsæ literæ nominis 'Ρώμη in unam summam collatæ conficiunt. Quæ supputatio fortasse cabbalisticum quiddam et judaïcum spirare videretur, nisi paribus exemplis libri I, v. 144, sqq., 338, sqq., pateret non minus hunc morem Christianis quam Judæis tunc temporis placuisse, firmatum ipsius Apocalypseos exemplo, cap. 13, v. 18.

Notandum etiam in talium rerum prædictione omnem consistere carminis hujus materiam, ut poeta vix decem versibus, 161-169, in diversa vaticinia erumpat, eaque desumpta pleraque e libro quarto, quem ideo non dubie habuit ante oculos, sicut etiam acrostichidem libri VIII, § 2, unde illi sunt decerpti versus, 82, sq.:

Αὐτὸς παντοκράτωρ ὅταν ἐλθὼν βήμασι κρίνῃ
Ζώντων καὶ νεκύων ψυχὰς καὶ κόσμον ἅπαντα.

Quod vero ad regem attinet feliciter postea regnaturum et novæ regiæ stirpis auctorem futurum, v. 133-136, interpolatos esse diximus hos versus, idque ipsa luce lucidius est. Qui enim tam longa tamque felix posteritas, uti voluit nuperrimus editor Friedliebius, Introd. p. LII, Antoninis promitteretur, post quos futura imperii Romani pernicies toto carmine prædicitur, nec multum moratura, quippe uti modo dicebamus in certum et fatalem annum casura, post ipsos Urbis natales CMXLVIII, ab Antonini Pii initiis fere LVII. Antoninis ergo, mox cum imperio perituris, et præterea religione paganis nostræque religionis inimicis, id spei proponi non potuit. Quod nisi Antoninis, quibus demum aliis aut qua specie? Et quid tum Antichristus? quid cetera quæ in hoc carmine tanquam certa et proxima canuntur? Fuisse ergo interpolatos necesse est hos versus sub aliquo Christiano imperatore, ac nisi fallimur, sub initia Constantini Magni, non tam fortasse adulandi causa, quam ne Sibylla nimis aperte in falso deprehenderetur; quippe amoto jam, ut videbatur, malorum toties prædictorum metu, ac renascente cum veri Numinis cultu mira quadam, uti sperabatur, per omnes terras felicitate.

Quod autem hactenus nulli dubitavimus, poetam nostrum, etsi de sua religione caute reticentem, Christianis, non Judæis accensere, satis id evincit non modo frequens Antichristi prædictio, sed præsertim totus ille locus in fine de judicio Dei, v. 199, sqq.; cui insuper addi velimus continuam pæne Apocalypseos imitationem. Inde enim est draco ille prædictus, v. 88, sqq. (confer Apocal., c. 12, v. 3, sqq.); et de musicis organis in urbe quondam festiva silentibus, v. 114, sqq. (Apocal., cap. 18, v. 22); et præcipue de Antichristo ejusque sociis in barathrum conjectis ac putei operculo inclusis, v. 196, sqq. (Apocal., cap. 20, v. 3). Imo quæcumque de Romæ exci-

dio canuntur, et ipsam illam prædictionem de Mulieris imperio, v. 200, sqq., ex eodem divinæ Apocalypseos fonte manasse ostendemus in Exc. VI.

Christianus ergo Noster: an vero ex iis qui judaïzantes vocari solent? Suspicamur id magis quam certo scimus: semel enim apud ipsum mentio fit Hebræorum, quum Antichristus Nero, v. 141, Ἑβραίων ἐχθρὸς vel ὄλεθρος vocatur: sic enim legendum conjicimus, non, ut vulgo, Ἑβραίων ἔθνος. Ex dubia autem lectione nihil certi erui potest. Magis nobis eo nomine suspectus est, quod e christiana religione vix aliud sumpsisse videatur quam Antichristi et Messiæ et judicii exspectationem. Fuerit ergo, ut multi Sibyllistarum, Judæus ad nostra sacra conversus et aliquid de origine sua retinens. Ceterum nihil a fide dissonum in ejus carmine deprehendimus, nisi quod millenarium ad sensum, si recte ejus mentem assequimur, duplicem resurrectionem, justorumque terrestre regnum supremo judicio prævium videtur agnovisse, qua de re plura nos in Exc. VI.

Et nunc cognita hominis ætate ac religione, quid de patria seu domicilio dicemus? Rursus conjectura, sed pæne gratuita, divinamus fuisse illum Alexandrinum, non alia nempe de causa quam ob comptum satis et elegans dicendi genus, cui forsitan argumento non multum immorari licet.

Sit igitur finis dicendi de prima libri octavi parte; et jam ad alium coævum pæne librum, nec multum stylo differentem, sed doctrina apertius heterodoxum, transitus fiat.

CAP. VII. *De libro quinto.*

Hujus initio libri Sibylla (hinc agnoscenda, quod infra, v. 52, feminino genere de se loquatur), vaticinium nuntiat se facturam de luctuosis Latinorum temporibus, v. 1:

Ἀλλ' ἄγε μοι στονόεντα χρόνον κλεινῶν τε Λατίνων,

et palam illa tempora designat: nempe post Ægypti reges, post Alexandri Macedoniæque regnum, surget nova gens ex Assaraci sanguine; unde, post duos lupæ alumnos, aliosque mavortios reges, primus imperium capesset, « cui vicenaria summa nominis aut denaria est, » id est, Julius Cæsar, quem duæ pariter literæ K et I græce demonstrant; et sic deinceps ejus successores primis nominum literis indicantur, Romani nempe imperatores numero quindecim, a Julio Cæsare ad tres usque post Hadrianum regnaturos (Antoninos scilicet),

de quibus lib. VIII, v. 65, sqq., idem fere canebatur quod hic, v. 51 :

Τρεῖς ἄρξουσιν· ὁ δὲ τρίτατος σφῶν ὀψὲ κρατήσει.

Statim vates angi se dicit et torqueri, quod, Isidis soror, funestos (Ægypto videlicet) cantus edere cogatur, v. 52, sq. Deflet inde, v. 54-72, templum Isidis eversum, Nilum supra solitum exæstuantem, Memphim eversam, ideoque, inquit, eversam, « quod in natos meos « a Deo unctos et sacratos immaniter debacchata sit, » v. 68 :

Ἀνθ' ὧν ἐξεμάνης ἐς ἐμοὺς παῖδας θεοχρίστους.

Hæc de Ægypto, cujus deinde idololatria vehementer increpatur, v. 73-85. Itaque complures ejus urbes, nomine quæque suo designatæ, et Alexandria ipsa, misere interituræ canuntur, v. 86-92. Quippe vir quidam violentus Ægypto perniciem afferet e Perside, ubi nunc latet, mox rediturus (Nero scilicet Antichristus), v. 93-109.

Postea similiter complorantur, quippe Euphratis amnis diluvio perituri, Babylonii, Persæ, et quis credat? Iberi et Massagetæ, 114-116.

Tota Asia igne flagrabit usque ad remotas insulas, v. 117.

Inde recensentur urbes quædam vel gentes Asiaticæ, diversa mala passuræ, v. 118-130. Postea Tauridis incolæ, et Lapithæ, et Thessali, et, quantum e mutilo versu colligi licet, pars etiam Galliæ Cisalpinæ quam Eridanus alluit, v. 131-135.

Tum vates Græciam miseratur, quam scilicet rex invadet impius (Nero iterum Antichristus) genti Latinæ perniciem afferens ob exstinctum Dei populum, incensam dirutamque sanctam ædem, v. 136-153. Ubi et Judæos obiter laudat Sibylla, v. 150, « quos, inquit, « olim merito celebravi», ὅσους ὕμνησα δικαίως (sic enim legendum, non ὕμνησε), respiciens ad lib. III, v. 218, sqq., 573, sqq., uti olim in notis ad h. l. monuimus.

Quartum vero post annum, ἐκ τετράτου ἔτεος, (ubi malunt alii legere ἐκ τακτοῦ, stato anno) sidus ingens de cælo lapsum Romam et Italiam incendet, v. 154-160, quam occasionem rapit poeta rursus in Romanos invehendi, v. 161-177.

Redit ad Ægyptum aut vicinas gentes, multaque dira vaticinatur in Memphim, Barcam, Theben, Syenen, Tentyrim, Pentapolim, Libyam, Cyrenen, v. 178-198.

Britanni et Galli, Oceano irrumpente, vastabuntur; Ravenna etiam (Galliæ videlicet urbibus adjuncta) misere multabitur, quod Sidonius quidam rex agmen Gallicanum e Phœnice adduxerit (Vespasianus e Syria bellum in Judæam cum legione Gallica inferens?), v. 199-204.

Indos et Æthiopas delebit astrorum conflictus, unde totius cæli incendium, v. 205-212.

Gemet Corinthus, tum quum redibit Isthmi perfossor (Nero Anti-

christus), qui primum tria capita (Antoninorum) exscindet, simul cædem et terrorem toto sparget orbe terrarum, v. 213-226. Hic denuo Noster in Romam invehitur, v. 227-245.

Sed quum Persica tellus a bello respiraverit, tum Judæa gens resurget, non secura modo, sed et amplificata, v. 246-254. Quippe vir quidam e cælo veniet (Messias); is simul et Moses erit, qui in ligno palmas extendit, et Josue, qui solem stare jussit, v. 255-258. Multis hinc describitur futura Judæorum felicitas, v. 259-284.

At rursus malæ prædictiones incipiunt adversus complures Asiæ Minoris urbes gentesque (quibus addi forsitan mireris Corcyræ nomen), v. 285-326.

Orat Sibylla Deum, ut Judææ parcat, v. 327-331.

Alia quædam in varias gentes vaticinia spargit, v. 332-341, et Italiæ præsertim malum minatur, v. 342, sq., tum, inquit, quum Deus, exstinctis astrorum facibus, supremam gentibus portendet ultionem, paratamque idololatriæ pœnam, 344-355, unde justi ad servandum veri Dei cultum invitantur, v. 356-359.

Rursus prædicitur virorum pessimus (Nero Antichristus) bellis et cædibus totum orbem vastaturus, qui et prælio in Macedonia commisso, victor evadet, regique seu regibus (Antoninis?) supremam perniciem afferet, v. 360-373.

Hinc omnia mala per orbem terrarum grassabuntur, v. 374-379, donec, bellis compositis, populus sapiens (Judæa gens) pace et felicitate fruatur, v. 380-384.

Rursus in Romam convicia et imprecationes, v. 385-393 : qua in urbe sacer Vestæ focus exstinguetur, tum quum ædes Deo sacra rursus in flammas conciderit, v. 394, sqq. Hinc ipsius templi (Hierosolymitani) laus canitur, v. 399, sqq., et simul Hebrææ gentis, v. 402-406, cujus perditor (Nero), statim post terram sanctam violatam percussus à Deo, documentum ceteris præbere debuerat, v. 407-412.

Venit enim de cælo missus a Deo vir quidam (Messias), deletisque Judæorum hostibus, urbem sanctam reparavit, v. 413-424, quam omnes gentes admiratione et cultu prosequentur, v. 425-432.

Sequitur imprecatio in Babylonem Parthorum, v. 433-445.

Inde prædicitur magna terrarum commotio, qua maria siccata, terræ undis coopertæ, multæ urbes et nationes, inque iis demum Cyprus et Phœnice, sævis calamitatibus opprimentur, v. 446-456.

Quinta autem generatione postquam Ægyptus a malis (id est, ab Antiochi vastatione) conquieverit, quum regum impuri fient concubitus (id nos de Cleopatra intelligimus), bellum in Ægypto et Macedonia et Asia et Africa desæviet (bellum, ut opinamur, civile inter

Cæsarem et Pompeium, deinde inter alteros triumviros), v. 457-462.

Post hæc barbarorum incursio prædicitur in Asiam et Thracen, v. 463, sqq., multaque inde per orbem mala, v. 467-482.

Ægypti templa diruentur, v. 483-490, pro quibus surget ibi templum Dei sancti, ad quod Ægyptii (nempe ad Deum conversi), simul et Judæi victimas adducent, v. 491-502.

Sed tandem, deleta ab Æthiopibus illa æde, rursus exardescet ira Dei, nullo jam misericordiæ relicto loco, v. 503-510: et tum astrorum in cælo pugna describitur, v. 511, sqq., unde terrarum incendium et vacui cæli solitudo, v. 530:

Ἧψαν γαῖαν ἅπασαν, ἔμεινε δ' ἀνάστερος αἰθήρ.

Est igitur totius libri summa, sive unum per omnes carminis partes diffusum argumentum, proxima imperii Romani ruina, veniente post Antoninos Antichristo cum multis orbis terrarum calamitatibus, donec veniente Messia civitas Judæa restituatur, gentes vero (saltem Ægyptii) ad sanam religionem convertantur, exstructa in Ægypto veri Numinis æde, qua demum eversa, finis erit omnium rerum.

Fuerunt quidem qui negarent versus primos LI, in quibus Romanorum imperatorum historia detexitur, ab eadem, qua cetera, manu prodiisse; quod tamen nullam patitur controversiam. Nam exordium istis versibus præmissum, v. 1-9, multo sane longius esset quam pro exigua carminis sic amputati mensura. Deinde nimis abrupte desineret in versu 51 vaticinium quasi abortivum; contra sequens pars libri a versu 52 exordio careret. At vero transitus satis manifestus a prioribus ad sequentia paratur vel his solis de Hadriano versibus, 49, sqq.:

Καὶ ἐπὶ σοὶ, πανάριστε, πανέξοχε, κυανοχαῖτα,
Καὶ ἐπὶ σοῖσι κλάδοισι τάδ' ἔσσεται ἤματα πάντα·
Τρεῖς ἄρξουσιν· ὁ δὲ τρίτατος σφῶν ὀψὲ κρατήσει.

Quo enim respicerent illi dies extremi, τάδ' ἤματα πάντα, nisi ad ea quæ mox canentur de fine mundi atque ultimis calamitatibus? Ac revera totus quintus liber mera est prædictio malorum sub tribus Antoninis futurorum post factam ab Hadriano Judæorum persecutionem, unde voces istæ, καὶ ἐπὶ σοὶ καὶ ἐπὶ σοῖσι κλάδοισι.

Præterea inter utramque libri partem constat sibi omnino sententiarum atque ipsius orationis color. Nam illa de Nerone, v. 33, sq.:

Εἶτ' ἀνακάμψει,
Ἰσάζων Θεῷ αὐτόν· ἐλέγξει δ' οὔ μιν ἐόντα,

recurrent sæpe in sequentibus amplificata, v. 93, sqq.; 136, sqq.; 213, sqq. Deinde illud de Vespasiano, v. 36:

Εἶτά τις εὐσεβέων ὀλετὴρ ἥξει μέγας ἀνδρῶν,

nonne recte quadrat cum Judæorum crebris in hoc libro laudibus, eorumque assidua comploratione, v. 149, sq.; 159, sq.; 201, sqq., 225, sq.; 237, sqq., etc.

At, dicet, aliquis in priore parte, v. 48, citatur cum laude Hadrianus, Judæorum hostis infensissimus :

Ἔσται καὶ πανάριστος ἀνὴρ καὶ πάντα νοήσει.

Sane laudantur hoc versu Hadriani fortitudo et prudentia, quas virtutes illi principi nemo sanus inviderit, ne Judæus quidem aut Sibyllista, unde lib. VIII, § 1, exitium Romæ ab ejus morte ducebatur :

Αἴλινος ἔκτοτε καιρὸς, ὅτ' αἴλινος αὐτὸς ὀλέσσει.

Sed aliud est victoris etiam acerbissimi virtutem aliquam agnoscere, aliud ejus crudelitati ignoscere aut memoriæ favere, quod nusquam videmus a Nostro factum. Nec erat cur pejus de Hadriano sentiret quam de ipso Antichristo, quem simili laude ornabit infra, v. 365 :

Πάντων τ' ἀνθρώπων φρονιμώτερα πάντα νοήσει.

Maneat igitur primorum hujus libri versuum cum sequentibus apta connexio. Verum et inter reliquas hujus libri partes facile tenor unus agnoscitur. Nam sententiæ modo eædem, modo consimiles, per totum ubique carmen occurrunt, ut de Judæorum laudibus, de Nerone Antichristo, de Ægypti falsis diis, etc. Etiam astronomicæ scientiæ quædam non semel proditur affectatio, v. 206, sqq., 360, 476, sq., 511, sqq. Color ipse orationis idem est, et dicendi formulæ quædam usque ad nauseam recurrunt, ut ὥστε βοῆσαι, v. 62; ὡς κλαῦσαι, v. 127; ὥστε νοῆσαι, v. 65 et 350; ὥστε νοεῖν, v. 474; ἄχρι νοῆσαι, v. 275. Totus igitur liber a capite ad calcem palam unum agnoscit auctorem.

Nec dubium est fuisse poetam origine Judæum, adeo omnia ad suæ patriæ laudem refert, cujus desiderium totus spirat. An vero Christianus etiam, dubitaremus, nisi uno loco, eoque valde notabili, Messiæ christiani mentionem faceret, v. 255-258 :

Εἷς δέ τις ἔσσεται αὖθις ἀπ' αἰθέρος ἔξοχος ἀνὴρ,
[Ὃς] παλάμας ἥπλωσεν ἐπὶ ξύλου πολυκάρπου,
Ἑβραίων [θ'] ὁ ἄριστος, ὃς ἠέλιόν ποτε στῆσε,
Φωνήσας ῥήσει τε καλῇ καὶ χείλεσιν ἁγνοῖς.

Nam, licet textus incertus sit et syntaxis ambigua (confer ibi varias lectiones), apparet utique comparationem fieri inter Messiam et Mosem, « qui in ligno manus extendit, » (id sane cum respectu ad sanctam Christi crucem); ac, modo nostra lectio sana sit, inter Messiam quoque ac Josuam, propter ejus nominis cum Jesu similitudinem. Adde quod initio videtur adverbium αὖθις secundum Messiæ adventum designare, atque ideo priorem innuere, quem de Christo Jesu

accipi necesse est. Adde etiam illud ligni epitheton πολυκάρπου, sicut fere in hymnis Ecclesiæ, quibus Crux sancta canitur, « fruge, flore « fertilis. » Totus denique christianus est locus. At etiam in reliquis hujus libri, aliqua, licet rara, nostræ religionis vestigia reperias, ut quum, v. 66, jubentur Ægyptii formidare venientem Deum in nubibus,

Θεὸν ἄμβροτον ἐν νεφέεσσι,

pæne ut apud Matth., cap. 24, v. 30; c. 26, v. 64 : Ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ, et alias sæpe in N. T. Quanquam et apud Danielem idem fere legitur, cap. 7, v. 13 : Ἰδοὺ μετὰ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ ὡς υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. Confer et Psalm. 67, v. 35 : Ἡ δύναμις αὐτοῦ ἐν ταῖς νεφέλαις, et alia similia. Quos vero Noster, v. 68, θεοχρίστους vocat, ii possunt esse vel Christiani vel Judæi, ex antiquo hebraïcæ linguæ usu, quem olim ad illum versum annotavimus.

Certiora Apocalypticæ lectionis indicia apud Nostrum deprehenduntur, nempe sidus illud de cælo casurum, v. 154, sqq. (confer Apocal., cap. 8, v. 10), et potentia Antichristo data, v. 219, sq. (Apocal., cap. 13, v. 13, sqq.), et nomen Babylonis Romæ per metaphoram inditum v. 142, 158 (Apocal. cap. 14, v. 8, etc.). Hæc sunt in libro nostro christiana vel christianis similia.

Contra plurima sunt quæ a christiana mente prorsus videantur abhorrere, ut illæ Judæorum nimiæ laudes, et veteris templi assidua comploratio, et quod Messiæ regnum in ipsa Judæa constituatur atque in ipsis Hierosolymis præter modum amplificatis, ἄχρι καὶ Ἰόπης, v. 250, et quod in illud regnum Judæi tantum admittantur qui tum superstites fuerint, λαὸς σοφὸς ὅσπερ ἐλείφθη, v. 383, et quod Messias in urbe sancta novum templum erigat non figuratum, sed corporeum, ἔνσαρκον, v. 422, et quod ibi victimis Deus placetur, v. 267 :

Παντοίαις θυσίαισι καὶ εὐχαῖς ἐνθεοτίμοις.

Illud quoque offendit, quod aliud Dei veri templum, Hierosolymitano simile, in Ægypto erectum iri præsagiatur, ubi sint victimæ pariter adducendæ, v. 501 :

Κεῖς αὐτὸν θυσίας οἴσει λαὸς θεότευκτος.

Fuit enim illa Judæorum Alexandrinorum vetus traditio, ex Isaiæ capite 19, Deum aliquando sacrificiis non in Judæa tantum, sed et in Ægypto cultum iri : quod et Oniam olim impulerat ad templum suum Heliopolitanum, Ptolemæorum auspiciis et impensis ædificandum ; illudque templum stetisse narrat Josephus usque ad tempora Vespasiani, cujus demum jussu eversum fuit (confer Antiq. XIII, 6, et de Bell. Jud. VII, 36). Sed vel inde patet non illam ædem, quod plerique crediderunt, innui nunc a Sibyllista, sed aliam consimilem aliquando in iisdem tractibus exsurrecturam, et sub rerum finem

Æthiopum irruptione destruendam. Minime tamen dubium est quin veteris Oniæ templi memoria Nostro grata, et alterius consimilis ædis exspectatio, et victimarum ibi offerendarum mentio, judaïcos sensus, non christianos redoleant.

Fuit ergo Noster interdum Christiano propior, at sæpius Judæo. Quid inde conjicias? nisi fuisse illum origine et disciplina Judæum, leviter tamen nostris opinionibus intinctum, id est, vel in primo tantum Ecclesiæ limine parumper commoratum, vel a nostris sacris ad sua reversum? Ac ne quid verum dissimulemus, judaïcam non minus indolem quam doctrinam in hoc libro deprehendere nobis videmur: cæcam nempe veteris traditionis seu veræ seu falsæ pertinaciam; et erga patriam quidem ac patrias religiones invictam fidem, plus vero fanatici affectus quam sinceræ pietatis; nihil quod, ut in ceteris libris, animi vere christiani sanctitatem spiret. Denique videtur hic liber nihil in se habere quo pia fraus, sicut in ceteris libris, excusetur; sed vel odii adversus Romanos explendi causa, vel quod turpius est et quod magis remur, scriptus est lucri cupidine et consilio quodam mercatorio, si possint istis Judæorum laudibus, istisque adversus Romanos conviciis, Judæorum ipsorum aut Christianorum judaïzantium mentes allici atque ad emendum librum induci.

De hominis domicilio non est quod quis dubitet. Nam pleraque in hoc libro, quæ non ad Judæam aut ad Romanos, ad Ægyptum pertinent; imo, v. 457, sq., generationibus Ægyptiorum regum et ultimo Cleopatræ regno tempora definiuntur. Vixit ergo in Ægypto, et quod statim quivis conjiciat, Alexandriæ.

De tempore quo vixit, testis ipse sit. Nam sub Antoninis scribere se docet, dum sub Hadriani posteris extrema omnia fore prædicit:

Καὶ ἐπὶ σοῖσι κλάδοισι τάδ' ἔσσεται ἤματα πάντα,

plane ut libro VIII, v. 65:

Τὸν μέτα τρεῖς ἄρξουσι πανύστατον ἦμαρ ἔχοντες.

Quem librum habuisse videtur ob oculos, quoniam statim iisdem pæne syllabis addit:

Τρεῖς ἄρξουσιν.

Et de primo quidem principum eorum aut de secundo nihil asserit; tertium autem, quem, ut pote natu minimum, L. Verum fore credebat, sero dominaturum prædicit, v. 51;

Τρεῖς ἄρξουσιν, ὁ δὲ τρίτατος σφῶν ὀψὲ κρατήσει.

Tres autem illos duraturos innuit usque ad Antichristi tempora, si bene interpretamur locum difficilem, nobis vero minime dubium, de tribus capitibus ab Antichristo excisis, v. 221, sqq.:

Πρῶτα μὲν ἐκ τρισσῶν κεφαλῶν σὺν πληγάδι ῥίζαν

Σπασσάμενος μεγάλως, ἑτέροις δώσειε πάσασθαι,
Ὥστε φαγεῖν σάρκας γονέων βασιλῆας ἀθέσμους.

Quo de loco non est hic multis agendum, quia rursus commodiusque discutietur infra, cap. sq.

Scripsit igitur Noster tribus imperantibus Antoninis: ergo, uti jam diximus, post consulatum primum L. Veri et ante Pii mortem; ergo inter annos 154 et 161.

Sed quidam differendum putaverunt hujus libri ortum annis fere triginta, propter illud de exstincto igne Vestæ, v. 394, sqq.:

Οὐκέτι γὰρ παρὰ σεῖο τὸ τῆς φιλοθρέμμονος ὕλης
Παρθενικαὶ κοῦραι πῦρ ἔνθεον εὑρήσουσιν.
Ἔσβεσται παρὰ σεῖο πάλαι πεποθημένος οἶκος,
Ἡνίκα δεύτερον εἶδον ἐγὼ ῥιπτούμενον οἶκον,
Οἶκον ἀεὶ θάλλοντα, κ. τ. λ.

Quod isti pertinere arbitrati sunt ad incendium templi Vestæ, sub Commodo factum, teste Herodiano, I, § 45, anno fere post Chr. 191. Item istud, v. 305, sq.:

Ἥξει γὰρ καὶ Σμύρνα ἑὸν κλαίουσα Σάμαρνον
Εἰς Ἐφέσοιο πύλας, κ. τ. λ.,

quidam ante nos, et nos ipsi aliquando referre volebamus ad ingentem Smyrnæ calamitatem anni post Chr. 178, de qua multa apud Aristidem, Serm. XX, sqq. et Serm. sacr. III, ubi hæc inter alia: Ἐφέσιοι καὶ Σμυρναῖοι πρὸς ἀλλήλους ἔθεον θορυβούμενοι: confer notata ad h. l.

Sed prior locus de templo Vestæ pertinet ad Neronis tempus, quo ædes illa cum reliqua urbe conflagravit, anno 64; et quo Noster ignem quoque Vestæ exstinctum canit, nihil tale tradente Tacito, Ann. XV, § 41, sed ita jubente Sibyllistæ adversus Romanos odio, ut illud Romæ fatale omen conjungeretur cum templi Hierosolymitani incendio. Illum enim δεύτερον ῥιπτούμενον οἶκον intellige de Judæorum templo iterum post Assyrios a Romanis eversum, quam cladem Sibylla iterum se oculis vidisse ait, quippe πολυχρονιωτάτη. Quod si de incendio Commodi temporibus facto nunc ageretur, commune nihil sane hoc haberet cum incendio Hierosolymitano annis anteriore cxx, ac ne cum templi quidem ruderibus ab Adriano subversis ante annos fere LVI. Porro qui de Commodo hæc interpretantur, necesse est de illo principe scriptum putent illud quoque supra, v. 51:

Ὁ δὲ τρίτατος σφῶν ὀψὲ κρατήσει,

ut jam tres Antonini, qui simul regnaturi canebantur, τρεῖς ἄρξουσιν, non simul regnasse, sed sibi successisse censeantur, mutata verborum sententia, et omisso L. Veri principatu. Esto tamen: at sic fatemur minime jam a nobis capi posse illos supra memoratos versus,

221, sqq., de tribus capitibus ab Antichristo excisis. Præterea si tam sero scriptus esset hic liber, non adeo refertus esset calamitatis Judaïcæ, tanquam adhuc recentis, memoria; nec seriem imperatorum Romanorum in Hadriano clausisset Noster, neque de ejus successoribus, vix obiter indicatis, altum ceteroqui silentium egisset.

De Smyrna Ephesi opem invocante unum dicemus, nec tum primum nec semel antea concussas fuisse Asiæ Minoris urbes; unde fortasse traditio manserat aliqua de Ephesiis in tali clade Smyrnæis opem ferentibus, quod de tam vicinis ac præterea cognatis urbibus facile credi potest. Nulla igitur causa est cur illam, quam multis argumentis evicimus, opinionem deseramus, aut cur Nostrum serius vixisse credamus quam eo, quo diximus, tempore, sub Antonini Pii ultimos annos.

Verum idem fere atque easdem prope ob causas modo statueramus de libri octavi parte prima. Num igitur unius erunt auctoris? minime. Nam Sibyllista libri octavi Christianus omnino est; hic magnam partem Judæus ac vix alicubi Christianus. Ille pius est vir, egregieque moratus; hic odii vel lucri causa scripsisse videtur. Ille cujus esset patriæ, non prodidit; de Ægypto certe οὐδὲ γρύ: contra apud hunc crebra fit Ægypti mentio, ut Alexandrinum dicere nulli dubitaverimus. Diversi ergo fuerunt scriptores, nec tamen sibi prorsus ignoti. Nam præter illud commune hemistichium, τρεῖς ἄρξουσιν, etiam de Antichristo ac de futura imperii Romani ruina, eadem sunt utrinque vaticinia, idem pæne totius argumenti tenor, quo magis pateat id quod supra suspicati sumus, alteri scribenti fuisse alterum ob oculos. Uter vero posterior? Is fortasse, qui L. Veri, ut sero dominaturi, paulo apertius meminit. Præterea plagii fraudisque magis suspectus est qui minus christianus fuit, auctor nempe libri V; præsertim quum astrologus fuisse videatur (confer v. 205, sqq.; 511, sqq.), divinus itaque et hariolus, atque ex iis unus de quibus Juvenalis:

Qualiacumque voles Judæi somnia vendunt.

Hunc ergo suspicamur, hominem fortasse famelicum, quum alterius Sibyllistæ librum magno favore a Christianis excipi videret, sensisse quæ illic subesset materia quæstus faciendi; atque hinc ortum esse quintum librum, vulgi studiis et opinionibus accommodatum, quod quidem ejusmodi mercibus plurimum addit pretii. Iisdem mox causis inducemur, ut alterius ipsum fraudis suspectum faciamus, interpolatæ nempe libro tertio mediæ partis: ut enim quæstus ad quæstum, ita fraus invitat ad fraudem.

Scimus alicui displiciturum, commune quidquam tali homini cum Christianis fuisse. Sed meminerit fuisse illud tempus quum e syna-

gogis plerumque Christiani allegebantur, quorum multos credibile est, limen nostræ religionis ingressos, non ad interiora penetrasse; vel antiquarum suarum opinionum profanam aliquam mixturam cum nostris dogmatibus fecisse; vel ab hæreticis, Ebionitis præcipue vel Gnosticis, transversos esse actos. Meminerit etiam in Ægypto atque Alexandriæ eam rem agi, ubi mira fuit omnium sacrorum atque sectarum confusio : ac, si vacabit, consulat Hadrianum ipsum de Alexandrinis ita scribentem ad Servianum consulem, apud Vopisc. in Saturnini vita : « Ægyptum, inquit, quam mihi laudabas, totam didici, « levem, pendulam, et ad omnia famæ momenta volitantem. Illi qui « Serapin colunt, Christiani sunt; et devoti sunt Serapi, qui se Christi « episcopos dicunt..... Civitas opulenta, dives, fecunda, in qua « nemo vivat otiosus. Alii vitrum conflant, ab aliis charta confici« tur, etc.; unus illis Deus est [quæstus nimirum, nisi nos fallimur, « non, ut plerique voluerunt, Serapis]; hunc Christiani, hunc Judæi, « hunc omnes venerantnr et gentes. »

—

CAP. VIII. *De libri tertii parte* § 3, *rursusque de libro V.*

Cur hanc libri tertii partem seorsim discutiendam reservaremus, et cur a secunda et quarta tam longe eam removeremus, causam attulimus, quod dubiam seu potius nullam cognationem haberet cum duabus utrinque sitis, et quod non modo recentior, sed prorsus diversa ab iis alienaque videretur. Cujus suspicionis ratio non una est; prima autem omnium, quod nullus ex hac parte versus afferatur, sive ab antiquis Ecclesiæ Patribus, sive ab ipso Lactantio tot e duabus hinc et inde partibus testimonia ultra satietatem adducente.

Itaque multum abest ut ipsam ætate tam venerabilem putemus quam ceteras duas. Sed prorsus erret, qui illam idcirco antiquam negaverit; antiqua est, nec certe sæculo III post Christum medio recentior, quoniam translatos ex ea versus quosdam in libris I et VII, qui circa illud tempus scripti sunt, et in libris XI-XIV, haud multo posterioribus, infra monstraturi sumus. Interim de ipsa ac de ejus ætate quid sit sentiendum eo diligentius inquiremus, quod nos in hac re a plerisque discrepare pigeat. Talis autem est carminis tenor :

Exordium breve præmittitur, v. 295, sqq., vix ab eo diversum quod, supra jam lectum in priore parte, v. 162, sqq., recurret in partis sequentis initio, v. 489, sqq. Quo in exordio dicit se Sibylla, quum a cantu fatidico respirare vellet, rursus a Deo jussam esse per gentes

et urbes vaticinari futuras hominum calamitates; eas vero in primis quæ Babyloni immineant ob ædem Dei violatam,

Ὅτι οἱ ναὸν μέγαν ἐξαλάπαξεν.

Statim invehitur diris imprecationibus in Babylonem Assyriæ, v. 303, sqq., quod sanguinem hominum justorum effuderit:

Καὶ τότε πλησθήσῃ ἀπὸ αἵματος, ὡς πάρος αὐτὴ
Ἐξέχεας ἀνδρῶν τ' ἀγαθῶν ἀνδρῶν τε δικαίων,
Ὧν ἔτι καὶ νῦν αἷμα βοᾷ, κ. τ. λ.

Inde mala non minora portendit Ægypto, v. 314, sqq., eamque dispersione et fame vastandam prædicit septima regum generatione,

Ἑβδομάτῃ γενεῇ βασιλήων,

id est, ut priore jam capite diximus, Ptolemæi Philometoris temporibus, ingruente Antiocho: sed obscurius est quod addit, v. 318, uno brevi, sed gravi hemistichio, tum desituram Ægyptum:

Καὶ τότε παύσῃ,

etsi attentius consideranti non ipsius Ægypti, sed malorum finis prædici videtur, uti infra docebimus.

Barbaris deinde regionibus Gog et Magog, v. 319, sqq., calamitatem præsagit, incertum quo crimine. Quas quidem gentes alibi quoque nominatas in hoc libro reperimus, nempe in quarta parte, v. 512, sed illic situ non designato; hic, contra geographorum omnium fidem, inter Æthiopas fluvios, Nilum nempe et Astaboram.

Sequitur brevis planctus in Libyam et terram et mare:

Αἶ αἶ σοι, Λιβύη· αἶ δὲ, θάλασσά τε καὶ γῆ,

et statim in populos occidentales longior imprecatio, v. 324, sqq.:

Θυγατέρες δυσμῶν, ὡς ἥξετε πικρὸν ἐς ἦμαρ, κ. τ. λ.,

multæque adversus eosdem minæ quod Dei templum discerpserint, ferreisque dentibus (ita poeta) commanducaverint:

Ἀνθ' ὧν Ἀθανάτοιο μέγαν διεδηλήσασθε
Οἶκον, ὀδοῦσι σιδηρείοις δ' ἐμασήσατε δεινῶς,

ubi notandum rursus de templo agi ac de ejus violatione, quæ ut modo Babyloni, ita nunc occidentalibus populis exprobratur.

Inde canitur arsurum in Occidente sidus comatum, populis quidem belli, famis et mortis, ducibus vero fugæ prænuntium, v. 334, sqq.

Tum variæ calamitates, non in Occidente tantum, sed in variis terrarum partibus: Tanais vel exhaustus vel aversus, v. 337, sqq.; urbes multæ tremoribus absorptæ quassatæve, quarum aliæ in Europa, in Asia aliæ, omnes circiter XXII nominatim enumerantur, v. 342, sqq., addita in fine post alias Alexandriæ atque Ægypti clade, v. 348, sq.

Post hæc, Roma dicitur Asiæ redditura quas eripuit opes, et ipsa

vicissim in summa paupertate servitura, v, 350, sqq. Ebria quippe, et mille procis distracta, sævas fortunæ vices patietur, v. 356, sqq.

Tum additur oraculum per alios quoque libros non semel rediturum, de Delo et Samo perituris, v. 363, sq.:

Ἔσται καὶ Σάμος ἄμμος, ἐσεῖται Δῆλος ἄδηλος,

adjecta Romæ ipsius ruina, v. 364:

Καὶ Ῥώμη ῥύμη,

et Smyrnæ, impune casuræ ducum suorum culpa, v. 365, sq.:

Σμύρνης δ' ὀλλυμένης, κ. τ. λ.

Mutatis subito fidibus, canit poeta florentem per omnes Asiæ Europæque gentes felicissimam pacem, v. 367, sqq., sed finem tum habituram, quum Macedonia gravem Asiæ cladem inferet, v. 381, quumque Europæ maximum ulcus incrudescet, v. 382, per invisam scilicet gentem, quæ falsam a Saturno vel Saturniis repetet originem, quum sit servis oriunda (sic poeta, v. 383, et nos de Romanis agi putamus, litigantibus de vero sensu interpretibus): quæ gens et olim Babylonem ipsam domitura dicitur, et terris omnibus imperatura, posteris tamen imperium non relictura, v. 385, sqq.

Sequitur obscurissimum vaticinium, v. 388, sqq., de rege quodam crudeli et impio in Asiam venturo (vel ex Asia; textus enim corruptus ambages facit; prior tamen lectio sola videtur ferenda, quum statim addatur, illo veniente, Asiam omnem servituram et sanguine inundaturam), v. 391, sq. Sed illi deinde regi ejusque filiis mutuæ cædes, obscure licet, prædicuntur, donec exstincta ejus sobole post decem cornua, id est, totidem generationes, aliud cornu, id est, alia generatio seu rex novus succrescat, v. 400. Ambigua omnia et propheticis involuta tenebris, in quibus ad veram poetæ mentem assequendam infra conjecturis enitendum erit.

Clarius est verbis, quanquam re incertum, illud quod sequitur de motu terræ in Phrygia Antandron urbem eversuro, v. 401, sqq.; qui motus Æneadis (Romanis videlicet) præsagium discordiæ civilis allaturus sit, v. 410, sqq.

Hinc procedit oraculum longe celeberrimum, jamque nobis tractatum in Exc. I et II, de Helena Trojam ventura in ejus urbis perniciem, v. 414, sqq., deque Homero mendacia scripturo, v. 419, sqq.

Adduntur commixtæ atque confusæ vaticinationes de urbibus aut insulis aut terris diversa mala passuris, v. 433-463.

Rursus, v. 464, sqq., Italiæ bella civilia portenduntur, atque inde futura pernicies.

Hinc alius ab Italia vir perniciosus erumpet, v. 470; sed quis ille, et quas res gesturus, non indicatur. Reliqua, jam a versu 471, rursus

vaticinia sunt brevia atque confusa, his similia quæ modo post versum 433 lecta erant, desinuntque in duarum urbium Sicyonis et Corinthi ultimam cladem, captarum nempe ab hostibus et cum magno civium ululatu tubarumque clangore pereuntium, v. 487 :

Καὶ σὺ, Κόρινθε,
Αὐλήσεις ἐπὶ πᾶσιν, ἴσον δὲ βοήσεται αὐλός.

Quo in versu pars etiam hæc media libri tertii clauditur.

Nunc si ad examen rerum, quæ in hac parte continentur, accedamus, ex iisque carminis auctorem cognoscere velimus, primum est illi loco insistendum quo poeta videtur ævum ipse suum prodere. Nam post multas calamitates Ægypto prædictas hæc addit, v. 317, sq. :

Σκορπισμὸς δέ τε καὶ θάνατος καὶ λιμὸς ἐφέξει,
Ἑβδομάτῃ γενεῇ βασιλήων,

id est : « Dispersio te et mors et fames occupabit septima regum ge-« neratione, » pæne ut in secunda parte scriptum erat, v. 191, sqq. :

Καὶ πᾶς δόλος ἔσσεται αὐτοῖς
Ἄχρι πρὸς ἑβδομάτην βασιληΐδα, ἧς βασιλεύσει,
Αἰγύπτου βασιλεὺς, ὃς ἀφ' Ἑλλήνων γένος ἕξει,

utque in quarta parte legitur, v. 608, sqq. :

Ὁππόταν Αἰγύπτου βασιλεὺς νέος ἕβδομον ἄρχῃ
Τῆς ἰδίης γαίης, ἀριθμούμενος ἐξ Ἑλλήνων
Ἀρχῆς, ἧς ἄρξουσι Μακηδόνες ἄσπετοι ἄνδρες.

Porro sicut in duabus ceteris partibus, ita in hac quoque septimus ille rex intelligendus est Ptolemæus Philometor; sed hic præcipue notandum quod additur in fine, v. 318 :

Καὶ τότε παύσῃ,

« et tunc, inquit, desines, Ægypte. » Quid desines? esse, an pati? Nos sine ulla dubitatione finem malorum, non finem Ægypti intelligimus. Quonam enim modo, si esse tum desiisset Ægyptus, alias deinde calamitates passura prædiceretur, v. 348, sq. :

Ἴσθι τότ', Αἰγύπτου ὀλοὸν γένος, ἐγγὺς ὀλέθρου,
Καὶ τότ' Ἀλεξανδρεῦσιν ἔτος τὸ παρελθὸν ἄμεινον.

Sed habemus interpretem hujus loci auctorem libri quinti Sibyllini, tum maxime notandum, quum ad designandam Cleopatræ ætatem ita scribit, lib. V, v. 457 :

Ἔσται δ' ἐν πέμπτῃ γενεῇ, ὅτ' ἐπαύσατ' ὄλεθρος
Αἰγύπτου,

« Fient, inquit, hæc generatione quinta postquam desierit Ægypti « pernicies. » Agnoscis idem verbum ἐπαύσατο de eadem re, quo minus dubites respectare se invicem ambo locos. Ac revera, quidnam, obsecramus, valeret istud, ὅτ' ἐπαύσατ' ὄλεθρος Αἰγύπτου, ad definiendum

Philometoris ævum nisi de Ægypto post ærumnas requiescente mentio antea facta esset? Quam mentionem in hoc tantum tertii libri loco factam invenimus, ut nusquam alio respici potuerit.

Etenim, si paulo diligentius attendas, in secunda et quarta parte mala ista Ægypto prædicebantur non tanquam finem habitura et in quietem ac pacem desitura, sed tanquam prævia magnæ rerum omnium conversioni : statim nempe post ea nuntiabatur Romanæ potentiæ exitus, v. 191, sqq., et idololatriæ saltem in Ægypto finis, v. 616, sqq. Quorum nihil accidisse sub Philometore constat. Videtur ergo hujus mediæ partis poeta, quisquis fuit, quum prophetiam eventu falsam videret, corrigere ipsam voluisse, interjecto simili quidem ac de eadem re, sed aliter desinente vaticinio, ut additis tribus illis voculis, καὶ τότε παύσῃ, imminuta Sibyllina fides qualitercumque restitueretur.

Atenim fortasse potuit reliquarum partium auctor ipse carmen suum interpolare, et falso vaticinio post eventum mederi, nempe posteaquam eventu deceptus fuisset, imo vero aliquanto post Antiochi mortem, quia incussum eo vivente terrorem etiam mortuo diu superfuisse notavimus supra, pag. 319. Esto : sed vix hoc excogitasset poeta carmine nondum emisso, quum facilius esset aliquid scripto detrahere quam tot intercalare versus : emisso autem, qui facilius poterat auctor ipse quam alius quivis medelam hujusmodi afferre? Utque hoc voluerit potueritque, at ne sic quidem omnia satisfaciunt, et videtur alius auctor quærendus aliquot saltem annis posterior.

Nam, ut modo diximus, multo crebrior in hac parte quam in ceteris duabus mentio fit Romanorum : aperte quidem, v. 350-362; v. 364; v. 410-414; v. 464-470; obliquius et obscurius, ita tamen ut vix alio respici posse infra demonstraturi simus, v. 324-333, 382-387, 388-400. Qui versus si omnes in unam summam colligantur, non pauciores sunt quam XLIX e ducentis, id est, singuli e quaternis. Porro, quamvis magna jam esset, regnante Philometore aut ejus fratre Physcone, fama et potentia Romanorum; ac licet de eorum vastationibus, quæ in Græcia præsertim et Macedonia factæ fuerant, nemo in Ægypto ignoraret, quas et in duabus ceteris partibus aperte commemorari vidimus; nondum tamen Romani tam sæpe Ægypti rebus intervenerant, ut Alexandrinus homo (talem fuisse nostrum poetam omnia declarant) prope unice de Romanis satageret. Adde quod etiamtum Romana potentia Ægyptiis plus profuerat quam obfuerat, ut, exempli causa, quum ipsorum minis coactus erat Antiochus a secunda expeditione invitus fremensque desistere. Et sub illa tempora ipsi Judæi adversus Syrorum regum tyrannidem auxilium Romano-

rum implorare cogebantur; confer Machab. lib. I, cap. 8. Itaque nulla idonea erat causa, cur Noster tot versus non de iis modo, sed adversus eos, saltem de futuris eorum infortuniis, conscriberet.

Hoc quoque notatum velimus, quam diversus de Romanis sermo fiat pro diversis hujus libri partibus. Nam in secunda et quarta parte externis adhuc et barbaris populis, tanquam recens cogniti, annumerantur, ut v. 597, sq.:

Οἷά τε Φοίνικες, Αἰγύπτιοι, ἠδὲ Λατῖνοι,
Ἑλλάς τ' εὐρύχορος, καὶ ἄλλων ἔθνεα πολλά,

et v. 520:

Ἕλλησι δ' ὁπόταν πολυβάρβαρον ἔθνος ἐπέλθῃ,

et v. 638, sq.:

Καὶ βάρβαρος ἀρχὴ
Ἑλλάδα πορθήσῃ πᾶσαν.

At in tertia parte Roma, sive Italia, tanquam jam in orbe dominans, sola fere videtur animo scribentis obversari. Præterea in ceteris partibus respublica Quiritium, libera et suis compos, a multiplici et dealbato consilio, id est, a senatu suo regitur, v. 175, sq.:

Αὐτὰρ ἔπειτ' ἄλλης βασιληΐδος ἔσσεται ἀρχὴ
Λευκὴ καὶ πολύκρανος.

In tertia autem parte de civilibus ubique bellis, de ambitione ducum, ac de divulsa inter æmulos summa potestate agitur, v. 356, sqq.:

Ὦ χλιδανὴ ζάχρυσε Λατινίδος ἔκγονε Ῥώμης;
Παρθένε, πολλάκι σοῖσι πολυμνήστοισι γάμοισιν
Οἰνωθεῖσα λάτρις νυμφεύσεαι οὐκ ἐνὶ κόσμῳ.

Et v. 412, sq.:

Αἰνεάδας γε διδοὺς αὐτόχθονας, ἐγγενὲς αἷμα,
Ἀλλὰ καὶ αὖθις ἕλωρ ἐπὶ ἀνθρώποισιν ἐρασταῖς.

Et v. 464, sqq.:

Ἰταλίη σοι δ' οὔτις ἄρης ἀλλότριος ἥξει,
Ἀλλ' ἐμφύλιον αἷμα, κ. τ. λ.

Non sane sic Machabæorum loco supra citato, ubi civilia Romæ instituta summopere laudantur. Nec tantum tribuemus Sibyllistæ, ut, Philometoris tempore, tanquam Polybius aliquis aut plusquam Polybius, bella civilia præsentire potuerit, quibus uno post sæculo rempublicam Romanam distrahi fatale erat. His omnibus inducimur, ut prope certo affirmemus non potuisse hæc a Nostro scribi ante Marii saltem ac Syllæ, vel Cæsaris ac Pompeii tempora.

Illud ipsum de Asiæ opibus avectis olim in Italiam rursusque in Asiam revehendis, v. 350-355, quod facile quidem capi posset sub extrema reipublicæ tempora primo ante Christum sæculo aut etiam

sub imperatoribus Romanis, ut lib. IV, v. 142, sqq.; contra, Philometoris temporibus minime accommodatum est, tum quum Roma semel adhuc ab Asiaticis pecunias exegerat, ab Antiocho nempe Magno post certamen ad Magnesiam commissum circa annum 190; neque erat tum, Philometore regnante, cur Ægyptus, modo a Syris immaniter vexata, multum Syriæ cladibus condoleret. Notandum præsertim Romanos illis temporibus nondum victoria sic abusos fuisse, ut Asiaticis ipsis, præter Syros solos, invisi fierent. Nam in illa terrarum parte, hactenus armis suis tentata magis quam oppressa, ne vestigium quidem fixum reliquerant. Maritimæ provinciæ, ad tempus occupatæ, bello confecto libertati suæ redditæ erant, vel quæ libertate antea non fruebantur, Eumenis regno accreverant; neque ulla pars Asiæ Romanis mancipata fuit ante annum 133, quo Pergameni regni hereditatem ex testamento adierunt. Unde igitur circa annum 170 illud de Asia manasset oraculum, nisi ab aliquo Syrorum regum adulatore, a qua sane suspicione immunis est Noster. Itaque vel hoc nobis argumento est, non potuisse ista scribi, nisi, quod paulo ante dicebamus, primo saltem ante Christum sæculo, dominantibus jam in Asia Romanis, Syllæ vel Luculli temporibus.

At ne hoc quidem satis est. Nam si hæc tertia pars a ceteris divellenda est et in ætatem posteriorem differenda, quidni potius ad imperii tempora transferatur, et ad illud secundum a Christo sæculum, quo scimus pleraque Sibyllinorum esse scripta? Porro multa nos in eam sententiam agunt. Nam in ipsis modo allatis e Sibylla locis quædam sunt omnino consideranda. Illud præcipue, v. 464:

Ἰταλίη, σοὶ δ' οὔτις ἄρης ἀλλότριος ἥξει,

tempus innuere nobis videtur quo Romana gens sola ac sine æmulis imperabat. Deinde illa nuptiarum metaphora, v. 357, sq.. πολυμνήστοισι γάμοισι νυμφεύσεαι, οὐχ ἐνὶ κόσμῳ, quod infra redibit, v. 413, ἐπὶ ἀνθρώποισιν ἐρασταῖς, et illud, v. 358, ancillæ nomen Romæ inditum, οἰνωθεῖσα λάτρις, melius videtur seriori ætati convenire, tum quum Roma dominos, non duces tantum, mutabat.

Age nunc locum alium, nondum ad examen vocatum, perpendamus, ex eadem tertia parte, v. 324, sqq.:

Θυγατέρες δυσμῶν, ὡς ἥξετε πικρὸν ἐς ἦμαρ...
Ἀνθ' ὧν Ἀθανάτοιο μέγαν διεδηλήσασθε
Οἶκον, ὀδοῦσι σιδηρείοις δ' ἐμασήσατε δεινῶς.

Primum hic templum deplorari videmus misere dirutum atque deletum, quod quidem, quum hujus libri pars secunda scriberetur, licet ab Epiphane profanatum, integrum adhuc stabat, ipsa declarante Sibylla, v. 213, sq.:

Ἀνδράσιν εὐσεβέεσιν ἥξει κακὸν, οἱ περὶ ναὸν
Οἰκείουσι μέγαν Σολομώνιον.

Idem vero templum a quibus nunc eversum canitur? Quæ sunt illæ θυγατέρες δυσμῶν? aut quis ille populus Hierosolymitani templi eversor ab Occidente veniens? Assyrios certe veteres illos et jamdiu sepultos hostes, aut recentiores Syros intelligi ratio vetat. Nec Judæi enim nec Ægyptii Assyriam aut Syriam ad Occidentem ponere potuerunt; et Syriæ reges apud Danielem, cap. 11, v. 6, 7, sqq., constanter *reges Aquilonis* appellantur. Idem aut simile de Ægyptiis dici potest, quorum reges apud Danielem, locis citatis, *reges Austri* dicuntur, non *Occidentis*. Præterea quamvis, Antiocho magno regnante, variis belli vicibus inter eum regem et Ptolemæos Philopatora Epiphanemque, capti non semel ab alterutris graviterque vexati fuerint Judæi; licet Scopas Ægyptiorum dux arcem aliquando tenuerit Hierosolymorum, atque inde vi depellendus Syris Judæisque fuerit; Josephus tamen qui hæc tradit, Antiq. XII, cap. 3, de templo violato prorsus reticet. Postea quoque Antiochus Epiphanes templum diripuit atque fœdavit, non tamen vi cepit, neque ferro aggressus est, neque, ut Sibyllistæ verbis utamur, ferreis dentibus commanducavit. Quod si nec Syros nec Ægyptios hoc loco fas est intelligi, quosnam demum, nisi Romanos? qui profecto soli ab Occidente adduci potuerunt, sicut in hujus ipsius libri secunda parte, v. 176, ἀφ' ἑσπερίου τε θαλάσσης, et clarius lib. IV, v. 102, ἀπὸ δυσμῶν.

Sed illud facinus, quod nunc Romanis exprobratur, quando factum est? Pompeius templum armis expugnavit, una etiam ejus turri dejecta, tradente Josepho, Antiq. XIV, cap. 8; expugnatum tamen non diripuit. Quod postea a Crasso factum fatemur, sed sine vi ulla; neque templum ille armis cepit, neque ferro demolitus est. Sosius postea auxilio missus Herodi ab Antonio, urbem cepit, templo pepercit. Nondum igitur ullo tunc modo verum erat id quod Sibyllista populis occidentalibus exprobrat:

Μέγαν διεληλήσασθε
Οἶκον, ὀδοῦσι σιδηρείοις δ' ἐμασήσατε δεινῶς.

Ultro igitur delabimur ad imperatorum et statim ad Vespasiani tempora, quibus verissimum est distractam fuisse Romam bellis civilibus post Neronem, deque ejus urbis tanquam viduæ thalamis certatum inter procos bene multos, Galbam, Othonem, Vitellium, Vespasianum : quare potuit tunc de illa scribi, et secure, post eventum quippe, prædici illud quod sequitur, v. 357, sqq. :

Πολλάκι σοῖσι πολυμνήστοισι γάμοισι,
Οἰνωθεῖσα λάτρις νυμφεύσεαι οὐχ ἑνὶ κόσμῳ.

Quod tamen si sub Vespasiano verum fuit, at etiam post Vespasianum. Videndum igitur ne serius quoque hæc scripta sint, neve a Vespasiani temporibus ultra progrediendum sit ad Trajani vel Hadriani aut etiam ad Antoninorum tempora, quibus plerique Sibyllini libri conscripti sunt. Sed hoc, ut hactenus conjectaneum, in medio tantisper relinquatur, donec particulam hujus libri et fortasse Sibyllinorum omnium difficillimam tractaverimus, quæ incipit a versu 381 et desinit in versum 400; quam circa nunc aliquantum insistere nos atque immorari necesse est.

Sed antea relegatur præmissus huic alter locus haud inelegans, v. 367-380, de pace per orbem terrarum, « per Europam, inquit « vates, atque Asiam, » aliquando regnatura, ac de aurea tum futura generis humani felicitate. Quæ quoniam videntur cum sequentibus cohærere, aliquid possunt ad rem nostram facere; haud magni tamen illa momenti, quippe quæ fortasse id tantum agant ut transitum parent ad ulteriora. Tam læta enim tamque prospera, male definitis temporibus, gratis fortasse excogitavit poeta, quo secuturis formido major adderetur; etsi verum est nunquam feliciores fuisse Judæos quam sub Persarum regum auctoritate ante Macedonum adventum.

Diutius autem felicitas illa mansisset, inquit, nisi Macedonia gravem Asiæ dolorem peperisset, v. 381 :

Ἀλλὰ Μακηδονίη βαρὺ τέξεται Ἀσσίδι πῆμα,

ac nisi maximum Europæ malum (sive damnum, sive ulcus) increvisset, idque per nothum Saturni (seu Saturnidarum) genus, perque sobolem quamdam e servis prognatam, v. 382, sq. :

Εὐρώπης τε μέγιστον ἀνασταχυώσεται ἄλγος (sive ἕλκος)
Ἐκ γενετῆς Κρονιδῶν τε νόθων, δούλων τε γενέθλης.

sive ἐκ γενετῆς Κρονίδαο νόθου : de vera enim lectione multum æstuaverunt interpretes. Qui plerique, Κρονίδαο quum legerent, hos duo versus, sicut priorem supra, ad Macedoniam retulerunt; et sic visum auctori Sibyllini libri XI, v. 198, sqq., uti in notis ad h. l. monuimus. Itaque ad istorum mentem notha illa progenies Saturni, Alexander ipse est, spuriam ab Jove jactans originem; cujus mendacii non uno loco taxant illum Sibyllistæ, præcipue lib. V, v. 7 :

Οὐ Διὸς, οὐχ Ἄμμωνος ἀληθέα φημιχθέντα,

(confer lib. XI, 197, sq., et XII, 7). Probe sane : sed qui possit Alexander δούλων γενέθλη dici, nemo excogitavit, neque unquam excogitabit. Itaque illud hemistichium prudenter omissum est libro XI, ubi Alexandrum palam vocat poeta Κρονίδαο νόθον, sed minime δούλων γενέθλην. At sagacius nostrorum Sibyllinorum primus interpres Cas-

talio Romanos odoratus erat, et ad marginem versionis suæ scripserat : *in Romam*. Quam sententiam tueri nunc conabimur.

Qui hunc locum de Alexandro accipi volunt, primos duo versus, Ἀλλὰ Μακηδονίη et Εὐρώπης τε μέγιστον, de eadem re intelligant necesse est. Sed ita solvitur in his versibus antitheton, quod poeta quæsisse videbatur non hic solum, sed etiam supra, v. 367, sq. oppositis inter se duobus nominibus Ἀσσίδος et Εὐρώπης. Præterea quum Macedones non multum per Europam exspatiati sint, ægre nos quidem capimus de Macedonia versum hunc :

Εὐρώπης τε μέγιστον ἀνασταχυώσεται ἄλγος,

nisi Εὐρώπης ἄλγος (sive ἕλκος legere malis) vulnus interpreteris non Europæ, sed ab Europa illatum, quo magis solvetur ac supprimetur illud, de quo modo dicebamus, antithetum. Contra, si hunc versum de Romanis accipias, recte omnia procedunt : nam ut Macedones in Asia, ita Romani in Europa præcipue, ac diu in Europa sola, dominati sunt. Imo solent Sibyllistæ a Macedonia facile Romam transvolare, ut lib. IV, v. 102, sq. :

Οὐδὲ Μακηδονίης αἰεὶ κράτος, ἀλλ' ἀπὸ δυσμῶν
Ἰταλὸς ἀνθήσει πόλεμος, κ. τ. λ.,

et lib. VII, v. 108, sq. :

Ῥώμη καρτερόθυμε, Μακηδονίην μετὰ λόγχην
Ἀστράψεις ἐς Ὄλυμπον,

qui loci sententiæ Castalionis et nostræ mire videntur opitulari.

Transimus nunc ad sequentem versum, in quo variat, ut diximus, codicum lectio : nam alii Κρονιδῶν (seu Κρονίδων) τε νόθων, alii Κρονίδαο νόθου (seu plures νόθον) legunt. Qui Κρονιδῶν habent, manifesto de Romanis intellexerunt; qui Κρονίδαο, de Alexandro. Nunc quærendum utra lectio sit præferenda.

Si librorum auctoritatem perpendere velis, pluralem genitivum habent A. B. S. Pr. Cast., quorum codicum scriptura, ut plerumque minus elegans, ita sæpe magis ad antiquam et veram accedit. Κρονίδαο præbent R. L. F. quorum textus plerumque ad grammaticam correctior, sed vel ob eam rem nonnihil suspectus est, tanquam a librario seu potius editore aliquo, docto magis quam fido, retractatus. Deinde vix ullus horum codicum νόθου habet, sed plerique νόθον, quod quidem post Κρονίδαο sensu carens, ultro nos ad νόθων ideoque ad Κρονιδῶν reduceret.

Omissa tamen codicum discussione, quæ ob varias et incertas lectiones nihil vel parum juvare potest, ipsa nunc verba consideremus, prioris nempe illius hemistichii; nam de altero desperandum, nisi de Romanis intelligatur. Prius quoque de Romanis recte nobiscum ac-

cipietur, si Κρονιδῶν τε νόθων legatur, et sic omnia plana erunt. At si Κρονίδαο νόθου, fatemur vix posse hoc aliter quam de Alexandro capi. Porro videndum an probe Κρονίδης vocetur Alexander, aut etiam Κρονίδης νόθος, quum hoc patronymicum Jovi soli conveniat. Sin intelligas γενεῆς νόθου (fem. pro νόθης) Κρονίδαο, id est, e progenie notha Saturnidæ Jovis, dura oppido erit syntaxis et ambigua. Restat lectio Κρονίδαο νόθων, cujus pluralis numerus de uno Alexandro vix ferendus videtur. Ut vel solis grammaticis rationibus ad ceterorum codicum lectionem, Κρονιδῶν τε νόθων, invitus licet, revoceris.

Quod si in hoc versu nec prius hemistichium de Alexandro recte, nec alterum ullo modo capi potest, redeundum ergo ad nostram de Romanis conjecturam.

Subeunt aliæ ex eodem grammatico fonte rationes. Nam deinde in his versibus, 384, sqq. :

Κείνη καὶ Βαβυλῶνα πόλιν δεδομήσετ' ἐρυμνὴν,
Καὶ πάσης, ὁπόσης ἐπιδέρχεται ἥλιος, γῆς
Δεσπότις αὐδηθεῖσα,

vix bene stat pronomen κείνη feminino genere ita positum, sive ad γενέθλην referatur, quod minus est probabile, sive ad Μακηδονίην, quoniam Macedonia raro tanquam persona inducitur agens, pugnans, vincens, urbes capiens, rerum potiens. Contra de urbe Roma, seu de Romana civitate, nihil apud Sibyllistas frequentius, quam eam, ceu viventem, in scenam produci, increpari, compellari, defleri, ut in hac ipsa libri tertii parte, v. 350, sqq. :

Ὁππόσα δασμοφόρου Ἀσίης ὑπεδέξατο Ῥώμη, κ. τ. λ.,

et v. 356, sqq. :

Ὦ χλιδανὴ ζάχρυσε Λατινίδος ἔκγονε Ῥώμης, κ. τ. λ.

Alia exempla ex aliis libris multa, si necesse esset, suppeterent. Atque hoc tam sæpe redit in Sibyllinis, tamque Sibyllistis obversatur usque præsens imago illa dominæ urbis, ut interdum Roma, ipso subaudito nomine, compelletur, ut lib. V, v. 161, sqq. :

Ἔσσεαι ἐν θνητοῖσι κακοῖς κακὰ μοχθήσασα,

et ibid. v. 227, sqq. :

Ἄστατε καὶ κακόβουλε, κακαῖς περικείμενε κῆραις, κ. τ. λ.

Nihil igitur mirum si hunc quoque locum libri tertii : Κείνη καὶ Βαβυλῶνα, κ. τ. λ., de Roma malumus quam de Macedonia interpretari.

Minime vero nos moratur quod ibi legitur de Babylone domita :

Κείνη καὶ Βαβυλῶνα πόλιν δεδομήσετ' ἐρυμνήν,

etsi hoc fatemur, primum intuentibus, melius videri de Alexandro capiendum. Sed primum temere hoc et fortuito, ut multa Sibyllina, in futurum conjici potuit ex illa vulgari apud Romanos persuasione,

urbem suam fato destinatam esse, quæ et orbi universo jura daret, et nominatim Parthiæ, unicæ diu æmulæ : quod et sperare et votis invocare non cessant latini poetæ, ut Horatius III, od. 3, v. 43, sq. :

Triumphatisque possit
Roma ferox dare jura Medis,

et Lucanus, lib. I, v. 10 :

Quumque superba foret Babylon spolianda trophæis
Ausoniis, etc.

Locos plures de ea re, ut pote notissima, citare piget. Sed non intra votum mansit ea spes. De Tiberio nihil dicemus, qui, incertum cur, Babylonem seu Parthos domuisse bis canitur in Sibyllinis, lib. V, v. 23, et lib. XII, v. 40. De Trajani vero expeditione Parthica nemo non audivit, quo duce Romani Babylonem usque, nempe antiquam illam Assyriæ Babylonem, penetraverunt, teste Dione, lib. LXVIII, p 334, ed. Sturz. : Καὶ μέχρι τῆς Βαϐυλῶνος αὐτῆς ἐχώρησαν κατὰ πολλὴν τῶν κωλυόντων αὐτοὺς ἐρημίαν, et Ctesiphontem, quæ vera Parthorum Babylon fuit, ceperunt, captamque aliquandiu retinuerunt, apud Dion. lib. cit. p. 338, sqq. Quid igitur obstitit quominus post illud bellum Babylon capta seu domita a Romanis caneretur?

Nec plus moræ faciunt sequentes versus de distractione magni illius imperii, post orbem domitum malo fato perituri, neque ad seros nepotes transituri, v. 386, sq. :

Κακαῖς ἄτησιν ὀλεῖται,
Οὐ νόμον ὀψιγόνοισι πολυπλάγκτοισιν ἔχουσα.

Quanquam scimus id de Alexandri imperio recte accipi posse, et de eo simile aliquid legi apud Danielem, cap. 11, v. 4 : « Sed non in « posteros ejus, neque secundum potestatem illius, qua dominatus est. » Et nos ad hunc Danielis locum respexisse nostrum poetam, si quis volet, etsi nihil omnino certum, tamen si quis volet, concedemus. Sed quæ olim sanctus Propheta de Alexandro cecinerat, quidni Noster ad Romanos transtulerit? Imo fortasse vox ὀψιγόνοισι melius cadit in longam Romanorum quam in brevem Alexandri potentiam.

Hæc tamen omnia, quæ per se satis valent, præsertim si universa magis quam singula spectentur, plus etiam roboris e sequentibus accipient, si modo ea recte interpretemur. Hic vero non diffitemur spissiores multo tenebras sententiis obvolvi; quas post vana multorum experimenta, felicius discutere conabimur. Locum ipsum adimus, priori statim subjectum, hoc initio, v. 388, sqq. :

Ἥξει καί ποτ' ἄπυστ' [εἰς] Ἀσσίδος ὄλϐιον οὖδας
Ἀνὴρ πορφυρέην λώπην ἐπιειμένος ὤμοις,
Ἄγριος, ἀλλοδίκης, φλογόεις· ἤγειρε γὰρ αὐτὸν

Πρόσθε κεραυνὸς φῶτα, κ. τ. λ.

Agitur de rege quodam ignoto et jam nobis investigando, sævo illo quidem et injusto et violento, qui grave sit bellum illaturus Asiæ divitibus oris, εἰς Ἀσσίδος ὄλβιον οὖδας, et eum quidam Alexandrum, quidam Antiochum putaverunt; nobis quid de ea re videatur, exponere jam tempus est.

Verum in primo statim versu nodus obstat, quod ibi codd. omnes manuscripti ἐξ Ἀσσίδος vel ἐξ Ἀσίδος, non εἰς Ἀσσίδος habeant, ita ut ex Asia regem adducant, quem altera lectio in Asiam venisse fingit. Quarum lectionum alterutra quantum valeat ad mutandam totius loci significationem, nemo non videt. Verum aperte stare non potest ἐξ Ἀσσίδος quia statim legitur, v. 390, sq.:

Κακὸν δ' Ἀσίη ζυγὸν ἕξει
Πᾶσα, πολὺν δὲ χθὼν πίεται φόνον ὀμβρήεντα.

Unde apparet bellum in Asiam, non ex Asia esse illatum: retinendum ergo εἰς Ἀσσίδος ὄλβιον οὖδας. Grammatica etiam huic lectioni favet, quoniam si ἐξ Ἀσσίδος retineatur, illud deinde ὄλβιον οὖδας, subtracta præpositione, græce quidem fortasse, sed ambigue dictum fuerit. Et legerat sane nobiscum εἰς Ἀσσίδος auctor librorum Sibyllinorum ultimorum, qui hæc ad Alexandrum retulit, lib. XI, v. 215, sqq.:

Δεινὸς γάρ σε λέων ἐπιίξεται, ὠμοβόρος θήρ,
Ἄγριος, ἀλλοδίκης, κ. τ. λ.

Rejecta igitur aut ad tempus neglecta lectione ἐξ Ἀσσίδος, servataque altera, quam dedimus, consideremus jam, utrum recte necne hæc ad Alexandrum referri possint; quod præsertim e sequentibus cognoscetur. Proximus quidem versus, 393:

Ἀλλὰ καὶ ὣς πανάϊστον ἅπαντ' Ἀΐδης θεραπεύσει,

de Alexandri morte ferri potest. Sed quid sequentes?

Ὧν δή περ γενεὴν αὐτὸς θέλει ἐξαπολέσσαι,
Ἐκ τῶν δὴ γενεῆς αὐτοῦ γένος ἐξαπολεῖται.

An hoc ullatenus de Alexandro verum est, periturum illius genus ab iis quorum ipse genus perdere voluerit? Et hoc deinde:

Ῥίζαν ἴαν γε διδοὺς, ἣν καὶ κόψει Βροτολοιγὸς
Ἐκ δέκα δὴ κεράτων,

« radicem nempe unam relinquens, quam Mars homicida secabit ex « decem cornibus, » id est, aperte post decem generationes: quid hoc putas esse? Nam, quocumque modo generationes Macedonum regum ante Alexandrum magnum numerentur, non potest sane vel ipse vel ejus filius Ægus, tanquam decimus aut undecimus rex, admitti. Sin vero decem post Alexandrum reges intelligas, et radicem non ex qua ipse, sed quæ ex ipso succreverit, rursus quæremus, Syros ne, an

Ægyptios, an quos alios? Non enim unam, sed tres aut plures regum stirpes e Macedonica radice procreatas, nemo est qui nesciat, ut isto sensu plane falsum sit quod hic legitur :

Ῥίζαν ἴαν γε διδούς.

Rursus quæ sequuntur, meliusne de Alexandro capientur? Nam in hoc quidem ultimo versu alterum hemistichium :

Παρὰ δὲ φυτὸν ἄλλο ποιήσει,

et infra, v. 400 :

Καὶ τότε δὴ παραφυόμενον κέρας ἄρξει,

esto, si placet, de Cassandri progenie intelligatur veteri regum soboli suffecta. At quid ista quæ statim procedunt :

Κόψει πορφυρέης γενεῆς γενετῆρα μαχητὴν,
Καὐτὸς ἀφ' υἱῶν..... φθεῖται.

An hæc quoque de Alexandro accipias? Utine ille purpuratæ gentis auctor dicatur, cujus stirps vix in regno convaluerit, brevique interciderit? Quanto autem minus a filiis interemptus dici potest, quos posthumos reliquit? Itaque Sibyllista libri XI, quum priora de Alexandro interpretaretur, hic omnino hæsit, maluitque hos versus ad Ægypti reges Ptolemæos, tanquam Alexandri successores, referre, eosque fingere a se invicem, patres nempe singulos a singulis filiis, interemptos, quod omnino falsum est et ineptum.

Nunc quum hæc omnia ad Alexandrum pertinere minime posse palam sit, videndum an potius ad Antiochum. Id utique iis placere debuit, qui mediam hanc libri tertii partem cum proximis, § 2 et 4, ab eodem auctore scriptam putaverunt; iique sævum illum atque iniquum regem eumdem esse putaverunt, qui in quarta parte, v. 611, sqq., inducitur bellum ferens Ægyptiis :

Ἔλθῃ δ' ἐξ Ἀσίης βασιλεὺς μέγας, κ. τ. λ.

Et nobis rectum consentaneumque videretur, si priora, v. 381-387, de Macedonum regno scripta essent, Syros quoque et Antiochum huc induci. Potuit etiam de illo rege non inepte dici :

Ἥξει καὶ ποτ' ἄπυστ' ἐξ Ἀσσίδος,

quæ vetus est lectio; et facile ἐξ Ἀσσίδος intelligetur *ex Asia Minore*, et ὄλβιον οὖδας, quamvis ambigue, dictum censebitur pro εἰς ὄλβιον οὖδας, *in felicem terram*, id est, in Judæam. Etiam quæ statim sequuntur, ἄγριος, ἀλλοδίκης, κ. τ. λ., fatemur in Antiochum probe cadere. Ubi vero, perventum est ad illud hemistichium, v. 391 :

Κακὸν δ' Ἀσίη ζυγὸν ἕξει,

jam omnis deficit interpretandi modus, quoniam ex Asia, non in Asiam venit Antiochus. Et quid hoc deinde :

Ὧν δή περ γενεὴν αὐτὸς θέλει ἐξαπολέσσαι,

'Ἐκ τῶν δὴ γενεῆς, κ. τ. λ.

An Epiphanem ipsum, an ejus posteros, αὐτοῦ γένος, a Judæorum sobole interemptum iri cecinit Noster? Temere hoc forsan, ira vel odio suggerente, prædixerit. Non multum placet; esto tamen. Sed illud deinde quid sibi vult?

Κόψει πορφυρέης γενεῆς γενετῆρα μαχητήν.

Antiochum sane vocari dicent purpureæ stirpis auctorem. At si hæc, quod isti contendunt, ab eodem Sibyllista scripta sunt qui partes hujus libri § 2 et 4 condidit (paulo igitur post priorem Antiochi expeditionem, ut supra dictum est, cap. 1), quomodo vivens adhuc et regnans Antiochus πορφυρέης γενεῆς pater dici potuit, quum infans ejus progenies vixdum Syris ipsis innotuisse posset, quippe cui mortuo filium unum superfuisse scimus Eupatora, teneræ adhuc ætatis puerum? Concedatur tamen hoc etiam. At in proximo versu nemini sane probabitur, Antiochum, pueri innocentis patrem, per filios interiturum prædici:

Καὐτὸς ἀφ' υἱῶν..... φθεῖται.

Duos tamen hujus loci versus fatemur haud male, si quis velit, ad Antiochum referri posse (neque enim ii sumus quibus nostra unice placeant, aut qui adversariis nihil omnino concessum velimus), hos nempe, 394, sq.: Ὧν δή περ γενεήν, κ. τ. λ., si de Demetrio Sotere intelligantur, cujus sane stirpem exstinguere voluisset Antiochus, ut ab ejus metu suam ipse tueretur progeniem. Ac sic illa deinde ἴα ῥίζα, et illa πορφυρέη γενεή, Antiochus erit Eupator, qui post patrem Epiphanem brevi regno defunctus est; et illo occiso post decem Syriæ reges, ἐκ δέκα δὴ κεράτων, Demetrius erit cornu illud adventitium, κέρας παραφυόμενον, non quidem ex alia regia gente, sed ex alia domo ortus. Satis recte hæc omnia; sed tum restabunt nihilominus ambæ quæstiones: primum, quomodo, veniente ex Asia Antiocho, potuerit Asiæ bellum et strages inferri; deinde, quomodo occisus a filiis fingatur Antiochus. Denique notandum de Demetrio hæc accipi non posse, quin omnino Danielis prophetæ vestigia relinquantur, a quo tamen solo metaphora decem cornuum desumi potuit. Quippe apud sanctum vatem cornu istud superbum atque impium aperte Antiochus erat, non Demetrius. Et quod maxime ad nostram rem pertinet, sic demum fatendum erit non potuisse hæc a Sibyllista scribi ante Soteris in Asiam reditum, serius ergo quam reliquas partes § 2 et 4, atque ideo interpolatam esse mediam hanc partem, quod modo negabatur.

Nunc quoniam prolixe nimis, sed re ita cogente, demonstravimus totum hoc Sibyllinum fragmentum nec de Macedonibus nec de Syris

capi posse, accedimus jam ad nostram aliquando sententiam, qui hunc, ut priorem illum, de quo supra, locum ad Romanos referendum esse censemus. Rursus vero proferenda sunt ipsa verba:

Ἥξει καί ποτ' ἄπυστ' εἰς Ἀσσίδος ὄλβιον οὖδας
Ἀνὴρ πορφυρέην λώπην ἐπιειμένος ὤμοις,
Ἄγριος, ἀλλοδίκης, φλογόεις· ἤγειρε γὰρ αὐτὸν
Πρόσθε κεραυνὸς φῶτα.

Hic nobis est Hadrianus in Asiam trajiciens, ibique Judæos non in patria tantum, sed in multis Asiæ partibus rebellantes jugo subditurus, non sine magno sanguinis effluvio, unde statim additur:

Κακὸν δ' Ἀσίη ζυγὸν ἕξει
Πᾶσα, πολὺν δὲ χθὼν πίεται φόνον ὀμβρηθεῖσα.

Post tamen morietur ille princeps:

Ἀλλὰ καὶ ὣς πανάϊστον ἅπαντ' Ἀΐδης θεραπεύσει.

Ejus autem posteritas (adoptiva nempe Antoninorum) a Judæorum, quos perdere voluit, posteritate pessumdabitur (hoc sibi finxit poeta):

Ὧν δή περ γενεὴν αὐτὸς θέλει ἐξαπολέσσαι,
Ἐκ τῶν δὴ γενεῆς κείνου γένος ἐξαπολεῖται.

Quippe stirpem illam adoptivam, quam unam post se reliquerit Hadrianus,

Ῥίζαν ἴαν γε διδούς,

eam Mars homicida, id est, vis armorum resecabit (veniente nempe et rerum potiente Antichristo):

Ἣν καὶ κόψει Βροτολοιγός,

idque post decem cornua, id est, totidem imperatores a Vespasiano numeratos, habituros successorem alienæ stirpis Antichristum:

Ἐκ δέκα δὴ κεράτων· παρὰ δὲ φυτὸν ἄλλο ποιήσει.

Tres enim Antoninos, patrem et filios, in mutuas cædes compulsurus est Antichristus:

Κόψει πορφυρέης γενεῆς γενετῆρα μαχητὴν,
Καὐτὸς ἀφ' υἱῶν..... φθεῖται,

atque ita regno potietur heres ille alienus:

Καὶ τότε δὴ παραφυόμενον κέρας ἄρξει.

Horum quædam nova et insolita videbuntur iis qui in Sibyllina lectione nondum satis exercitati sunt. Sed et jam partim notavimus, et plenius in Excursu sexto demonstrabimus, tales fuisse, præsertim Antonino Pio regnante, Christianorum et Judæorum de præsentibus ac de futuris rebus opiniones; ad quas pertinere hunc locum singulis nunc versibus accuratius perpensis arguendum est.

Primum Romanus imperator optime designatur hoc versu:

Ἀνὴρ πορφυρέην λώπην ἐπιειμένος ὤμοις,

cujus progenies quoque purpurata, infra, v. 398, πορφυρέη γενεή dicetur. Deinde venit ille vir in Asiam subitus, improvisus, inexspectatus, ἥξει ἄπυστα. Mirus enim et insolens quum Ægyptiis, tum Judæis in Ægypto commorantibus fuit ille Romani imperatoris adventus; quo spectaculo tum primum oculi eorum et mentes percellebantur. Nam post Augustum (nondum tamen, quum in Ægyptum venit, imperantem), solum viderant Vespasianum, militari etiamtum duci quam justo principi similiorem, quippe qui tum e Syria Romam ad occupandum armis imperium tendebat. Trajanus postea in Oriente bellum gesserat, sed procul ab Ægypto et Judæa. Hadrianus vero, lustrata Ægypti magna parte, quum in Asiam transcendisset, quæ mens, qui terror, et mox quæ desperatio fuit Judæorum, sive in ipsa Palæstina, sive Alexandriæ degentium? Quorum cives, maxime tum adversus Romanos commoti, quum recenti adhuc memoria oppressæ a Vespasiano patriæ suæ, tum etiam falsis undique pullulantibus oraculis de Hebræa gente resurrectura et interituro Romano nomine (qualia multa etiam in his Sibyllinis legimus), sub multis jam pseudo-Messiis ac demum Barcocheba duce, felicibus primum initiis, dein teterrimo eventu rebellaverant. Statim, transgresso in Asiam Hadriano, nuntius allatus est, attritas tanquam supremo ictu miseræ gentis reliquias; manare sanguine Judæam; innumeris cæsorum cadaveribus urbes, vicos, agros, flumina, lacus oppleri: cujus immensæ cladis testimonium nos hodieque non sine horrore legimus apud Dionem, lib. LXIX, § 14: Ὀλίγοι δ' οὖν κομιδῇ περιεγένοντο, καὶ φρουρία μὲν αὐτῶν πεντήκοντα τά γε ἀξιολογώτατα, κῶμαι δὲ ἐνακόσιαι καὶ ὀγδοήκοντα καὶ πέντε ὀνομαστόταται κατεστράφησαν· ἄνδρες δὲ ὀκτὼ καὶ πεντήκοντα μυριάδες ἐσφάγησαν ἔν τε τοῖς καταδρομαῖς καὶ ταῖς μάχαις· τῶν τε γὰρ λιμῷ καὶ νόσῳ καὶ πυρὶ φθαρέντων τὸ πλῆθος ἀνεξερεύνητον ἦν· ὥστε πᾶσαν ὀλίγου δεῖν τὴν Ἰουδαίαν ἐρημωθῆναι. Vides oppida L deleta, cum vicis CMLXXXV; hominum vero DLXXX millia ferro interfecta, omissis qui fame, peste, igne perierunt; Judæam fere totam in solitudinem redactam. Quæ quum, Alexandriæ degens, audiret Noster, nonne indignabundus exclamare potuit:

Ἄγριος, ἀλλοδίκης, φλογόεις· ἤγειρε γὰρ αὐτὸν
Πρόσθε κεραυνὸς φῶτα,

et obversante sibi stragis illius spectaculo, sic lamentari:

Κακὴν δ' Ἀσίη ζυγὸν ἕξει
Πᾶσα, πολὺν δὲ χθὼν πίεται φόνον ὀμβρηθεῖσα.

Scimus, et jam diximus, non potuisse nisi improprie et hyperbolice Asiæ totius mentionem fieri, quæ in his versibus legitur, Ἀσίη πᾶσα. Sed concedamus hoc dolori luctuique poetæ nostri, primum ista

24.

spectantis e longiuquo, eoque ampliora cernentis; deinde, solito amantibus errore, patriam suam Judæam non dubitantis præcipuam Asiæ esse partem, unde supra ipsam vocabat Ἀσσίδος ὄλβιον οὖδας. Præterea non in Judæa tantum constitisse Judæorum stragem, sed in aliis etiam terrarum partibus desæviisse illam procellam, satis indicat idem Dio, quum scribit in omnibus provinciis ac pæne universo orbe terrarum commotas fuisse a Judæis turbas, lib. cit. § 13: Καὶ οἱ ἁπανταχοῦ γῆς Ἰουδαῖοι συνεταράττοντο..... πάσης ὡς εἰπεῖν κινουμένης ἐπὶ τούτῳ τῆς οἰκουμένης. Nam profecto eadem severitate adversus rebellantes animadversum est, ubicumque terrarum caput attollere ausi essent. Porro in Africa, id est, Cyrenaïca, et Alexandriæ in Ægypto motus fuisse Judæorum testatur Eusebius in Chronico ad hos annos. Similes vero motus æstuasse et pari sævitia compressos esse merito credas in Cypro insula, et in iis Asiæ continentis tractibus ubi Judæorum increverat numerus, in Syria, Phrygia, Cappadocia, etc.; unde Noster totam Asiam ab Hadriano vastatam et sanguine mersam sibi finxit. Sed, age, pergamus.

Cetera quæ sequuntur plana fiunt. Nam in Excursu sexto demonstrabimus, sub Antonino Pio ac præsertim post annum 154, duobus ejus adoptivis liberis ad cæsaream dignitatem evectis, quum tres simul principes regnare viderentur, simulque fatalis ille principum numerus denarius impletus esset, vulgatam fuisse opinionem apud Christianos præsertim judaïzantes, adesse imperii Romani et rerum finem. Quippe illis regnantibus redituras ex Asia decem tribus olim trans Euphratem ab Assyriis translatas, victoriamque a Romanis reportaturas, et magnam partem Asiæ, Palæstinam certe, Cæsaribus erepturas. Sed mox et illos et ipsos Romanos Antichristo venienti cessuros; postea venturum Messiam qui omnes impios debellaret, atque hæc fore ultima mundi tempora. His vaticiniis pleni sunt Sibyllini libri, præsertim VIII, § 1, et V, sub Antonino Pio scripti, et partim etiam liber quartus, qui ceteris viam præmuniverat. Porro in his quædam, ut sæpe fit in vaticiniis, vix inter se cohærebant, neque ab omnibus eodem modo efferebantur vel intelligebantur. Vulgo tamen receptum fuisse videtur Antoninos primum a Judæis profligatos, deinde ab Antichristo regno et vita privatum iri. Et vulgo quidem credebatur, eum qui trium natu minimus esset, L. Verum ceteris duobus superfuturum, uti canitur libro V, v. 51:

Τρεῖς ἄρξουσιν, ὁ δὲ τρίτατος σφῶν ὀψὲ κρατήσει,

id tamen non sine civili ac domestico tumultu. Nam Antoninos sibi fingebant, sive Judæorum, sive Antichristi adventu perturbatos, in mutuas discordias mutuasque cædes erupturos; itaque patrem a filiis,

deinde filios vel e filiis unum superstitem ab Antichristo eversum iri. Hæc partim libro VIII, § 1, partim libro quinto, partim etiam libro II prædici, quamvis obscure plerumque et involute, notabimus in Excursu VI. Quæ si admittantur, jam quid restat moræ? Nam profecto voluit perdere Hadrianus Judæorum genus, a quo suos filios perditum iri nesciebat. Et ipse moriens unam sobolem reliquit, adoptivam nempe Antoninorum, misere, uti modo dicebamus, perituram, idque post decem cornua, id est, decem principes a Vespasiano numeratos, sicut in Apocalypsi aperte numerari jubentur.

Conflatum est enim hoc Sibyllinum vaticinium partim e Danielis prophetia, de qua supra diximus, partim e simili satis, sed ad sensum diversa visione Apocalypseos, cap. 13, v. 1, sqq.; 17, v. 9, sqq. Ac decem quidem cornua sunt apud utrumque vatem; sed illud adventitium cornu, φυτὸν ἄλλο, παραφυόμενον κέρας, apud Danielem solum. Porro illud cornu, licet apud Danielem palam de Antiocho accipiatur, Antichristum esse in rerum fine venturum, plerique Christiani crediderunt et multi theologi usque ad hunc diem docent, vulgata nempe jam a primis Ecclesiæ sæculis traditione et quasi longo tempore præscripta. Ergo nihil mirum Sibyllistam quoque ita sensisse.

Quod sequitur :

Κόψει πορφυρέης γενεῆς γενετῆρα μαχητήν,
Καὐτὸς ἀφ' υἱῶν . . . φθεῖται,

de Antonino Pio interpretamur, adoptivæ sobolis parente, filiorum scelere perituro. Qui licet principum maxime pacificus vulgo habeatur, poetico tamen more epitheton istud accipere potuit metri causa, ad omnes quippe imperatores vel ipso imperandi jure pertinens, neque in Antonino prorsus absonum. Nemo enim nescit, recepto apud Romanos more, bellorum laudem, quæ principis auspiciis gesta essent, semper ad ipsum referri solere. Porro audiendus Capitolinus in Pii vita, pag. 132, ed. 1661 : » Per legatos, inquit, suos plurima bella « gessit. Nam et Britannos per Lollium Urbicum legatum vicit..., et « Mauros ad pacem postulandam coegit, et Germanos et Dacos et « multas gentes atque Judæos rebellantes contudit per præsides ac « legatos. In Achaïa etiam atque Ægypto rebelliones repressit. Alanos « molientes sæpe refrænavit. » Similia de illo tradit Pausanias in Arcadicis, cap. 43. Nec omittendum in inscriptione quadam apud Orell. n. 838, pacificum illum Antoninum « subjugatorem » dici « orbis « terrarum ». Et nota in devictarum ab eo gentium catalogo, apud Capitolinum supra citatum, Judæos quoque et Ægyptios comprehendi, unde fortasse bellica ejus apud ipsos fama.

Inde etiam fortasse factum, ut ejus existimationi minus parcerent

Sibyllistæ, qui ipsum avaritiæ et ignaviæ insimulant, lib. VIII, v. 69, sqq., utque eum a filiis regno et vita privatum iri non sine quadam exsultatione sibi fingerent. Quam suspicionem in filios optimi patris conjectam fuisse minus mirabitur qui idem de Tito calumniantem Sibyllistam audiverit, libro V, v. 39. Et utique, quum in tribus Antoninis desituram imperatorum seriem vulgus credulum arbitraretur, necesse erat quocumque modo exstingui stirpem invisam, ut dignus ei successor induceretur hostis humani generis Antichristus, quod ultimo versu canitur :

Καὶ τότε δὴ παραφυόμενον κέρας ἄρξει.

Sed si quis dubitat tam dira de Antoninis viventibus excogitari potuisse, relegat velimus apocryphum Esdræ librum IV, sub eadem tempora scriptum; ubi post similem visionem aquilæ multas alas habentis et capita tria (agnoscis illum fatalem ex Danielis prophetia ternarium numerum), interpres adducitur Angelus ita loquens, c. 12, v. 22, sqq. : « Et quoniam vidisti tria capita quiescentia [id est, exspectantia tempus suum], hæc est interpretatio : In novissimis ejus « [aquilæ] suscitabit Altissimus tria regna [Antoninorum], et revoca« bit in ea multa [id est, potentiam aquilæ Romanæ sub iis principi« bus renovabit], et dominabuntur terram et qui habitant in ea ... « Isti erunt qui recapitulabunt impietates ejus [aquilæ, sive Romæ], « et qui perficient novissima ejus. Et quoniam vidisti caput majus « non apparens, hæc est interpretatio ejus, quoniam unus ex eis [An« toninus Pius] super lectum suum morietur [hæc ergo scripta post « ejus mortem], et tamen cum tormentis [imo quietissima morte, si « Xiphilino fides; sed hæc inimicus excogitavit, an venenum in« nuens?]. Nam duo qui perseveraverint [Aurelius et Verus], gladius « eos comedet : unius enim gladius comedet qui cum eo [id est, col« legam suum]; sed tamen hic [unus ille e tribus superstes] gladio « in novissimis cadet... » Hæc sane, si non ex ipsis Sibyllinis petita sunt, satis ostendunt, quales tunc de Antoninis opinationes et quam iis adversas infensasque Judæi et Judæo Christiani foverint.

Atqui hæc omnia fatemur in Sibyllinis, sicut in ipso Esdræ loco supra citato, obscure tantum et quasi per nebulam ostendi. Sed præterquam fatidica sunt, ideoque ambiguitatem rerum ac verborum vel admittunt vel etiam postulant, erantne, rogamus te, quisquis es, tam auditu grata principibus, et Sibyllistis tam secura dictu, ut possent aperte ac sine velo proferri? Ipsæ quinimo loci hujus tenebræ interpretationi nostræ favent, dum testantur non potuisse sine periculo talia scribi : quæ sane, si de Antiocho Syro sub Ægyptio rege scripta essent, poterant impune in lucem proferri; non sic de Romano prin-

cipe vivente tunc et regnante, dominantibus in Ægypto et toto orbe Romanis.

Hæc nos, quæ diceremus, habuimus de loco Sibyllinorum omnium difficillimo, nimis hæc quoque prolixa, sed tamen necessaria, quoniam ex iis pendet totum fere judicium de ætate partis hujus mediæ libri III. Ceterum recte nos hunc locum accepisse de Romanis testis est illa, quam supra notavimus, frequens in hac parte ac pæne perpetua Romanorum mentio. Etiam bene a nobis intellectum esse sævum illum virum, de quo plura commentati sumus ad hunc versum,

"Ηξει καί ποτ' ἄπυστ' εἰς Ἀσσίδος ὄλβιον οὖδας,

testari etiam potest legendus haud multo infra versus 470 :

Ἄλλος ἀπ' Ἰταλίης λυμήτης ἵξεται ἀνήρ,

Quod nos quidem de Antichristo prædictum putamus. Sed quisquis demum intelligatur, quonam, quæsumus, modo nuntiari sic posset alius vir ex Italia, ἄλλος ἀπ' Ἰταλίης, nisi prior aliquis ex Italia venturus supra nuntiatus esset : ex Italia nempe, ut Hadrianus; non ex Macedonia, ut Alexander, neque ex Asia, ut Antiochus.

Reliqua partis hujus non tam longa egent disceptatione. Quæ de Helena et Troja et Homero ibi canuntur, v. 414-432, desumpta videntur ex Erythrææ profanæ carminibus. Citata enim sunt ab Apollodoro Erythræo tanquam a sua cive conscripta, teste Varrone apud Lactantium : confer Exc. I, cap. 2. Ex aliis profanis oraculis profecta videntur quæ de motu terræ in Phrygia, v. 401, sqq., et quæ de Samo insula canuntur, v. 463, et alia fortasse nonnulla. Contra pleraque e judaicis christianisque Sibyllinis, atque ex iis ipsis quos nunc habemus, libris repetita in hac parte sunt, ut ipsum quinque versibus constans exordium, v. 295, sqq., e libro III, v. 162, sqq., et 489, sqq. Item septima regum progenies, v. 318, ex eodem lib. III, v. 192 et 608. Gog et Magog, v. 319, indidem, v. 512. Romæ opes in Asiam referendæ, v. 350, sqq., e libro IV, v. 142, sqq. Tenedi clades extrema, v. 486, e libro IV, v. 101, mutato tamen insulæ nomine. Sami et Deli ruina, v. 363, non tam e libro IV, v. 91, sq., quam e libro VIII, v. 165, sq., propter additum illud Ῥώμη ῥύμη quod in libro quidem quarto deerat, legitur autem in octavo, lectumque jam olim est a Lactantio, ut pridem annotavimus ad h. l. Quod si fas conjecturæ aliquid dare, antiquum fuit illud oraculum de Samo et Delo, multoque Sibyllinis antiquius, quod primum Sibyllino libro IV insertum, inde in librum VIII transiit cum addita Romæ mentione, atque inde serius in librum III, § 3. Certe Ῥώμη ῥύμη ætatem deteriorem sapit, ac vix potest esse primis post Christum sæculis anterius.

Cetera quæ non ex antiquioribus oraculis petita sunt, vel ad recentes urbium aut terrarum calamitates alludunt, vel ex similium casuum exemplis temere conficta sunt, ut illa, v. 341, sqq., de urbibus Europæ Asiæque terra absumendis; item, v. 457, sq. de Cypri motu; item, v. 459, sqq., de Trallibus et Epheso; item, v. 471, de Laodicea, etc. Nam observatu dignissimum est optimi principis Antonini temporibus plurimas exstitisse gentium et urbium clades, præsertim terræ motus, de quibus Capitolinus in ejus Vita, et aliquid Xiphilinus e Dione Cassio, et plura Pausanias, Arcad. loc. cit. : Λυκίων δὲ καὶ Καρῶν τὰς πόλεις, Κῶν τε καὶ Ῥόδον ἀνέτρεψε μὲν βίαιος εἰς αὐτὰς κατασκάψας σεισμός. Quare in hac libri tertii parte multi similes casus prædicuntur, præsertim in Asia Minore, ac nominatim in Lycia et Caria. Cyzicus etiam bis defletur v. 436 et 442, quam illo tempore quassatam docet Xiphilinus; et mons ille Lyciæ in aquas erumpens, v. 439, sq., fortasse idem est de quo Xiphilinus : Περὶ δὲ τὴν μεσόγειον ἄνω κορυφῆς ὄρους διαστάσης θαλάσσιόν φασιν ἐκχυθῆναι κῦμα, κ. τ. λ.

Nec dubium nonnulla etiam ex ingenio poetæ manasse, temere excogitata temereque prædicta : sed pleraque, ut videre est, hinc inde compilata et ex antiquioribus vaticiniis in unam farraginem congesta, quod in duabus aliis hujus libri partibus, § 2 et 4, minime factum erat; proditque hoc, nobis quidem judicibus, non tam plagiarii impudentiam quam festinationem interpolatoris.

Piget omisisse votum istud, v. 371 : Ὦ μακαριστός, κ. τ. λ., quod manifesto e libri quarti fine desumptum est.

Sed ne quod desit compilationis simulque interpolationis indicium, notabimus etiam desumptas ex Apocalypsi complures seu sententias seu dicendi figuras, cujus modi istud est, v. 303 :

Αἶ αἶ σοι, Βαβυλὼν ἠδ' Ἀσσυρίων γένος ἀνδρῶν,

plane ut Apocal. cap. 18, v. 10 : Οὐαὶ, οὐαὶ ἡ πόλις ἡ μεγάλη Βαβυλών, κ. τ. λ. Et sic infra, v. 311, sq. :

Καὶ τότε πλησθήσῃ ἀπὸ αἵματος, ὡς πάρος αὐτὴ
Ἐξέχεας ἀνδρῶν τ' ἀγαθῶν ἀνδρῶν τε δικαίων,

prope ut Apocal. cap, 16, v. 6 : Ὅτι αἷμα ἁγίων καὶ προφητῶν ἐξέχεον. Statim autem, v. 313 :

Ὧν ἔτι καὶ νῦν αἷμα βοᾷ εἰς αἰθέρα μακρόν.

Confer Apocal., cap. 6, v. 9, sqq. : « Et cum aperuisset sigillum quin- « tum, vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei... « et clamabant voce magna, dicentes : Usquequo, Domine... non vin- « dicas sanguinem nostrum ? » Deinde istud apud Sibyllam, v. 319 :

Αἶ αἶ σοι, χώρα Γὼγ ἠδὲ Μαγώγ...,

ductum quidem videtur e quarta parte hujus libri; respicit autem

partim ad Ezechielis prophetiam, cap. 38, v. 2, partim ad Apocal. cap, 20, v. 7. Illud vero, v. 223 :

Αἲ αἲ δὲ, θάλασσα τε καὶ γῆ,

totum est ex Apocal, cap. 12, v. 12 : Οὐαὶ τῇ γῇ καὶ τῇ θαλάσσῃ. Adde, v. 358, οἰνωθεῖσα λάτρις, petitum ex Apocal. cap. 18, v. 3. Adde, si libet, quæ supra dicta sunt de decem cornibus, v. 397, ad Apocalypseos mentem numeratis, nempe a Vespasiano, non a Julio Cæsare vel Augusto. Sed plura quærere supervacaneum est, quum vel unum e supradictis, si ex Apocalypseos fonte manaverit, abunde demonstret cetera quoque hujus partis non ante Apocalypsim esse scripta, id est, si vulgarem opinionem sequamur, non ante Trajani initia ; si nostram, saltem non ante Vespasianum (confer quæ de hac temporis controversia dicentur in Exc. VI). Utcumque Romanis principibus supparem fuisse necesse est tertii libri interpolatorem, eumque ideo ad Romanos, quum hæc scriberet, maxime spectasse.

Quænam vero causa mediæ hujus partis tertio libro interpolandæ consilium isti homini suggesserit, si quæramus, non alia reperietur, quam quæ supra dicta est, pag. 359; manifestus nempe et omni ope corrigendus error, qui bis tertio libro continetur, v. 191, sqq., et 608, sqq., de renovanda rerum humanarum facie post septimum Ægypti regem. Id Sibyllarum amatoribus ingratum ; id et Christianis fortasse non semel exprobratum fuisse credas, tum quum Celsus, Lucianus, aliique de istorum carminum origine controversias movere cœperunt. Cui vitio ut mederetur, statuit Noster, medium quasi temperamentum, injicere tertio libro versum illum supra expositum de Ægypti malis post septimum regem cessaturis :

Ἑβδομάτῃ γενεῇ βασιλήων· καὶ τότε παύσῃ.

Cujus præcipue versus causa totam hanc libri tertii partem, ut omnia paucis resumamus, interpolatam esse censemus ; ita ut Sibyllini mendacii derisoribus esset aliquid in ipsis Sibyllinis atque in eodem libro, quod statim objici posset.

Nunc vero de ipsius interpolatoris persona si quid pronuntiandum est, facile conjici seu potius pro certo affirmari potest, vixisse illum in Ægypto : id satis ostendit septimi Ptolemæi designatio, v. 318, et quod, contra geographorum omnium fidem, Gog et Magog intra Æthiopas amnes collocentur, v. 319, sq., et quod Ægyptii ipsique Alexandrini tanquam e propinquo compellari videantur, v. 348, sq. :

Ἴσθι τότ', Αἰγύπτου ὅλοὸν γένος ἐγγὺς ὀλέθρου
Καὶ τότ' Ἀλεξανδρεῦσιν ἔτος τὸ παρελθὸν ἄμεινον.

Judæum fuisse, saltem patria, non est quod quis dubitet, post illam Hebræorum complorationem, v. 311, sqq., et locum de templi

ruina divinam ultionem provocante, v. 328, sqq. Idem fueritne religione Christianus, non nos quidem ambigemus, qui multa ex Apocalypsi desumpta apud ipsum notavimus. Fatendum tamen nihil in hac tota libri tertii parte palam ad christiana dogmata respicere. Potuit sane interpolator id cavere, ne interpolatio proderetur. Difficillimum tamen est, eum qui aliqua persuasione penitus sit imbutus, non aliquid de suis affectibus aut studiis poesi suæ vel inscium ac vel invitum inserere. Videtur ergo ex illis fuisse qui, quum christianis allecti fuissent sacris et baptismi aqua intincti, plurimum tamen e judaïsmo retinebant, quique de nova doctrina nihil fere sibi assumpserant præter apocalyptica mysteria, qualem fere descripsimus auctorem libri quinti supra, pag. 352.

Hic vero ultima subit quæstio, num fortasse, quod supra jam innuebamus, capite priore, p. 354, interpolator ille tertii libri, suppar quum sit, ut diximus, tamque similis auctori libri quinti, unus cum eo idemque habendus sit. Id nos, ut olim timide subindicavimus, ita nunc asserere pæne fidenter audemus; gravissimumque hujus rei argumentum ducimus e libri quinti loco jam notato, v. 457, sqq. :

Ἔσται δ' ἐν πέμπτῃ γενεῇ, ὅτ' ἐπαύσατ' ὄλεθρος
Αἰγύπτου, βασιλῆες ὅταν μιχθῶσιν ἄθεσμοι, κ. τ. λ.

Quem locum ad ultima reipublicæ Romanæ tempora et ad Cleopatræ regnum pertinere, minime est dubium, si quis modo ipsum relegerit. Porro Cleopatræ regnum sic designari, ἐν πέμπτῃ γενεῇ, id est, quinta post Philometorem generatione, et ὅτ' ἐπαύσατ' ὄλεθρος Αἰγύπτου, id est, postquam Ægypti clades desierit; nemini, nobis quidem judicibus, in mentem venire hoc potuit, nisi qui respiceret ad illud libri III, § 2, καὶ τότε παύσῃ, parvum nempe unius hemistichii fragmentum, breviusque sane quam ad quod, præter auctorem suum, multum quisquam potuerit attendere.

Nobis quidem res omnis videtur ita intelligenda, ut aliquis primum partem hanc mediam libro III interpolaverit eo, quo supra diximus, consilio; deinde, aperta semel via, inductus fuerit ut longius vaticinando procederet, Sibyllinamque prophetiam ad sua usque tempora deduceret, quod libro quinto factum est. Ita liber V tanquam appendix quædam libri III, § 3, jure poterit haberi.

Atqui hujus nostræ opinionis argumenta quædam alia depromi possunt ex amborum librorum comparatione, sententiarum nempe similitudo, ut de Cypri motu, v. 457, sq. : confer V, 449. De alio terræ motu in Phrygia, III, 401, sqq.; confer V, 129, sq. De Trallibus et Laodicea deletis, III, 459, 471; confer V, 283, sq. De Smyrnæ interitu, III, 365; confer V, 121. De Alexandriæ clade, III, 348,

sq.; confer V, 88, sq. De civilibus Romanorum bellis, III, 357, 413; confer V, 152, sq. De Antoninis ab Antichristo cæsis, III, 398, sqq., confer V, 221, sqq. De cometa, III, 334: confer V, 154, sqq. Quædam etiam in dictione conveniunt, ut δυσμαί de Italia, III, 324; confer V, 103, 462. Σιδονίων βασιλεύς, de Orœte satrapa, III, 451, et Φοῖνιξ βασιλεύς, de Vespasiano, V, 202. Ἡγεμόνων κακότησι vel κακότητι, III, 366; confer V, 17. Πάμφυλος, de universis nationibus, III, 411; confer V, 459. Ῥομφαία, figurate, III, 316, ut ῥαμφή, V. 242. Θυμός, de ira Dei, III, 309; confer V, 297, 357. Etiam cum iis quæ de Babylone Assyriæ canuntur lib. III, v. 303, sqq., confer quæ de Babylone Italiæ, lib. V, v. 158, sqq. Quæ quidem singula levia sunt, universa non carent aliquo robore, valentque ad confirmandum quod diximus, tertii libri partem tertiam ab eadem manu qua librum quintum esse profectam, id est, a Judæo Alexandrino semi-Christiano sub Antoninis vivente.

Quod si hæc pars apud Clementem et Lactantium, reliquis libri tertii partibus, § 2 et 4, ac libro quinto tam frequenter utentes, citata nusquam reperitur, inde etiam colligi licet, quod nobis admodum favet, serius hanc tertio libro insertam esse, ideoque multis exemplaribus abfuisse, et doctis potuisse viris ignotam manere. Lactantii tamen temporibus anteriorem fuisse constat, quod in libris XI-XIV, tertio sæculo vix inclinato scriptis, excerpta sæpe compilataque multis sententiis, versibus, hemistichiis agnoscatur (confer præcipue lib. XI, v. 200, sqq., 237, sqq., ibique a nobis annotata). In primo etiam libro manifestam reperias imitationem oraculi de terræ motu in Phrygia futuro, quod legitur in hac nostra parte, v. 401, sqq. Quin et libro VII, ante mediam ejusdem sæculi partem scripto, quædam nobis deprehendere videmur hinc desumpta, ut de Sardinia, VII, 96, sqq. (confer III, 477); de Corintho, VII, 60 (confer III, 487); de tibiarum, id est, tubarum clangore, VII, 115, sq. (confer III, 488.) Quæ ultima, quamvis incerta, tamen quia certioribus addita nonnihil inde lucis accipiunt redduntque, non omittenda duximus.

CAP. IX. *De libris sexto et septimo.*

Ex iis libris qui citati apud veteris Ecclesiæ scriptores reperiuntur, ultimi fere restant libri VI et VII; quorum tamen exstant fragmenta seu testimonia apud Lactantium duntaxat et Lactantio posteriores Eusebium, Nazianzenum, Sozomenum, unde recognitis hactenus

libris juniores habendi sunt. Ambos autem ideo conjungimus, quod doctrina, sententiis, ipsisque aliquando verbis ita inter se conveniant, ut plane ab eadem manu profecti videantur. Nec tamen unum, sed duo carmina efficiunt, quorum summa nobis jam est exponenda.

Prior liber constat versibus tantum 28, estque potius hymno quam vaticinio similis. Incipit enim hoc modo :

Ἀθανάτου μέγαν υἱὸν ἀοίδιμον ἐκ φρενὸς αὐδῶ.

Pergit Sibylla (nam Sibyllinum esse opus e septimi libri fine parebit) Dei filium celebrare, cui pater solium seu regnum dedit antequam in terris gigneretur; qui iterum per baptismum genitus est in Jordane amne flammis ardente, tum quum Spiritum vidit columbæ instar in se descendentem. Vita deinde et miracula Christi paucis versibus absolvuntur, increpaturque Judæa ob ipsius passionem et mortem. Denique Crux laudatur, in qua Deus pependit,

Ἐφ' ᾧ Θεὸς ἐξετανύσθη,

non in terris, sed in cælo mansura, donec in judicio refulgeat, quum Deus ipse rursus se mortalibus videndum offeret,

Ἡνίκα ἀστράψῃ τὸ νέον Θεοῦ ἔμπυρον ὄμμα.

Transimus jam ad septimum librum, in quo nonnulla istis simillima traduntur, sed variis confusisque mixta vaticiniis. Mutila sunt primordia hujus libri, et fortasse semper justo exordio caruerunt, nempe ad Sibyllæ imitationem, trunca et abrupta jactantis oracula, sicut jam de libri III, § 2, initiis observatum est. Versus quidem 7-15, ita fere ut nunc sunt, discerptos atque dissutos jam antea fuisse remur, quam hinc detracti transierint in librum I, v. 183, sqq. Utique tali nunc feruntur initio :

Deflentur paucis versibus, 1-6, futuræ calamitates Rhodi, Deli, Cypri, Siciliæ. Inde, nonnullis insertis de diluvio universo, v. 7-11, transit vates ad Phrygiam, quæ prima undis emersura sit et primum exemplum datura idololatriæ, v. 12-15.

Sequuntur prædicta sine ordine mala multa Æthiopibus, Ægypto, Laodiceæ, v. 16-23.

Tum judicii extremi gravissima comminatio, v. 24-35.

Hinc, velut ultimis temporibus prævia, canuntur novorum Persarum exordia (quorumnam illorum, mox quæremus), Romanorumque adversus illos bellum infelix, v. 36-50.

Sed rursus in confusam farraginem incidimus oraculorum seu potius minarum adversus Trojam, Colophonem, Corinthum, Tyrum, v. 51-63, unde ad Syriam transilitur, v. 64, sq.

Ibi, propter Syriæ cum Judæa vicinitatem, inseruntur quædam de Judæorum mala in Deum fide, v. 66, de incarnatione Christi per ba-

ptismum, v. 67, sqq., de ejusdem in cælum reditu, v. 70, sqq., ac de vera secundum auctorem nostrum religione, cujus ritus quidam singulares exponuntur, v. 76-95.

Rursus vaticinia funduntur in Sardiniam, Mygdoniam, Galliam, Romam, Syriam, Thebas, v. 96-117.

Post hæc quædam leguntur de maris et terræ incendio in fine rerum futuro, v. 118-125, simulque prædicitur impiorum supplicium per ignem, v. 126-131, eorum maxime quos ut pseudo-prophetas et pseudo-Hebræos tangit poeta, ad cleri videlicet christiani partem aliquam, sed incertum quam, respiciens, v. 132-138.

Tum in tertia annorum periodo, ogdoade prima (sic enim textus habere se videtur), futura rerum universarum mutatio canitur, novum quippe cælum et cum ipso nova terra, in qua justi ad vitam revocati manna cælesti vescentur, v. 139-150 : cum quibus se locum habituram sperat vix, et tamen sperat Sibylla (non suo quidem ibi nomine, sed feminino, quo loquitur, genere agnoscenda). Quippe multa præteritæ vitæ flagitia confitetur, et deplorat, v. 151-156, adulteria inprimis, et perjuria, et fores egenis præclusas, et (quis credat?) incestum cum patre concubitum natumque ex eo commercio filium. Quare dicit se flammis ardere et arsuram :

Τοὔνεκα πῦρ μ' ἔφαγεν καὶ βρώσεται.

Neque enim se semper victuram, sed a piratis prætereuntibus lapidibus obrutum iri, v. 157-161. Nec vero deprecatur illam pœnam, sed lapides in suum caput devocat,

Βάλοιτέ με, βάλλετε πάντες,

quo purior inde ad superam vitam evadat, sive, ut ipsa ait, oculos demum ad cælum erigat :

Οὕτω γὰρ ζήσω καὶ ἐς οὐρανὸν ὄμματα πήξω.

Septimus igitur liber, non ut sextus, in quo mere de divinis rebus agebatur, theologica doctrina mixtus est profanaque vaticinatione. Et in priore quidem libro vatis facies velata nos latebat; in hoc vero prodit impudens sub falso Sibyllæ vultu. Fieri igitur potuit ut quicumque auctor sextum librum, parvulum illum, vena effudit, primum de Sibyllæ nomine assumendo minime cogitaverit; deinde audacior factus, ad captandam hominum fiduciam imponendasque vulgo opiniones suas, fictam istam personam induere decreverit.

Ceterum ejus doctrina in utroque libro, de Christi præsertim incarnatione, vitium sonat, non modo quod duplicem agnoscat generationem (id, licet improprie dictum, Patrum tamen quorumdam, præsertim Græcorum, exemplo defendi potest, sicut infra dicetur in Exc. VI), sed quod secundam generationem a Joannis tantum bapti-

smo incipiat, sancti nempe Spiritus infusione sub columbæ specie, perinde ac si tum demum Christus ex homine Deus evaserit : id vero falsum prorsus et hæreticum. Verba sunt ipsa libri VI, v. 3, sqq. :

. . Ἐπεὶ κατὰ σάρκα τὸ δισσὸν
Ἠγέρθη, προχοαῖς ἀπολουσάμενος ποταμοῖο
Ἰορδάνου.....,
Ὃς πυρὸς ἐκφεύξας πρῶτος Θεοῦ ὄψεται ἡδὺ
Πνεῦμ' ἐπιγινόμενον λευκαῖς πτερύγεσσι πελείης.

Ubi et notanda sunt duo verba πυρὸς ἐκφεύξας : alludunt enim ad antiquam traditionem de Jordane tum ardere viso, quum Christus in eo baptizaretur, tanquam illabente Deo super aquas. Ea vero omnia lib. VII rursus obvia reperias ; ac primum de baptismo, v, 66, sq. :

Τλήμων, οὐκ ἔγνως τὸν σὸν Θεὸν, ὅς ποτ' ἔλουσεν
Ἰορδάνου ἐν προχοαῖσι, καὶ ἔπτατο πνεύματι πολλῷ.

Deinde etiam de fluvii incendio, v. 84 :

Ῥαίνων σὸν βάπτισμα, δι' οὗ πυρὸς ἐξεφαάνθης.

Atque hanc totam doctrinam de incarnatione per baptismum non propriam Nostro fuisse, sed communem quibusdam illorum temporum hæreticis, monstrabimus in Excursu VI. Ipsa vero traditio de flumine ardente, ex Ægyptiorum, ut videtur, evangelio desumpta, quamvis hæreseos taxari nequeat, recepta scilicet a multis Ecclesiæ Patribus (confer nos ibid.), tamen quia istorum, quos diximus, hæreticorum sententiæ auxiliatur, merito suspecta est.

Sed et alia hæretici hominis indicia non pauca in septimo libro reperias; præcipue vero ritus quosdam singulares et ab Ecclesiæ usu alienos, ut aves in cælum emissas, v. 79, et aquæ in ignem libationes, v. 81, sqq., cum absonis precationibus, rursus ad falsam de incarnatione doctrinam alludentibus, v. 82, spq. Item, ubi egenus quidam et mendicus, non ante donis adjuvatur, quam baptismum seu quoddam baptismi genus acceperit, v. 87, sqq. Rursus confer Exc. VI.

Nec inter minima hæreseos indicia retulerimus illum quoque locum, v. 132, sqq., adversus falsos prophetas, falsosque Hebræos, qui vitæ rationem (id est, judaïcos, nisi fallimur, mores) immutare volunt, etc. Quæ nos a poeta intendi putamus in Christianos hellenizantes, ideoque in clerum orthodoxum, tum maxime temporis a judaïsmo discedentem veterisque legis reliquias exuentem.

Et tamen iste in quibusdam prava sentiens, in aliis proxime accedit ad catholicam doctrinam purissimam. Nemo enim Sibyllistarum apertius et clarius professus est Christi divinitatem, quam quidem cum humanitate, saltem post baptismum, ita conjungit, ut in cruce etiam perseverare faciat, lib. VI, v. 26 :

Ὦ ξύλον ὦ μακαριστὸν, ἐφ' ᾧ Θεὸς ἐξετανύσθη,

quibus similia e libro VII, pariter de Christi divinitate plenam ac perfectam exhibentia doctrinam, infra proferentur. Etiam orthodoxa sentire videtur de hominum statu post judicium, VII, 124, sqq., 148, sq.; item de igne quo se Sibylla ardere jam et diu arsuram tradit, antequam in superas sedes admittatur, v. 157, sqq., qui quidem ignis ad purgatorii speciem prope accedit. Laudari etiam possunt versus de sanctæ Crucis veneratione, lib. VI, v. 26, sqq., et de virtutibus christianis, VII, 171, sqq. Sed hæc satis sint obiter et carptim indicata, quia theologica nunc attingimus tantum, plura de iis dicturi in Exc. VI.

Præcipue nunc lectorem attendere velimus ad insignem non sententiarum modo, sed et dictionis similitudinem, quæ in utroque libro observatur. Nam præter citata supra de incarnatione, de baptismo, de fluminis incendio, hæc quoque digna sunt quæ inter se componantur, lib. VI, v. 1, sqq.:

Ἀθανάτου μέγαν υἱὸν ἀοίδιμον.....
Ὧ θρόνον ὕψιστος γενέτης παρέδωκε λαβέσθαι
Μήπω γεννηθέντι.....

Confer lib. VII, v. 24, sqq.:

Αὐτὸς ὁ γεννηθεὶς ὁ μέγας Θεός...
Τῷ γάρ τ' αὐτὸς ἔδωκε θρόνον Θεὸς ἐγγυαλίξας.

Item de regia Christi origine, lib. VI, v. 16:

Οἶκος ὅταν Δαβὶδ φύῃ φυτόν.

Confer lib. VII, v. 31:

Δαβὶδ δὲ δι' οἴκου πάντα τελεῖται.

Item de cælestis doctrinæ pane ex sancta Christi radice, quasi frumento quodam, germinante, lib. VI, v. 15:

Ἐκ δὲ μιᾶς ῥίζης ἄρτου κόρος ἔσσεται ἀνδρῶν.

Confer lib. VII, v. 38, sq.:

Ἀλλ' ὅταν ἐκ ῥίζης βλαστὸς νέος ὄμματα λύσῃ,
Τέκνοις ᾗ ποτε πᾶσι τροφὴν διέδωκε περισσήν.

Hæc legenti cuivis et comparanti facile ejusdem auctoris manus agnoscetur. Verum ut auctor ipse cognoscatur, utque definiri possit ejus ætas, reliqua ejus carminum persequenda sunt, et recensendæ septimi libri etiam, quæ hactenus omissæ sunt, profanæ prædictiones. Quarum multæ quidem temere pro libitu scribentis effusæ videntur; aliæ compositæ ad imitationem oraculorum antiquiorum Sibyllinorum aliorumve. Ita respicere videntur ad librum IV, quæ de Cypro et Delo canuntur, v. 5, sq., et quæ de Siciliæ interno igne, v. 6, et quæ de Thebis captis, v. 115; ad librum III, § 3, quæ de Laodicea et Lyco, v. 22, sq., et quæ de Corintho, v. 60, sq., et

quæ de Sardinia, v. 96, sqq., et quæ de Roma Macedoniæ successura, deinde ipsa peritura, v. 108, sqq., et quæ de sonitu tibiarum, id est, tubarum, in urbis expugnatione strepentium, v. 115, sq. Omittimus communia cum primo libro, quæ de diluvio canuntur, v. 7 et 9, sqq., et quæ de Phrygia prima undis emersura, v. 12, sqq., quum incertum videri possit uter liber alteri præluxerit. Aliæ vero quædam prædictiones, ut de Æthiopibus, v. 16, sq.; de Colophone, v. 55; de Tyro, v. 62, sqq.; de Cœlesyria, v. 64, sqq.; de Mygdonia, v. 100, sqq.; de Gallia, v. 103, sqq., utrum e Sibyllinis aliisve deperditis nunc oraculis assumptæ sint, an gratis ac temere canantur, non facile dixerimus. His prætermissis duæ restant, quas non e scribentis ingenio manasse, sed ad veros recentesque casus respicere suspicamur, una nempe, v. 18, sqq., de seditionibus in Ægypto propter Apim expulsum (seu potius inventum ab aliis, ab aliis expulsum : tempus facti incertum; sed similia non semel accidisse, testes sunt omnes auctores et Juvenalis, satyr. XV); altera de novo Persarum imperio ac de Romanorum adversus illos bello infeliciter cessuro, v. 40, sqq., diligentius nunc, quia plus ad nostram rem facit, excutienda.

Quam quidem nos olim de Parthis ac de Crasso interpretari meminimus : nunc vero minime nobis dubium est novum Sassanidarum imperium intelligi, quod anno post Christum 226, imperante Romæ Alexandro Severo, ab Artaxerxe conditum est, quodque paulo post ab Alexandro frustra bello lacessitum, obscure nunc a Sibyllista, sed tamen propius attendenti, satis expresse canitur. Totus enim locus denuo consulendus, et quo magis pateat, paulo altius repetendus, nempe a versu 38 :

Ἀλλ' ὅταν ἐκ ῥίζης βλαστὸς νέος ὄμματα λύσῃ,

. . . .

Καὶ τὰ μὲν ἀμφὶ χρόνοις ἔσται πλέον.

Postquam, inquit, e radice (Davidis scilicet) nova planta (id est, Christus) oculos suos, id est, germina excluserit, multum temporis interfluet (anni nempe plus ducenti). Et statim addit :

Ἀλλ' ὅταν ἄλλοι
Ἄρξωνται Πέρσαι. . . . . . ,

sed quum novi Persæ imperabunt, inquit. Ergo novos intelligit post Christum natum; ergo non alios quam Sassanidas. Deinde nonnulla tradit de eorum moribus, præsertim de incestis nuptiis, notissima omnia, quæ, uti olim sub prioribus Parthis, ita sub secundis etiam Persis vera manserunt; de quibus adi, si vacat, Brissonium de Reg. princ. Pers., pleraque veterum testimonia colligentem. Pergit Noster :

Ὕστερα δ' αὐτοῖς

'Εκλάμψει Ῥωμαῖος Ἄρης πολλῆς ἀπὸ λόγχης...
'Ιταλίης δὲ πρόμος τότε φεύξεται ἐκ δορὸς ἀλκῆς,
Λείψουσι δ' ἐπὶ γῆς χρυσῷ κεχαραγμένον ἔγχος, κ. τ. λ.

En tibi Alexandri Severi adversus Persas expeditio, de qua dissensus quidem est, dissimulato a Romanis eventu, et publica adulatione in triumphi speciem verso. Et Latini plerique historici, vel amore patriæ vel publicis actis decepti, victorem ex Asia Romam Alexandrum reduxerunt. Fatetur tamen Lampridius in ejus vita, fuisse apud ipsos Romanos qui eum crederent « non vicisse Regem, sed, ne vinceretur, « fugisse. » At Græci vel certiores vel sinceriores fuerunt, Herodianus certe, qui partem unam exercitus a Persis oppressam et internecione deletam narrat, Hist. lib. VI, § 13 : Τὸ τελευταῖον, inquit, πάντες διεφθάρησαν, additque gravissimam eam cladem fuisse : Μεγίστη τε αὕτη ἡ συμφορά, quæ militibus magnam desperationem, Alexandro multum dedecoris attulerit : Ὡς μεγίστην ἐνεγκεῖν δυσθυμίαν τῷ στρατῷ, καὶ Ἀλεξάνδρῳ ἀδοξίαν, σφαλέντι καὶ γνώμῃ καὶ τύχῃ, ibid. § 14. Porro id quoque sensisse et scripsisse Sibyllistam libri septimi, certius eo fit quod in alio recentiore Sibyllinorum loco, quamvis lacunoso et mutilo, idem satis aperte pronuntiatum videmus, lib. XII, v. 269, sqq. :

Ἔνθ' ὅτε νηπίαχος Καῖσαρ σὺν τῷ βασιλεύσῃ,
Τοὔνομ' ἔχων βριαροῖο Μακηδονίοιο ἄνακτος,
. . . .
Καὶ τότε δὴ βασιλεῖς Περσῶν ἐπαναστήσονται,
[Καὶ τρώσει] Ῥωμαῖος ἄρης Ῥωμαῖον ἄνακτα.
. . . .
Ῥώμη [δ' ἐν πολίεσσι] πελώριος Αὐσονίῃσι,
Πάνθ' ὅσα [πρόσθεν ἔρεξε. . . . .]
Οἰμώξει. . . . . ἀπολλυμένων ἀνθρώπων
Ἄρεος ἐν παλάμῃσι· κακὴ δέ τοι ἔσσεται αἶσα
Ἀνδρῶν· αὐτὰρ ἔπειτα καὶ ἀντολίης δι' ὁδοῖο
Σπεύδων Ἰταλίην κατιδεῖν, κ. τ. λ.

Quo in loco facile est lacunas omnes mente supplere, nisi quod versu quarto dubium est utrum καὶ τρώσει legas, an καὶ λείψει seu simile quid : sed utcumque imperatoris clades suorum perfidiæ imputabitur. Sequentia plane conveniunt : Romæ enim fatum deploratur, tanquam victæ penitusque concussæ; et statim properat imperator ab Oriente Romam reverti, fugæ potius instar quam triumphi.

Quod si quis dubitat duodecimum scribenti librum fuisse septimum ob oculos, similes modo dicendi formas consideret. In utroque libro Ῥωμαῖος ἄρης, pari figura de eadem re dicitur; et in uno quidem novum Persarum regnum sic indicatur :

'Αλλ' ὅταν ἄλλοι

"Αρξωνται Πέρσαι,

sic autem in altero :

Καὶ τότε δὴ βασιλεῖς Περσῶν ἐπαναστήσονται.

In septimo, 'Ιταλίης πρόμος, in duodecimo, σπεύδων 'Ιταλίην κατιδεῖν: et statim postea in utroque, αἶ αἶ, Λαοδίκεια. Porro liber XII scriptus, uti infra demonstrabitur, Odenati temporibus circa annum 265, septimum manifesto librum ducem habuit, non post se traxit. Quum vero in hoc libro VII respiciatur, uti diximus, ad Alexandri Severi expeditionem, qua victus e Perside rediit anno 233, ac ne verbum quidem de ejus morte addatur, quæ post biennium in Germania accidit Maximini ducis proditione, pæne necesse est scriptum esse hunc inter annos post Christum natum 233 et 235.

Optime cum nostra supputatione convenit hujus libri versus 96 :

Σαρδώ, νῦν σὺ βαρεῖα, κ. τ. λ.

Tempus enim illud fuit, nempe sæculi III primoribus annis, quum multi confessores in Sardiniam insulam relegati, ibique metallis addicti, tristissimo ac sævissimo exsilio multabantur, sicut patet quum ex aliis Ecclesiæ monumentis, tum ex Origenis Philosophumenis a Millero nostro nuper editis, lib. IX, § 12.

Nec adversatur his numeris annorum designatio, utcumque demum capienda, quæ postea fit in hoc eodem libro, v. 139, sqq.

'Εν δὲ τρίτῳ κλήρῳ περιτελλομένων ἐνιαυτῶν,

'Ογδοάτης πρώτης, ἄλλος πάλι κόσμος ὁρᾶται.

Finis enim mundi futurus indicatur in tertii sæculi octava prima (decuriane, an hebdomade annorum, an quid aliud?) : textus obscurus et ambiguus; de quo nos quidem non semel mentem mutavimus, priusquam ad eam sententiam accederemus, quæ nunc unice vera nobis videtur, quæque proponetur in Exc. VI, cap. 15. Nunc satis sit dictum incidere illam in annum multo posteriorem Alexandri Severi temporibus, ideoque cum ceteris rationibus nostris facile conciliari. Nec tamen loci obscuri dubiique textus interpretationem, ut mere conjectaneam, nimium urgere velimus; sufficit eam nobis non obesse. Quid vero si parum convenit cum breviore fatorum Romanorum dimensione, quam libro VIII, v. 148, sqq. institui vidimus atque ipsis numeris definiri? Mirum sane, in prædictione prorsus temeraria non sibi constare Sibyllistas! Ac revera progrediente tempore, et contra oraculorum fidem perstantibus adhuc urbe et orbe, necesse erat terminum fatalem in dies et annos usque prolatari.

Interim nihilo secius fixa manet horum librorum ætas circa annum, quem diximus, 234, atque ideo libris iis qui sub Antonino Pio scripti sunt, uno fere sæculo posteriores sunt. Nihil igitur valde mirum, si

uterque multa ex libris prioribus desumpta habet, ut illa supra notata: quibus adde, si ad minutiora descendere vacat, similes quoque dicendi formas, ut VI, 9, sq.: Δείξει δ' ἀνθρώποισιν ὁδούς, κ. τ. λ., e libro VIII, v. 399; et ibid. v. 13, sqq.: Κύματα πεζεύσει, κ. τ. λ., e libro VIII, v. 273, sqq.; et ibid. v. 24: Φοβερὴν δὲ χολὴν, κ. τ. λ., e libro VIII, v. 303; et quæ leguntur de incendio orbis terrarum, VII, 120 sqq., ex acrostichide libri octavi, v. 225, sqq.

Auctor autem qualis fuerit, jam supra significavimus. Christianus nempe (quis hoc possit ambigere?), sed Judæus origine, et judaïzantibus annumerandus: satis hoc arguit locus ipse supra laudatus, v. 132, sqq. adversus eos qui, ovina pelle vulpinos sensus abscondentes, falso se Hebræos jactant:

Οἱ μὲν δυσάμενοι προβάτων λασιότριχα ῥινὰ,
Ἑβραῖοι ψεύσονται, ὃ μὴ γένος ἔλλαβον αὐτοί,

quique sub verborum specie lucrum solum quærentes, hominum vitam mutare contendunt, id est, judaïcos mores ritusque; nec tamen, inquit poeta, fucum facient justis:

Οἳ βίον ἀλλάξουσι, καὶ οὐ πείσουσι δικαίους,

ubi tu δικαίους intellige Christianos qui in judaïsmo perseverabunt. Adde, leviora licet indicia, bis memoratam Davidis domum, VI, 16, et VII, 31, et Jordanis amnis laudem, VI, 5. Nec obstat quod libro VI, v. 21, in pleribus codd. et in vulgatis edd., turpi nomine, Σοδομῖτι γαίη, Judæa compelletur, quum videatur olim lectum fuisse Σολυμῖτι: confer cur. post. ad h. l. Sed et Σοδομῖτι stare possit, ad exemplar prophetarum, Solyma sæpe cum Sodomis seu contumeliose seu minaciter comparantium: confer Isaiam, cap. 1, v. 9, sq.; Jerem. cap. 23, v. 14; Ezech. cap. 16, v. 48, etc.; necnon Apocalyps. cap. 11, v. 8, ubi mentio est Hierosolymorum, tanquam « civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma ».

Magis mirandum tertio sæculo jam fere medio, fuisse adhuc Christianos qui judaïcam traditionem retinerent. Hoc tamen certissimis Patrum testimoniis confirmabitur in Exc. VI.

Restat ut patriam adoptivam poetæ nostri, quæ fuerit, inquiramus. Ea nullis certis indiciis deprehendi potest. Non videtur tamen Ægyptia, quoniam Ægyptus ab illo semel tantum ac breviter, quamvis honeste, compellatur, lib. VII, v. 18, sqq. Syria fortasse paulo sæpius, ut v. 114:

Ἄρτι δέ σε, Συρίη τλῆμον, κατοδύρομαι οἰκτρῶς,

et v. 64, sqq.:

Ἆ Συρίη κοίλη, Φοινίκων ὕψοθεν ἀνδρῶν
Οἷς ἐπερευγομένη κεῖται Βηρυτιὰς ἅλμη,

ubi nota Cœlen Syriam designari Phœnicii litoris, tanquam notioris, confinio; et adde, si libet, aliam Phœnices mentionem, v. 62, sq. :

Τύρε, σὺ δ' ἥκιστα, κ. τ. λ.

. Sed illa tamen Phrygiæ compellatio, lib. VII, v. 12, sqq., quæ inde in librum I, v. 196, sqq. transiit, iisdem utrobique verbis :

Ὦ Φρυγίη, πρώτη δ' ἀναλάμψεις ὕδατος ἄκρου, κ. τ. λ.,

libentius nobis persuadet, fuisse Nostrum, sicut auctores librorum I et II mox citandos, e Phrygia oriundum, ubi complures sectas judæo-christianas exstitisse certissimum est, Cataphrygum præsertim, quorum mentionem facit Epiphanius, Hæres. 48. Si quis tamen Syriam seu Phœnicen maluerit, ob illos supra dictos locos, non repugnabimus; eoque minus, quod Tatiani discipulos Encratitas, ad quos videtur pertinuisse Noster, in Syria floruisse constat.

Hic ergo Judæus origine, religione Christianus Judaïsta, domicilio Phryx aut Syrus aut Phœnix, opinionibus nonnullis hæreticus, nec mirum si Christianis hellenistis et clero orthodoxo infensus, nobis videtur primo sub hymni sacri specie, et quis scit an doctrinæ suæ propagandæ causa? librum sextum composuisse; deinde, pari consilio, sibyllizare cœpisse, id est, Sibyllinos libros nostros æmulari: quorum fama, uti fortassis in Ægypto jam tum elanguerat, sic in Phrygia et in ceteris Asiæ minoris partibus vigebat adhuc, uti credimus, incolumis. Differt vero a ceteris Sibyllistis primum quod, contra illorum morem, præcipuum sibi videtur dogmatis alicujus suadendi proposuisse finem; deinde quod de canentis persona commentus est singularia quædam et enormia, ceteris ante se incognita, quæ præsertim in epilogo libri septimi traduntur.

Nam quum ibi Sibylla dixisset justis affore Deum in Paradiso « bona cuncta docentem, abrupto saltu transit ad se, pariter, inquit, a Deo edoctam, miseram quamvis et impuram, v. 151, sqq. :

Ὡς ἐμὲ τὴν λυγρήν. Ὅσα γὰρ κακὰ πρόσθεν ἔρεξα
Εἰδυῖ', ἄλλα τε πολλὰ, κ. τ. λ.

Pergit sic vitæ anteactæ flagitia confiteri, quæ supra, pag. 381, enumeravimus; fœdumque illud et cruentum, quod ibi diximus, mortis genus invocat, ex quo purior ad novam vitam evolet :

Οὕτω γὰρ ζήσω, κ. τ. λ.

Quæ omnia possintne cum ceteris de Sibylla seu profanis seu judaïcis seu christianis traditionibus utcumque conciliari, quærant, qui nodis difficilibus solvendis insudare amant. Certum est multa ex iis in epilogo tertii libri pæne iisdem vocibus expressa legi, verum ibi spuria et interpolationibus adulterata, uti docebimus infra, cap. 13 : nunc enim a libris VI et VII tempus est ad ulteriora properare.

CAP. X. *De primo libro et secundo.*

Pervenimus jam ad eos libros quos recentioris ætatis suspectos eo magis haberi licet, quod a nullo priscorum Patrum citati reperiuntur. Quorum agmen ducunt primus liber et secundus. Nam ex iis apud antiquiores nullus versus prolatus exstat, nisi qui pariter, imo rectius ex aliis libris repeti possit. Prior tamen a Lactantio et Eusebio semel aut bis videtur innui, sed obscure et ambigue. Quanquam utrumque antiquum esse, nec posteriorem sæculi tertii media parte tuto asseri potest, quia in libris ultimis XI-XIV, ad illam ætatem pertinentibus, multa ex utroque decerpta passim agnoscuntur.

Ambo autem cur inter se necessario conjungendi sint, infra dicemus, atque id colligere quivis poterit vel ex ipso eorum argumento continuoque rerum tenore, qualem jam ostendemus.

Unum commune ambobus argumentum optime proponitur in limine ipso libri primi :

Ἀρχομένη πρώτης γενεῆς μερόπων ἀνθρώπων
Ἄχρις ἐπ' ἐσχατίῃσι προφητεύσω τὰ ἕκαστα.

Tota enim generationum humanarum series illis duobus libris continetur ab orbe condito usque ad extremum judicium. Simul ea omnia Sibyllæ nomine cani atque prædici satis ostendit participium ἀρχομένη feminino genere positum, quod etiam firmabitur aliis infra testimoniis, I, 287, sqq.; II, 1, sqq., 340, sqq.

Age, videamus quid personata illa Sibylla canens inducatur.

Primordia libri I magis historiæ quam vaticinio similia proferri, ætatis causa, necesse fuit. Itaque post Adami et Evæ creationem, delictum, pœnam, recensentur quinque hominum generationes, in quarum ultima, omnium corruptissima, diluvium universum, Dei jussu, primum a Noemo prænuntiatur, v. 128, sqq., erumpit deinde, ac magno apparatu poetico describitur, v. 214, sqq.

Hinc nova progenies incipit, v. 283, sqq., quam ipsa Sibylla sextam vocat, post diluvium primam, cujus se participem canit, nurus quippe Noemi, ex arca cum socero egressa; ac deinceps incipit futura vaticinari, non jam, sicut antea, præterita narrare.

Fingit autem in illa sexta generatione, v. 291, sqq., tres reges fore justissimos, qui generis humani regimen inter se partiantur. Quosnam illos, nisi tres Noemi natos? Quanquam unus saltem, ceteris deterior, excipiendus erat, quod Sibylla minus curavit, aliud quippe meditans : nam eos videtur cum tribus Saturni natis, id est, cum præcipuis gentium diis, confundere voluisse (id nos, sed conjectura tantum, propter sequentia, divinamus). Utique generationem illam,

quam suam agnoscit, ut diximus, felicem omnino et aureæ cuidam ætati similem fingit, cujus participes qui fuerint, ii etiam post mortem beati seu divi (μάκαρες) nuncupabuntur.

Septima inde generatio, a diluvio secunda, incipit, v. 307, sqq. Ea Titanum erit, quorum statura ingens animusque ferox effinguntur; simul omnium lingua una fuisse dicitur, eadem videlicet quæ hactenus humano generi communis fuerat. Atque ita Titanes aperte confunduntur cum impia illa progenie, post diluvium exorta, de qua scriptum est in Genesi, cap. 11, v. 1 : « Erat autem terra labii unius « et sermonum eorumdem. » Et illi quidem, teste Sibylla, cum Deo præliari contenderunt (id quoque sicut Titanes, nec sine respectu ad turrim Babel), quos erumpens Oceanus perditum ibat, v. 315, sqq. (vide an Ogygium diluvium intelligas), nisi Deus indignans fluctus emotos compressisset, pollicitus nempe, v, 317, sq., nullum postea diluvium futurum, sicut in Genesi, cap. 9, v. 11.

Statim autem post illam maris exundationem coercitam, v. 319, sqq., descendit in terras Dei Filius Jesus Christus, v. 324, sqq..... Quis non obstupescat immensam illam rerum prædictarum lacunam? Quæ licet in Sibyllinis codd. et edd. nullo hactenus indicio signata fuerit, tamen nec talis semper fuisse potest, nec primario auctoris consilio imputari. Utrum vero librariorum codicumve vitio, an alicujus editoris consilio suppressa sint quæ hic desunt, alias inquiremus : nunc lacunam tantum et interruptam rerum seriem notamus.

Vita inde Christi et miracula et passio et mors et resurrectio prædicuntur sexaginta fere versibus, 324-382. Tum christianæ religionis exordia, v. 383-386. Hinc eversio dispersioque gentis Hebrææ, v. 387-398, ceterarumque civitatum horrendi inter se conflictus, quod scilicet in se Dei ultoris iram scelere suo devocaverint :

'Επεὶ κακὸν ἤλιτον ἔργον,
Δεξάμεναι μεγάλοιο Θεοῦ χόλον ἐν κόλποισιν.

Desinit hic in edd. (nam codices alii aliter, qua de re plura nos infra) is qui vulgo primus dicitur liber; atque hinc secundus incipit.

Quum me Deus, inquit Sibylla, paulisper a cantu requiescere sivisset, idem me rursus novis stimulis agit, atque in nova impellit vaticinia, II, v. 1, sqq.

Postquam igitur tremoribus atque omnigenis calamitatibus terra vacua ac deserta remanserit, v. 6-14, decima exsistet ætas, tum quum Deus idololatriæ finem imposuerit et Romanum fregerit imperium, v. 15-19. Labentur sanguineæ de cœlo guttæ, v. 20, cædibusque et bellis magna fiet per orbem terrarum desolatio, ut vix hominis vestigium inveniatur, v. 21-27. (Sunt hæc non decimæ, etsi olim

aliter sensimus, sed nonæ seu præsentis generationis ad finem vergentis ultima fata, cui jam decima sit successura, sicut modo dictum est, v. 25 : Δὴ τότε καὶ δεκάτη γενεὴ μετὰ ταῦτα φανεῖται). Tum quippe justorum salus a Deo veniet, v. 27, sq., et pax et mira quædam felicitas terris florere incipiet, v. 28-33. (Sane simile hoc videtur terrestri justorum regno, quale olim futurum ante supremi judicii diem Millenarii sibi fingebant. Sed juxta hujus Sibyllæ mentem, regnum istud est, quantum nobis quidem videtur, Christianorum; ita ut decima illa, quæ modo prædicebatur, ætas non alia sit quam christianæ Ecclesiæ post eversum imperium Romanum in terris dominatio : quæ res plenius a nobis discutietur in Exc. VI).

Et tum in cælo lucebit per multos dies ignea corona, v. 34, sqq., quæ justos præmii spe ad certamen invitabit, præsidente Christo et victoribus æternam palmam offerente, quicumque strenue adversus sæculi vitia depugnaverint, v. 37-55.

Huc inserta legitur, v. 56-148, longa series gnomicorum e Phocylide præceptorum, id est, ipsius Phocylidei carminis versus primi LXXIV, paucis demptis, admixtis vero aliunde pauculis, nempe duobus e Theognide, v. 109, sq., et nonnullis aperte christianis aut judaïcis e sancta Scriptura. Quod fragmentum in quibusdam codicibus omissum, apud editores et interpretes interpolationis suspicione non caruit, tractandum nobis seorsim in proximo cap. 12.

Hoc, inquit Sibylla, certamen erit; hic labor, æternis præmiis coronandus, v. 149-153.

Sed quum prodigium omnibus in terris exstiterit, infantes cano crine nascentes, v. 154, sq., et quum feminæ parere desierint, v. 163, sq., heu! quæ fiet hominum strages ac desolatio! v. 156, sqq. Tum enim messis aderit tempus, v. 164, sq., id est, suprema generis humani pernicies. (Ergo post illam, quæ modo canebatur, justorum felicitatem mala nuntiantur repente ventura et mundo finem allatura; quale aliquid est in Apocalypsi, cap. 20, v. 7 : « Et quum consummati « fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, etc. »)

Tum prædicuntur falsi prophetæ, v. 165, sq.; Belial, sive Antichristus, v. 167, sqq.; reditus decem tribuum (male in textu δωδεκάφυλος pro δεκάφυλος), ipsarumque successus primum, deinde clades, v. 170-176. Proximi tum judicii signa, v. 179-186. Elias Thesbites de cælo venturus, v. 187, sqq. Denique rerum finis, v. 190-213, et judicium supremum, multis versibus descriptum, v. 214-256. Post hoc, improborum pœna inferno igne cruciandorum, v. 257-313; justorum autem in Paradiso felicitas æterna, v. 314-330.

Sed errat poeta quod justorum intercessione, improbos quoque,

seu certe improborum partem, ex infernis post judicium suppliciis aliquando exemptum iri prædicit, eosque sic e Gehenna in Paradisum transferre nihil dubitat, v. 330-339, qua de re plura nos in Exc. VI.

Hic Sibylla de suis ipsa fatis sollicita, v. 340:

Αἲ αἲ ἐγὼ δειλή, τί γενήσομαι ἤματι τῷδε;

delicta vitæ suæ, qualia fere sub finem libri septimi (confer supra, p. 381 et 388), confitetur atque deplorat, v. 340-345. Invocat ergo Dei misericordiam, v, 345, sq., atque interim requiem precatur a canendi necessitate, v. 347, sq.:

Ἧδε δ' ἐγὼ λίτομαί σε, βαιὸν παῦσαί με ἀοιδῆς,
Ἅγιε μαννοδότα, βασιλεῦ μεγάλης βασιλείης.

Hic libri secundi finis.

Porro primos duo libros revolventibus nobis palam factum est id quod in ipso libri primi exordio nuntiabatur, totam iis ambobus contineri generis humani (sacram, non profanam) historiam, quamvis lacunis duabus magnis hiantem, primum a septima generatione (seu post diluvium secunda) usque ad Christi adventum; deinde a christianæ religionis incunabulis usque ad ultimæ generationis finem. Illas autem in carmine lacunas vix capimus ab ipso Sibyllista relictas esse, quum tam facile versibus aliquot interjectis suppleri aut dissimulari possent. Imo palam est horum librorum auctori, quisquis fuit, propositum aliquando fuisse ut septimæ generationis res gestas ultra libri primi versum 323 produceret; quippe quum supra, v. 310, hemistichium hoc scriberet:

Φωνὴ δὲ μί' ἔσται,

quasi viam parans secuturæ mox narrationi seu prædictioni de Babelica turri linguarumque dispersione. Necesse est igitur ut post v. 323 quædam non primarii auctoris consilio, sed vel temporis injuria interciderint, vel, quod magis credimus, aliquot ex eo loco paginæ ab aliena manu revulsæ sint. Mirantibus vero nobis tales tantasque lacunas in ea præcipue tempora cadere quibus amplior historiarum materia suppetebat, nempe inter diluvium et Christum, deinde inter duos Christi adventus, non potest non succurrere factum hoc esse ab aliquo sive editore sive librario (passim emendatorem, passim epitomatorem vocabimus), qui ex omni horum librorum argumento ea tantum retinuere voluerit quæ ad sacram historiam pertinebant: id infra demonstrare conabimur.

Nec minus tamen, vel ex iis quæ supersunt, facile amborum librorum cognatio agnosci potest. Non enim solum, ut diximus, utriusque libri unum est propositum, unus tenor, una rerum, quanquam

bis interrupta, series; sed et libro II, ubi mortuorum animæ ad Dei judicium evocantur, v. 231, sqq.:

Καὶ πάσας μορφὰς πολυπενθέας εἰς κρίσιν ἄξει,
Εἰδώλων τὰ μάλιστα παλαιγενέων Τιτήνων,
Ἠδέ τε Γιγάντων, καὶ ὅσας εἷλε κατακλυσμός,

respicit haud obscure poeta ad ea quæ de Titanibus et Gigantibus et de elapsis ante diluvium generationibus libro priore dixerat.

Adde quod in utroque libro frequentes occurrunt non unius, sed complurium aliquando versuum pericopæ e ceteris decerptæ Sibyllinis, ut in Noemi prædicatione quædam satis notanda, lib. I, v. 183-198 (confer VII, 7, sqq.), et pleraque de Christi vita, v. 351-383 (confer VIII, 269, sqq.), et exordium libri II (ter obvium libro III), et de impiorum pœnis, lib. II, v. 298-313, ac de aurea justorum in terris felicitate, lib. II, v. 320, sqq. (confer VIII, 209, sqq.), item de Sibyllæ flagitiis ac pœnitentia, v. 341, sqq. (confer VII, 151, sqq.) Quorum plagiorum exempla rarius occurrunt in reliquis libris, nusquam sane tam manifesta, tam audacia, nisi in tertii parte prima, quam secundi appendicem esse monstrabimus, et in libris quatuor ultimis, quos omnium dicemus esse recentissimos ac deterrimos.

Est præterea inter utrumque librum similitudo quædam orationis, interdum ad vim poeticam assurgentis, interdum flaccæ et caducæ. Nonnunquam adversus syllabarum quantitatem peccatur, et quod notandum, in iisdem potissimum verbis, ut in Γιγάντων prima producta, lib. I, v. 124, et lib. II, v. 233; Ἑβραῖοι, prima mediaque correptis, lib. I, v. 346, 362, 387, 395, et II, v. 170, 173, 175. Aliud metri vitium utrique libro commune est, quum post prius hemistichium brevis unius syllabæ spatium vacat, qua de re plura nos in Exc. VII. Vocabulorum ex hebraïca lingua petitorum nec ad græcum morem inflexorum exempla sunt in utroque libro non pauca, ut libro I, Ἀδάμ, Νῶε, Ἀραράτ, Σαβαώθ, Ἰσραήλ; libro II, Σαβαώθ, Ἀδωναΐ, Βελίαρ, et Angelorum prophetarumque nomina complura, qualia vix ulla in libris antiquioribus aut perpauca reperias. His adde libro I, v. 103, εἰς Γέεναν, et lib. II, v. 292, ἐν Γεένῃ. Nominum etiam a græca mythologia ad sensus allegoricos detortorum, crebrior in utroque libro quam in reliquis usus est, ut lib. I, Τάρταρος, Ἔρεβος, Νηρεύς, Ἐννοσίγαιος; libro II, Ἥφαιστος, Τάρταρος, Ἠλύσιον, Ἀχερουσιάς, κ. τ. λ.

Sed et ipsi codices manuscripti cognationem istam agnoscere videntur, quorum nonnulli, iique optimi, inter primum et secundum librum, omisso titulo, transitionem duntaxat habent prosa oratione scriptam: Ὡσαύτως καὶ τοὺς πολυθεΐαν νοσοῦντας, κ. τ. λ. (reliqua vide in notis ad hunc locum); et iidem in fine libri II stichometriam

habent ψνη', unus vero cod. ψμς', id est, 768 vel 756, quæ manifesto, utcunque scripta, libros ambos comprehendit, hodie summam habentes 745. Multi denique codices ante librum, qui hodie tertius fertur, sive in fronte sive ad marginem verba hæc addunt, ἐκ τοῦ δευτέρου λόγου, ut illis manifesto tertius liber pro secundo, atque ideo priores duo pro uno haberi videantur.

In optimis denique codicibus R. L. F. passim per hos duos libros reperiuntur transitiones plane ejus, de qua modo diximus, similes, pariterque prosa oratione scriptæ, quæ ideo intercalatæ videntur ut ii libri eorumque inter se partes, ceu membra unius corporis, arcte conjungantur. Quarum exempla sunt post lib. I, v. 359, et libri II, sicut diximus, initio, et sub initia libri III. Nec dubitamus similem aliquam olim lectam fuisse, nunc vero amissam desiderari, libro I, post v. 323, in hunc fere modum : Εἶτα καταλέγεται ἡ Σίβυλλα τὰς μελλούσας ἐν τῷ κόσμῳ γενήσεσθαι βασιλείας σὺν ταῖς μεταξὺ γενεαῖς ἄχρι τῆς ἐσχάτης, ἥν φησιν Ἑλλήνων ἔσεσθαι καὶ Ῥωμαίων, ἐν ᾗ καὶ φανήσεσθαι τὸν Σωτῆρα ἡμῶν Χριστὸν, λέγουσα τάδε, Δὴ τότε καὶ μεγάλοιο Θεοῦ παῖς, κ. τ. λ. Quarum transitionum quæ fuerit origo quodve consilium alias disquiremus (confer infra cap. 16) : nunc unum velimus observari, non alibi illas in Sibyllinis occurrere quam in his duobus libris et in prima tertii parte, prioribus, uti mox dicemus, libris affini, quo manifestior amborum cognatio deprehenditur. Simul inde clarius enitet, quid operis vetus emendator et quo modo sit exsecutus. Primum ex his duobus libris omnia, quæ sibi supervacanea videbantur, recidit : quæ recisa erant, transitiunculis supplevit : simul duos libros, breviores ita factos, in unum redegit ; iique diu sic in manuscriptis conjuncti manserunt, donec singulari quodam fato ab editoribus nostri ævi rursus in duos, quot olim fuerant, libros distraherentur.

Quemadmodum autem recisa quædam et amputata, non casu, sed ex industria, ab editore sive emendatore isto diximus, ita quædam addi et interpolari ab eodem potuisse forsan aliquis suspicetur : de quo nunc inquirendum.

Jam a libri primi exordio usque ad versum 324, unde Christi res gestæ incipiunt, nullum est interpolationis indicium, nisi quod in prædicatione Noemi fortasse suspecta esse possunt 1° ænigma de nomine Dei, v. 137-146 ; 2° locus e tertio libro repetitus, v. 184-187, cui statim subjicitur locus alter e septimi libri initio, v. 193-198. Nec nos omnino negamus istud ænigma per hominum manus et ora prius cursitare potuisse quam Sibyllino libro includeretur : tamen quum simile alterum atque ex eadem prorsus officina paulo infra sit occursurum, de Jesu quippe nomine, v. 326-331, patet utrumque ab

auctore primario, sive sua ipsius sive ex aliena penu depromptum (parvi quidem id refert), in illam, quam nunc habet, sedem illatum esse. Ab auctore diximus, non ab alio. Si enim ab emendatore, cui bono? præsertim quum ipse magis epitomen suscepisset quam amplificationem hujus libri. Idem de duobus sequentibus locis dicendum, quos nulla erat causa cur e tertio vel septimo libro huc afferret epitomator, nisi eos in primario textu invenisset.

Post lacunam, suspecta etiam esse possit pars omnis quæ de Christo agit, propter crebriorem in ea libri octavi imitationem, seu potius audacem et importunam transcriptionem. Verum inter hanc et priorem libri hujus partem diximus similia quædam et cognata reperiri, ut illos duo griphos, alterum de Dei, alterum de Jesu nomine, supra citatos. Adde passim notandam dictionis similitudinem, et quasdam communes voces, ut ἀπιστοκόρος, v. 150, 177, rursusque v. 329. Nec plagia quidquam officiunt: primum, quod per totum librum non pauca hujusmodi notaverimus; deinde quod multo plura et audaciora recursura sint in libris XI-XIV, huic prope supparibus. Atque id in genere dici potest, Sibyllistas omnes sese invicem excerpendi et compilandi licentia abusos esse, maxime vero recentissimum quemque, ut e libris nostris inter se comparatis apparebit. Denique si hæc ab auctore primario hujus libri profecta non sunt, ergo ab editore sive interpolatore, de quo modo egimus. At id difficile concedemus, potuisse hominem mediocris sane ingenii ac minime poetam, etiam adhibitis ceterorum librorum auxiliis, tam apte concinnare aut, si cui magis placet, consarcinare totam illam de Christo pericopen versuum fere LXX; præsertim quum in iis occurrant bona quædam et satis eleganter dicta, quæ nec in ceteris libris usquam occurrunt, et hic ideo sunt pro novis habenda, ut illud, v. 336, sqq.:

Ἀλλ' ὁπόταν φωνή τις ἐρημαίης διὰ χώρης
Ἥξει ἀπαγγέλλουσα βροτοῖς, κ. τ. λ.

Et illud, v. 379, sqq.:

Αὐτὰρ ἐπὴν ἔλθῃ τρισὶν ἤμασιν εἰς φάος αὖθις,
Καὶ δείξῃ θνητοῖσι τύπον, κ. τ. λ.

Et paulo infra, v. 383, sqq.:

Τοῦ καὶ ἐπωνυμίῃ βλαστὸς νέος ἀνθήσειεν
Ἐξ ἐθνῶν, κ. τ. λ.

Et sequentia, usque ad libri finem, v. 387, sqq.:

Ἔνθεν ὅταν Ἑβραῖοι, κ. τ. λ.

Quæ omnia, ut per se bona sunt, ita per se sola stare non possunt, et cum iis quæ præcedunt quæque sequuntur tam arcte cohærent, ut

si cetera, ista quoque pro interpolatis habenda sint. Satius ergo videtur omnia retinere, eaque scriptori primario imputare.

Idem fere dici potest de secundi libri plagiis, ac primum de aureæ felicitatis descriptione quæ legitur libro II, v. 27, sqq., quamvis magnam partem e libro VIII huc illata: neque enim propter ipsam sententiarum ac versuum seriem facile demi potest; et quum chiliasmum primævæ Ecclesiæ, etsi fortasse falso, redoleat, suppressa potius quam adjecta fuisset ab epitomatore serius vivente, eoque magis circa orthodoxiam sollicito.

Quæ postea de pœnis impiorum ac de præmiis justorum sub finem libri leguntur, v. 294, sqq.; 314, sqq., sunt quidem et ipsa plagii rea, quippe pleraque e libro VIII desumpta; minime tamen recidi possunt, ideoque a primaria manu prodierint necesse est.'

Restat insertum secundo libro, v. 56, sqq., fragmentum Phocylideum versuum XCIII, quod quia multis suspectum fuit, idque non contemnendis de causis, attentius est considerandum. De quo tamen quum judicium nullum statui possit, nisi perpensis in utramque partem compluribus argumentis, tota nobis illa controversia, ne moras nectat longiores, proximo capite tractanda reservabitur.

Excepta vero gnomica ista digressione (quam ne ipsam quidem excipiendam fuisse monstrabimus), fidenter asserere ausimus nullum alicujus momenti fragmentum ab ignoto illo emendatore interpolatum fuisse. Id ipse neque potuisset neque tentasset, præsertim si deterioribus sæculis vixisse fingatur, tum quum metricæ rei admodum imperiti erant vel qui doctissimi habebantur. Tantum ad nectendam orationis seriem, ubi quid recisum esset, unum et alterum fortasse versiculum additum, si quis volet, confitebimur; quod et raro factum putamus, et si quando factum est, metri vitiis plerumque haud difficile agnoscetur. Ubi transitione longiore opus fuit, prosa Noster oratione, sicut supra vidimus, uti maluit.

Itaque, quamvis diu dubitaverimus utrum prologi saltem et epilogi horum librorum ab eadem, qua reliquum carmen, officina profecti essent, nunc firmata sententia, intactas putamus has quoque partes. Nam exordium quidem libri primi quum, ipso sententiarum nexu, tum etiam in versu octavo grammatica necessitate cum sequentibus conjungitur. At exordiumne libri secundi suspectum magis interpolationis erit? Minime, quum editor aut librarius, quisquis fuit, potius e duobus libris unum quam ex uno duos efficere tentaverit. Imo miramur exordium ullum hoc loco relictum, quum transitio intercalata sufficeret: Ὡσαύτως καὶ τοὺς πολυθεΐαν, κ. τ. λ.

Magis suspicioni obnoxius est hujus secundi libri epilogus, v. 340-

348, in quo se Sibylla omnium flagitiorum ream facit, turpissimisque se diffingit coloribus, magnam partem ex epilogo septimi libri desumptis. Sed fatendum est opportune admodum, atque ipso rerum ducente filo, Sibyllam huc prodire, quæ in prologo libri primi et in ejusdem media parte, v. 288, sqq., videndam se quasi per transennam obtulerat, in secundo autem prorsus hactenus latuerat. Nec, quod hi versus e septimi libri fine huc sint adducti, multum nos movet audacia plagiarii, qui per totum fere horum librorum decursum in similibus furtis deprehensus est. Imo si propius attendas, quum Sibyllistæ falsorum ante se Sibyllinorum lectione pleni essent, pæne necessario factum est ut, qui eorum ultimi scripserunt, centonibus similia scriberent, sive volentes, sive parum curantes, sive etiam inscii atque nolentes: ut in hoc ipso epilogo, versus 334 ductus est e libro VIII, v. 270; versus deinde 340, 345, 350, 357, sqq., 365, 367, 372, sqq., magnam partem petiti sunt e lib. VIII, v. 316, 254, 228, 275, sqq., 289, 303, 294, sqq.; versus 385 e lib. III, v. 195, etc. Quæ omnia e multis variisque locis fortuito huc sunt ingesta, prout se scribentis memoriæ sponte obtulerant. Velit forsan aliquis duos saltem ex epilogo recidi versus ultimos: Ἤδε δ' ἐγώ, κ. τ. λ. Sed ne hoc quidem facile concesserimus: nam iis amputatis, truncus et decurtatus videretur epilogus, qui profecto in versu 346 ita clauso, ἀναιδέα πρήξασάν γε, consistere nullo modo potuit.

Ergo ad finem usque totum hoc carmen, quo duo primi libri comprehenduntur, ex ingenio primarii auctoris prodiisse censemus, recisis tantum in medio nonnullis versibus, additis vero paucissimis ab epitomatore, qui nec ideo malæ fidei damnandus est, si ipse, ut videtur, manu sua, non πρῶτος λόγος in fronte libri primi, sed ἐκ τοῦ πρώτου λόγου inscripserat, quod hodieque in manuscriptis legitur.

Imo, quod maxime ejus fidem testatur, non omnia, quæ minus probabat, amputavit, sed quædam scripta reliquit, a quibus ipse scribendis profecto abstinuisset, ut illud in fine hujus secundi libri de pœnis impiorum aliquando desituris, v. 331, sqq. Quod ita visum est intolerandum vel ipsi vel, uti magis arbitramur, recentiori alicui librario, ut ἀντίῤῥησιν asperrimam, Ψευδῆ προφανῶς, κ. τ. λ., codici suo affixerit, legendam inter nostras ad finem libri secundi notas, et plenius discutiendam in Excursu VI.

Necdum tempus est epitomatorem illum quis fuerit, aut quando vixerit, inquirere: opportunius id agetur infra, cap. 16. Interim, omissa posterioris recensionis cura, libros ipsos, quales hodie prostant, intueamur, deque iis ac de eorum auctore primario judicium feramus. Scripti sunt calamo non optimo, facili tamen et expedito. Peccant

interdum, raro tamen, adversus metricas et grammaticas leges, sicut in Excursu VII ostendetur. Sæpius, ubi auctor venæ suæ indulget, non carent quodam vulgaris elegantiæ colore, ut, exempli causa, satis placent quæ libro primo de mundi et hominis creatione scripsit, v. 5-64, et quæ ibidem de diluvio, v. 214-229, et quæ secundo libro de suprema mundi desolatione, v. 154, sqq., de impiorum vitiis, v. 256, sqq., deque ipsorum suppliciis, v. 294, sqq. In reliquis neglecta multa et properantius effusa nos offendunt. Displicet vero maxime plagiorum audacia, qua multa ex Hesiodo compilavit passim, ubi de primis hominum generationibus sermo est, lib. I, v. 65, sqq.; multa etiam uno tenore transcripsit e Phocylide, lib. II, v. 56, sqq.; quædam e Theognide, ibid., v. 109, sq.; longe autem plura ex aliis Sibyllinis libris, uti supra diximus. Atque hæc postrema furta juniorem ipsum faciunt iis saltem Sibyllistis in quorum scripta involavit. Quum vero nonnulla etiam e libro septimo desumpserit (ea nos suis locis modo indicavimus), posterior necessario habendus est auctore istius libri VII, quem supra demonstravimus sub Alexandro Severo post expeditionem Persicam esse scriptum. Quumque hoc ipsum vicissim carmen excerptum compilatumque reperiatur in libris XI-XIV sub Odenato scriptis (confer præcipue lib. XI, v. 8, 11, 12), necesse est inter annos post Christum 235 et 267 prodierit. Id multa confirmant, sed præsertim metricæ rei negligentia quam supra notavimus, et ille in nominibus hebraïcis terminationum minus græcarum usus, quæ signa sunt deterioris ævi, nec ab ætate librorum quatuor ultimorum, plura quidem, sed eadem fere peccantium, valde remoti.

Etiam tertium a Christo sæculum et illam, quam diximus, ætatem indicare nobis videntur, quæ leguntur lib. I, v. 389, sqq., de imperiorum seu potius imperatorum crebris vicibus:

Μετὰ δ' αὖ βασιληΐδες ἄλλαι
Συνεχέως ἔσσονται ἀπολλυμένων βασιλειῶν,
Καὶ θλίψουσι βροτούς.

Cadit enim recte istud vaticinium in triginta tyrannorum ætatem miserrimam et generi humano perniciosissimam. Etiam persecutionum adversus Christianos ardorem nondum deferbuisse patet, quum hæc scriberentur, lib. II, v. 262:

Βλάσφημοι δ' ἐγένοντο, καὶ εὐσεβέων κεραïσταὶ,
Πιστολέται, καὶ τῶν ἁγίων φθιστήνορες ἀνδρῶν,

idque nos inducit ut de Decii præsertim temporibus crudelissimis cogitemus, quæ tertii sæculi media fuerunt.

Denique aliquod etiam ejus ætatis indicium peti potest ex unanimi sanctorum Patrum silentio, qui ex his libris nullum omnino versum

afferunt, imo an ad eos usquam respexerint incertum est (confer supra, pag. 314). Quodque diligenter annotari velimus, dudum observante Ger. Vossio, de Poetis Græcis, cap. 1, nemo Patrum, nemo veterum scriptorum, ac ne Lactantius quidem, quamvis assiduus Sibyllarum compilator, usquam allusit ad illam singularem sane fabulam de Sibyllæ cum Noemo affinitate, quæ nostris libris propria est, sic nempe rem tradentibus, lib. I, v. 287, sqq. :

> Ὦ γενεῆς ἕκτης πρῶτον γένος, ὦ μέγα χάρμα,
> Ἧς ἔλαχον μετέπειτα, ὅτ' ἔκφυγον αἰπὺν ὄλεθρον,
> Πολλὰ κλυδωνισθεῖσ' ἅμ' ἐμῷ πόσει καὶ δαέρεσσι.

Nihil usquam tale in Sibyllinis antiquioribus : nam quæ in fine tertii libri leguntur, v. 822, sqq., spuria esse et ex hoc ipso libro recentius illuc invecta demonstrabimus infra cap. 12. Hoc igitur commentum a Nostro primum excogitatum fuisse credas; et quoniam priscis Ecclesiæ Patribus, quoniam ipsi Lactantio alienum, recentius inde argui potest quam ut illis viris vel innotuerit vel fucum fecerit.

Unde vero, dicet aliquis, ista Sibyllæ cum Noemo cognatio in mentem Nostro repente venit? Id haud facile conjicias, nisi quod forsan observaverit libro III, v. 97-162, Sibyllam loqui tanquam Babelicæ turris et Titanum temporibus pæne supparem; quippe narrationem velut præteritorum produci usque ad Titanum sobolis excidium, inde cetera tanquam futura prædici. Inde fortasse colligere potuit Sibyllam, vivacem illam et omnium vivacissimam mulierem, ad diluvii tempora pertinuisse. Et fortasse aliquid fando audierat de Noria gnosticorum, quam isti hæretici uxorem fuisse Noemi vatemque fingebant, eique libros quosdam mysticos tribuebant, teste Epiphanio, hæres. 26, § 1 : Βίβλους πλάττουσι, Νωρίαν τινὰ βίβλον καλοῦντες... Ταύτην γάρ φασι τὴν Νωρίαν εἶναι τοῦ Νῶε γυναῖκα. At Noster non uxorem, sed nurum Noemi vaticinantem inducit, simili, quamvis diversa, audacia. Notandum tamen ad scelera Sibyllæ, quæ ipsa de se confitetur in librorum II et VII epilogis, ne verbo quidem allusisse, quisquis libro III ultimos versus addidit; ita illi odiosa visa sunt.

Restat ut, si fieri potest, auctorem ipsum primarium lectoribus notum faciamus. Christianum fuisse patet; Judæum origine, vix credimus, quoniam satis acerbe in Judæos invehitur, I, v. 360, sqq. :

> Καὶ τότε δ' Ἰσραὴλ μεμεθυσμένος οὐχὶ νοήσει,
> Οὐδέ μιν ἐνθήσει βεβαρημένος οὔασι λεπτοῖς.
> Ἀλλ' ὁπόταν Ἑβραίοις ἥξῃ χόλος Ὑψίστοιο
> Οἰστρομανής, καὶ πίστιν ἑαυτῶν ἐξαφελεῖται,
> Οὐράνιον ὅτι παῖδα Θεοῦ διεδηλήσαντο,
> Καὶ τότε δὴ κολάφους καὶ πτύσματα φαρμακόεντα

Ἰσραὴλ δώσει μυσαροῖς ἐνὶ χείλεσι τούτῳ, κ. τ. λ.

Et jam supra, divinam adoptionem a Judæis ad gentes translatam innuerat, v. 345, sq. :

..........Ἐν δ' ἄρα τούτῳ
Λαὸς προσκόψει Ἑβραίων, ἔθνη δ' ἀγεροῦνται,

et sic paulo infra, v. 383, sq. :

Τοῦ καὶ ἐπωνυμίῃ βλαστὸς νεὸς ἀνθήσειεν
Ἐξ ἐθνῶν,

quod etiam libro II cum quadam affectatione repetit, lib. II, v. 50 :

Ἀνθρώποις πᾶσί τε καὶ ἔθνεσιν ἀλλοδαποῖσιν

Et libro II, quamvis futurum in rerum fine reditum Hebræorum prænuntiet, rursus tamen illos servitio addictum iri vaticinatur, v. 168, sqq.; et in judicio supremo Hebræos omnes qui post Jeremiam (videlicet ad Christum usque) vixerint suppliciis impiorum addicit, v. 250, sq. Quum tamen, loco alioqui satis obscuro, lib. II, v. 169, sqq., Hebræos electos fidosque bis memoret, eos fortasse significans qui christianam fidem amplexi fuerint; quumque alibi Judæis exsilio multatis condolere videatur, lib. I, v. 395, sqq. :

Ἑβραῖοι δ' ἀπὸ γῆς ἐλάσονται
Πλαζόμενοι, κεραϊζόμενοι, πολλὴν δέ τοι αἶραν
Ἐν σίτῳ μίξουσι, κ. τ. λ.,

haud inviti ducemur, si quis volet, ut ipsum quoque ex Judæis ortum credamus, modo ex iis qui a suæ gentis erroribus prorsus desciverant et bona fide nostris se sacris addixerant. Certum est in ejus carmine nihil judaïcam superstitionem redolere, nihil ad judaïzantium opiniones vel minimum alludere. Millenariis tamen favere videtur lib. II, v. 27, sqq. Sed falso, quoniam ibi, quæ de justorum terrestri felicitate canit, ea sunt de christianæ gentis triumpho accipienda: qua de re confer Exc. VI, cap. 9. Unum illi jure objicias, quod cum Origenistis commune habet, istam nempe, quam supra indigitavimus, de pœnis infernis olim cessaturis infelicem divagationem, v. 331, sqq., de qua nos iterum in Exc. VI.

Patriam hominis si quæras, nullum ejus rei vestigium satis certum in duobus libris invenias. Ad Ægyptum certe vix usquam respexit. Sed fortasse quod Phrygiæ bis meminerit, nec sine aliqua laude, ut lib. I, v. 196, sqq., ubi illam terrarum partem primam aquis emersuram prædicit; item v. 261, sqq., quum arcam Noemi post diluvium in Phrygiæ monte prope Celænas sistit; facile nobis persuaderi sinemus, fuisse illum e Phrygia natum, sicut modo librorum quoque VI et VII, sed alias ob causas, Phrygiam originem suspicati sumus, cap. 9, p. 387, sq. Nec obstat quod Celænarum clivus tanquam mons

aliquis ingens, et Marsyas tanquam magnus amnis celebretur, lib. I, v. 261, sqq.; quod utrumque, dicet aliquis, Phryges omnes falsum esse norant, eoque minus æquis auribus accepturi erant. Imo favet hoc nostræ conjecturæ, quia consuetum est unicuique nationi et civitati sua mirari, laudare, laudandoque amplificare : unde ipsis Celænarum incolis gratum fore non dubitavit Dio Chrysost. orat. XXXV, tom. II, p. 68, ed. Reisk., si, præsentibus iis audientibusque, Marsyas idem ille et cognatus ei Mæander, ambo ex ipsorum urbe oriundi, pusillus alter et cursu brevissimus, alter aquarum mole minime notandus, tanquam maximi amnes prædicarentur, τῶν ποταμῶν, inquit, οἱ μέγιστοι καὶ πολυωφελέστατοι.

CAP. XI. *De versibus Phocylideis secundo libro insertis, obiterque de ipso Phocylideo carmine.*

Modo, cap. 10, quum de libris I et II disputaremus, multaque in iis e ceteris Sibyllinis compilata, quædam etiam ex Hesiodo, atque aliis auctoribus desumpta notaremus, Phocylideum fragmentum, quod libro II post versum 55 insertum legitur, omissum ad tempus, quia longiore controversia egebat, in hoc caput reservavimus.

Constat illud fragmentum versibus xciii, gnomicis omnibus ac plerisque Phocylideis, nec passim, sed ex initio potissimum decerptis carminis illius suasorii, νουθετικοῦ, quod sub nomine Phocylidis, antiquissimi poetæ, sexto ante Christum sæculo viventis, hodie circumfertur. Porro apud Sibyllam interpolationis suspicione laborat apud multos gnomica illa digressio, tanquam non a primarii Sibyllistæ manu profecta, sed aliunde huc invecta, 1° quod aperte Phocylideam, non Sibyllinam prodat originem; 2° quod seriem prædictionum Sibyllinarum male abrumpere videatur; 3° quod nec in omnibus codicibus scriptis nec in editis omnibus legatur : deerat enim in Betuleii et Castalionis editionibus, ab Opsopœo primum reperta in Regio codice, ab eoque primo publici juris facta, nec tamen statim in ipso Sibyllino textu, sed post textum separatim; a Gallæo demum in textum recepta atque in eum, quem nunc habet, quemque in codice habuit, locum restituta.

Sed leve est indicium quod e quorumdam codicum lacuna duci potest, quum eosdem versus integros suo loco exhibeant codices non sane deteriores, R. L. F. Qui tamen omnes ad marginem indicant fragmenti originem, addito nomine Φωκυλίδεω vel Φωκυλίδου :

sed vel eam ob causam minime mirum est librarium aliquem e Sibyllinis dempsisse quæ in iis ipsis tanquam non Sibyllina notabantur; quare in quibusdam exemplaribus suo quidem loco absunt, ad finem tamen voluminis relegata leguntur.

Magis nos movet id quod verum est, male inserta videri Sibyllinis vaticiniis Phocylidea illa præcepta. Nec tamen omnino aliena sede. Nam justis, id est, Christianis, in terrestri regno constitutis, uti supra canebabur, v. 27, sqq., nihil fere agendum restat, nisi ut paratam sibi in cælo palmam æternam mereantur, decertando adversus vitia, v. 39, sqq., judice certaminis ac remuneratore Christo, v. 45, sqq. Quod certamen iselasticum vocat Noster, v. 39. Dicit etiam quibus coronæ parentur : nempe martyribus, v. 46, sq., aliisque sanctis et castis Dei cultoribus, v. 48, sqq. Nemini enim licere datam a Deo animam vitiorum maculis conspurcare, v. 54, sq. :

Πᾶσά τε γὰρ ψυχὴ μερόπων Θεοῦ ἐστι χάρισμα
Κοὐ θέμις ἀνθρώποις τήνδ' ἄλγεσι πᾶσι μιαίνειν.

Statim hic incipit Phocylideum fragmentum, v. 56, sqq. :

Μὴ πλουτεῖν ἀδίκως, κ. τ. λ.,

in quo virtutes, quæ colendæ, vitia, quæ vitanda sint, indicantur; et longam præceptorum seriem resumit denique Noster quinque versibus, quibus rursus monet certamen illud ipsum esse supra nuntiatum, ex quo victoribus coronam æternam, vitam nempe immortalem, Deus promittat, v. 149, sqq. :

Οὗτος ἀγὼν, ταῦτ' ἐστὶν ἀέθλια, ταῦτα βραβεῖα,
Τοῦτο πύλη ζωῆς, κ. τ. λ.

Optime ergo continuatur ordo sententiarum, etsi longa nimis et inexspectata venit huc ista de moribus digressio. Finge autem eam abesse. Sane post illa supra dicta de certamine iselastico ac de oblatis a Christo præmiis, fatemur minime dissonaturos esse hos versus :

Οὗτος ἀγών, κ. τ. λ.

Sed non erat cur post duos tantum versus interjectos, nempe v. 54, sq. :

Πᾶσά τε γὰρ ψυχή, κ. τ. λ.,

tam cito resumerentur quæ tam breviter dicta erant; et illa certaminis metaphora longius jam producta per versus continuos fere quindecim (39-53), si statim aliis quinque versibus, 149-153, ingeminetur, fastidium ac nauseam legenti cuique pariat. Præterea notatu haud indignum est, Phocylideam digressionem non ex abrupto huc incidere, sed prioribus versibus fuisse quodam modo paratam et introductam. Insunt enim iis quoque Phocylidea quædam, ut illud, v. 52 :

Οἳ δ' ἀγαπῶσι γάμον τε, γαμοκλοπιῶν δ' ἀπέχονται,

manifesto ductum e Phocylidis versu primo :

Μηδὲ γαμοκλοπέειν, κ. τ. λ.

Et hoc, v. 54:

Πᾶσά τε γὰρ ψυχὴ μερόπων Θεοῦ ἐστι χάρισμα,

alludit ad illud Phocylidis, v. 100:

Πνεῦμα γάρ ἐστι Θεοῦ χρῆσις θνητοῖσι καὶ εἰκών.

Et in versus 55 ultimo pede verbum μιαίνειν gnomas ethicas præcedit apud Sibyllam, prorsus ut apud Phocylidem. Sibylla enim:

Κοὺ θέμις ἀνθρώποις τήνδ' ἄλγεσι πᾶσι μιαίνειν·
Μὴ πλουτεῖν ἀδίκως, κ. τ. λ.

Phocylides autem:

Μήτε δόλους ῥάπτειν, μήθ' αἵματι χεῖρα μιαίνειν.
Μὴ πλουτεῖν ἀδίκως, κ. τ. λ.

Jam supervacaneum est annotare, ista omnia casu fieri non potuisse: constatque ideo auctorem ipsum qui priores scripsit versus, 52, sqq., Phocylidis carmen in animo habuisse; unde minus mirum, si scribenti et materiam quærenti venit in mentem totam illam Phocylideam farraginem operi suo inserere, nempe ut tot præclara præcepta Sibyllæ tanquam propria vindicaret.

Aliter quid ad rem commode dici possit, nos quidem latet. An paginas aliquas forte divulsas a carmine νουθετικῷ forte huc esse translatas, vel dum scribuntur a librariis, vel dum folia compinguntur et consuuntur? At hic rursus exclamabimus, nullo id casu fieri potuisse, ut eæ paginæ, quasi sponte, post versus aliquot Phocylideos, ipsæ Phocylideæ, insererent se, atque eo potissimum loco, ubi et cum præcedentibus facile conjungi possent, et rursus cum sequentibus haud male coalescerent his verbis:

Οὗτος ἀγών, κ. τ. λ.

Verum id quod jamdudum argumentis et conjecturis quærimus, poterat duobus testimoniis transigi. Unum est Suidæ, v. Φωκυλίδης, hæc de illo poeta tradentis: Ἔγραψεν ἔπη καὶ ἐλεγείας (an potius ἐλεγεῖα?)· παραινέσεις ἤτοι γνώμας, ἅςτινας κεφάλαια ἐπιγράφουσιν· εἰσὶ δὲ ἐκ τῶν Σιβυλλιακῶν κεκλεμμένα (an κεκλεμμέναι?). Incertum unde hæc Suidas; sed manifesto, ut pleraque similia, ex aliquo antiquiore scriptore, ac nisi fallimur, ex Hesychio Milesio, vivente post Christum sæculo sexto. Is ergo, vel Suidæ auctor quicumque fuit, insertos jam Sibyllinis Phocylideos istos versus noverat.

Alterum testimonium multo gravius atque certius, ipsius editoris seu concinnatoris sive epitomatoris Sibyllinorum librorum I et II, in transitione ad secundum librum ita scribentis: Ὡσαύτως καὶ τοὺς πολυθεΐαν νοσοῦντας ἐλέγχει...εἶτα παροιμιάζει τὴν ἄθλησιν τῶν ἁγίων. Nam illud verbum παροιμιάζει aperte respicit ad parœmias aliquas seu

gnomas, quales nostræ sunt; nec dubium eas ipsas intelligi quas nunc in secundo Sibyllino libro habemus, quum ibidem addi videas τὴν ἄθλησιν τῶν ἁγίων. Ergo illas gnomas habuisse se in exemplari suo profitetur Anonymus, ideoque negat de suo se ipsas addidisse, palam igitur referendas ad primarium Sibyllistam; quod ipsum hactenus probare conati sumus.

Restat quærere quonam modo auctor ille primarius uno plagio tot continuos versus Phocylidi auferre et Sibyllæ donare ausus sit. Verum jam sæpe diximus a veterum poetarum imitatione, interdum et compilatione, nequaquam abhorrere Sibyllistas, unde dissita olim fama de Homero Sibyllæ carmina suffurato (confer Exc. I, pag. 12, et II, pag. 105). Horum vero præcipue duorum librorum maximam partem raptis undique laciniis esse consutam ostendimus capite priore passim. Hesiodea præsertim imitatio in libro primo frequens est; et quidni Noster tam Phocylide quam Hesiodo uti sibi licere putaverit?

Erat quinimo Sibyllistis vetus cum Phocylide consuetudo: is enim non semel excerptus invenitur etiam in iis librorum partibus quas judaïcas esse diximus et omnium Sibyllinorum antiquissimas, libro nempe III, v. 235, 594, 630, 642, 662, 762, sqq. Etiam in recentioribus ac christianis libris V, v. 430, et VIII, v. 17, sqq., haud dubia sunt Phocylideæ imitationis exempla; ac secundo ipso hoc libro, præter locum nunc controversum et versus supra citatos, notari potest, tanquam Phocylideum hemistichium, v. 273:

Ὁπόσοι δ' ἰδίων ἀπὸ μόχθων, κ. τ. λ.

Nec non illud fortasse, v. 283:

Ὅσοι τοκετοὺς ῥίπτουσιν ἀθέσμως.

Quippe veteres seu Judæi seu Christiani merito illum poetam a ceteris profanis discreverant, quum optima apud illum præcepta invenirent, aptaque juventutis moribus informandis. Itaque non dubitamus in scholis seu judaïcis seu christianis jampridem illum lectitari memoriterque recitari solitum fuisse. Sed de christianis id præsertim ausimus affirmare. Nec alia causa est cur in epigrammate quodam, recentioris tamen ævi, nisi fallimur, a Sylburgio citati (nos locum non invenimus), Χριστομύστης poeta ille dicatur.

Verum id non aliter fieri potuit quam si multa ex eo reciderentur, et quæ servata essent, in novam carminis formam redigerentur. Talem nos et sic retractatum Phocylidem Nostro fuisse ob oculos aut in mente credimus: talem Christiani vel ipsi fecerant, vel a Judæis acceperant; neque aliter ad nos pervenit illud, quod vulgo sub ejus poetæ nomine circumfertur, ποίημα νουθετικόν. Nam vetus quidem Phocylides videtur non integrum aut continuum scripsisse carmen, sed

præcepta paucis versibus, binis puta vel ternis vel haud multo pluribus, contenta, quæ, teste Suida, κεφάλαια vulgo inscribebantur, et quorum speciem descriptam specimenque servatum habemus a Dione Chrysostomo, Orat. XXXVI, p. 79, ed. Reisk.: Καὶ γάρ ἐστιν [ὁ Φωκυλίδης] οὐ τῶν μακράν τινα καὶ συνεχῆ ποίησιν εὑρόντων, ἀλλὰ κατὰ δύο καὶ τρία ἔπη αὐτῷ καὶ ἀρχὴν ἡ ποίησις καὶ πέρας λαμβάνει, ὥστε προστίθησι τὸ ὄνομα αὐτοῦ καθ' ἕκαστον διανόημα, cujus modi exemplum affertur a Dione ibidem :

Καὶ τόδε Φωκυλίδεω· Πόλις ἐν σκοπέλῳ κατὰ κόσμον
Οἰκεῦσα σμικρὴ κρείττων Νίνου ἀφραινούσης.

Et alia in hanc formam Phocylidea fragmenta apud Strabonem, Phrynichum grammaticum et Stobæum, vel si deest otium, inter fragmenta vulgo Phocylideis editionibus addita reperias, quorum plerisque commune initium est: Καὶ τόδε Φωκυλίδεω.

In carmine autem, quod hodie sub Phocylidis nomine exstat, quodque non κεφάλαια, sed νουθετικόν, vocabulo minime antiquo, inscribitur, continua præceptorum series decurrit, non binis aut ternis incisa versibus; neque usquam solemne illud occurrit, καὶ τόδε Φωκυλίδεω, sed in plerisque codicibus absque exordio carmen sic incipit :

Μήτε γαμοκλοπέειν, κ. τ. λ.

In nonnullis vero exemplaribus, iisque fortasse rectioribus, duorum versuum præmittitur exordium in hunc modum :

Ταῦτα δίκης ὁσίοισι Θεοῦ βουλεύματα φαίνει
Φωκυλίδης ἀνδρῶν ὁ σοφώτατος, ὄλβια δῶρα.

In omnibus clauditur ipsum carmen hoc epilogo :

Ταῦτα δικαιοσύνης μυστήρια· ταῦτα βιεῦντες,
Ζωὴν ἐκτελέοιτ' ἀγαθὴν μέχρι γήραος οὐδοῦ.

Ex his quid colligas indiciis? nisi veteres illas Phocylidis gnomas serius in unum carmen atque in hanc, quam nunc habent, formam esse conversas. Nam qui spurias omnino et omnes uno tenore a Christianis confictas putet, procul a veri specie absit. In iis enim quæ supersunt pleraque sunt bona et poeticam antiquitatem sapiunt. Inest vetus morum simplicitas et severa quædam orationis gravitas, cum naturali ac minime fucato elegantiæ nitore; inest denique illud quod Græci ἀρχαιοπινές vocant, æmulationi minime obnoxium. Interdum etiam assurgit oratio; nec sane mediocri calamo defluxit tota illa περικοπή, quæ in carmine suasorio legitur, de laboris necessitate ac de imitando formicarum exemplo, Phocyl. v. 142, sqq. :

Ἐργάζευ, μόχθων ὡς ἐξ ἰδίων βιοτεύσῃς, κ. τ. λ.

Quæ tamen laus, ut verum fateamur, non ad omnes æque versus pertinet carminis illius νουθετικοῦ. Nam in illa, quam diximus, gnoma-

rum retractatione ad usum facta seu judaïcæ seu christianæ juventutis, accidit, id quod accidere propemodum necesse erat, ut aliquid passim novaretur, seu versus aut hemistichii supplendi causa, seu purgandæ vel explanandæ sententiæ, sive etiam boni alicujus præcepti ceteris admiscendi. Inde passim apud Phocylidem hodiernum occurrunt, sed præsertim sub initia carminis, inter centum primos versus, quos sæpius in scholis dictatos ac recitatos fuisse credas, spuria quædam et interpolata procul dubio, quippe quæ statim quivis agnoscat e sanctis Scripturis seu veteris seu novi desumpta esse fœderis. E veteri est hoc, v. 8 :

Ἀδίκως μὴ κρῖνε πρόσωπον,

nempe e Prov. cap. 24, v. 23 : Ἐπιγινώσκειν πρόσωπον ἐν κρίσει οὐ καλόν, quod tamen etiam in novo recurrit. Item, v. 10 :

Μαρτυρίην ψευδῆ φεύγειν, κ. τ. λ.,

est ex ipso decalogo desumptum. Item, v. 17 :

Μισθὸν μοχθήσαντι δίδου,

præceptum est Deuteronomii, cap. 24, v. 14. Quædam autem, et fortasse plura, aperte christiana sunt, ut illud de virginitate et caritate duplex in uno versu præceptum, Phocyl. v. 11 :

Παρθενίην τηρεῖν, ἀγάπην δ' ἐν παντὶ φυλάσσειν,

et de judicio Dei, Phocyl. v. 9 :

Ἢν σὺ κακῶς δικάσῃς, σὲ Θεὸς μετέπειτα δικάσσει,

et de resurrectione mortuorum, cujus exspectatione confirmatur debita sepulchris reverentia, Phocyl. v. 97, sqq. :

Καὶ τάχα δ' ἐκ γαίης ἐλπίζομεν ἐς φάος ἐλθεῖν
Λείψαν' ἀποιχομένων, κ. τ. λ.

ubi vox ipsa ἐλπίζομεν christianam originem aperte profitetur. Alia sunt Alexandrinam sive biblicam dialectum redolentia, ut Phoc. v. 17, μὴ θλῖβε πένητα, et v. 21, ἔλεον χρῄζοντι παράσχου, quæ profecto nemo sanus antiquo vati imputaverit. Quæ omnia spuria, uti jam monuimus, fatenda sunt; sed plerumque statim agnoscuntur, rara insuper et veteribus gnomis parca manu interspersa, neque, ut diximus, facile obvia ultra centum primores versus. Quod autem in iis quædam, imo plura christiana sunt, inde tuto colligitur expurgati Phocylidis editionem vel omnino christianam fuisse, vel si judaïca, serius a Christianis retractatam. Ex his omnibus antiquioribus recentioribusque, profanis sacrisque, fragmentis novus hic, quem nunc habemus, constat Phocylides.

Non priscum autem, sed novum, id est, hodiernum Phocylidem fuisse Sibyllistæ nostro ob oculos, quum plura argumenta sunt, tum illud præcipue, quod, inde potissimum incipiat Sibyllinum fragmen-

tum unde ipsum νουθετικόν, at que inde carminis utriusque filum deducatur, nusquam mutato versuum ordine, paucis duntaxat omissis, paucisque passim interjectis, de quibus mox nobis agendum erit. Substitit autem Noster in Phocylideo versu 74, tum quia longius erat carmen quam quod totum Sibyllinis insereretur, tum quia sequentia præcepta minus fortasse vulgata erant, neque in omnibus fortasse ferebantur exemplaribus, neque fortasse in omnibus scholis legebantur, quippe non omnibus æque lectoribus nec satis adolescentium ingeniis accommodata. Qualia sunt illa de ratione excipiendi hospitis, Phocyl., v. 76, sq.; de ære mutuo non acerbius exigendo, v. 78; de judicibus aut magistratibus eligendis, v. 81, sqq.; de cavendis adulatoribus, v. 85, sqq.; de populi inconstantia, v. 89, sqq.; item quæ ad nuptiarum arcana pertinent, v. 165, sqq., vel ad officia parentum erga liberos, v. 195, sqq., aut dominorum erga servos, v. 210, sqq.

Ex initiis vero Phocylidei carminis, operæ pretium est observare quænam potissimum a Sibyllista sint omissa. Nempe primi versus hemistichium alterum, μήτ' ἄρσενα κύπριν ὀρίνειν, ob sensus obscenitatem. Sequens vero versus :

Μήτε δόλους ῥάπτειν, μήθ' αἵματι χεῖρα μιαίνειν,

deletus ex industria videtur, ut qui mox in duo fractus hemistichia recursurus esset, Sibyll. v. 99 et 119. Omissi deinde versus 66-70, quod eorumprimus gentile quiddam sonaret :

Ἄφθονοι οὐρανίδαι καὶ ἐν ἀλλήλοις τελέθουσι,

reliqui in amplificationem mere poeticam excurrerent. His exceptis, nullus fere Phocylideus suppressus est versus, sed quædam in verbis mutata, levia illa et, uti diximus, rara.

Nunc refert quærere, quænam Phocylideis addita sint. Hæc nempe :

v. 59. Μηδὲ μάτην εἴδωλα σέβου· τὸν δ' ἄφθιτον αἰεί...
v. 70. Ἐξ ἀδίκων ἔργων δῶρον χερὶ μήποτε δέξῃ.
v. 72. Εἷς γενεὰς γενεῶν, διὰ σκορπισμὸν βιότοιο.
v. 73. Μὴ ἀρσενοκοιτεῖν, μὴ συκοφαντεῖν, μηδὲ φονεύειν.
v. 76. Ὀρφανικοῖς, χήραις, ἐπιδευομένοις δὲ παράσχου.
v. 79. Ἱδρῶσι σταχύων χειρὶ χρήζοντι παράσχου.
v. 80. Ὃς δ' ἐλεημοσύνην παρέχει, Θεῷ οἶδε δανείζειν.
v. 81. Ῥύεται ἐκ θανάτου ἔλεος, κρίσις ὁππότ' ἂν ἔλθῃ.
v. 82. Οὐ θυσίην, ἔλεος δὲ Θεὸς θέλει ἀντὶ θυσίης.
v. 83. Ἔνδυσον γυμνὸν, μετάδος πεινῶντ' ἄρτων σῶν.
v. 90. Κοινὸς πᾶς ὁ βίος μερόπων, ἄνισος δὲ τέτυκται.
v. 91, sq. Μήποτε ἄνδρα πένητα ἰδὼν, σκώψῃς ἐπέεσσιν,
Μηδὲ κακῶς γε προσείπῃς μωμητόν τινα φῶτα.

v. 93, sq. Τὸ ζῆν ἐν θανάτῳ δοκιμάζεται· εἴ τις ἔπραξεν
Ἔχνομον ἢ δίκαιον, διακρίνεται εἰς κρίσιν ἐλθών.
v. 95. Μηδὲ φρένας βλάπτειν οἴνῳ, μηδ' ἄμετρα πίνειν.
v. 96. Αἷμα δὲ μὴ φαγέειν, εἰδωλοθύτων δ' ἀπέχεσθαι.
v. 102. Κτῆσις ὀνήσιμός ἐσθ' ὁσίων, ἀδίκων δὲ πονηρά.
v. 106, sq. Ὡς ξένοι ἀλλήλων· ξεῖνος δέ γε οὔτις ἐν ὑμῖν
Ἔσσετ', ἐπεὶ πάντες βροτοὶ αἵματος ἐξ ἑνός ἐστι.
v. 109, sq. Μηδὲ θέλοις πλουτεῖν, μηδ' εὔχου· ἀλλὰ τόδ' εὔχου
Ζῆν ἀπὸ τῶν ὀλίγων, ἄδικον δέ τε μηδὲν ἔχοντα.
v. 112, sq. Μὴ πόθος εἰς χρυσὸν ἢ εἰς ἄργυρον· ἐν δ' ἄρα καὶ τοῖς
Ἔσσεται ἀμφήκης θυμοφθόρος ἔνθα σίδηρος.
v. 119. Μηδὲ δόλους ῥάπτειν· μὴ πρὸς φίλον ἦτορ ὁπλίζειν.
v. 122. Πᾶσιν δ' ἅπλοος ἴσθι, τά τ' ἐκ ψυχῆς ἀγόρευε.
v. 143. Μὴ φθονερὸς, μὴ ἄπιστος ἔσῃ, μὴ λοίδορος ἴσθι.

In his duo sunt versus a Theognide accepti, v. 109, sq., leviterque inflexi, ut alter e pentametro hexameter fieret. Versus 102 et 122 boni sunt, vix Sibyllini, et antiquo poeta digni. Ceteri plerique aperte sunt vel judaïci vel christiani, e sanctis libris ac præsertim e novo Testamento ducti, nec difficile, ut diximus, agnoscendi, quum factura versus horridiore, tum aliis, quæ jam notavimus, indiciis. Eos vero Sibyllista noster utrum de suo addiderit, an ceteris jam antea mixtos in exemplari suo repererit, si quis dubitat, sane dubitet : nobis antiquius additi videntur, et pridem in scholis cursitare soliti. Nam unus certe ad prima Ecclesiæ tempora pertinet, v. 96 :

Αἷμα δὲ μὴ φαγέειν, εἰδωλοθύτων δ' ἀπέχεσθαι.

Est ea lex ab ipsis Apostolis data, Act. cap. 15, v. 20 : Περὶ δὲ τῶν πεπιστευκότων ἐθνῶν ἡμεῖς ἐπεστείλαμεν, κρίναντες φυλάσσεσθαι αὐτοὺς ἀπὸ εἰδωλοθύτων καὶ αἵματος, κ. τ. λ. Cujus legis partem unam, αἷμα δὲ μὴ φαγέειν, cum judaïsmo, unde orta erat, obsolevisse facile credimus; nec tertio sæculo fere medio, tum quum libri I et II scribebantur, erat causæ cur alterutri quisquam præcepto insisteret, unde videtur hic versus anterius fuisse numeris inclusus.

Ut vero, quæ sunt in hoc capite disputata, paucis resumamus, Phocylideæ gnomæ secundi libri non sunt in eum locum intrusæ ab aliquo recentiore, sed ab ipso Sibyllista; desumptæ scilicet e Phocylidis carmine νουθετικῷ, vel ipso illo quod nunc habemus, vel ipsi simillimo ; quod tamen non est genuinum Phocylidis opus, sed alterum ex ejus poetæ versibus consarcinatum sive ante Christum a Judæis Alexandrinis, sive post Christum a novæ religionis cultoribus, sive, quod vero propius videtur, compositum a Judæis primum, deinde a Christianis recognitum, et fortasse non semel nec uno modo re-

tractatum ad usum præcipue scholarum : ex quo Noster decerptum totum pæne initium usque ad versum 74, non timuit ad Sibyllam transferre, utpote quam Phocylidi præluxisse vel crederet ipse vel ab aliis credi vellet. Ex iis tamen quæ in carmine νουθετικῷ inveniebat, nonnulla amputavit quæ minus utilia videbantur : an quædam etiam de suo addiderit, ea potissimum quæ sunt e sanctis libris desumpta, statuere non audemus, quia potuit illa jam ante se interpolata reperire in exemplari suo.

CAP. XII. *De libri tertii parte prima, ac de ejusdem libri epilogo.*

Transimus ad initium hactenus a nobis neglectum tertii libri, de quo ante omnia monendus lector, non semper idem illud fuisse quod nunc est, sed in editis prioribus ductum fuisse ejus initium ab eo tantum versu qui nunc est v. 63 : Ἐκ δὲ Σεβαστηνῶν, κ. τ. λ. Sed hoc factum, ut jam olim in notis ad h. l. diximus, mero Castalionis errore, cui non est diutius immorandum, præsertim quum ea quæstio paulo infra sponte reditura sit.

Prima autem hujus libri, ut nunc se habent, cum extremis libri secundi arcto quodam vinculo cohærere, nemo negaverit. Nam secundi finis hic erat :

Ἤδε δ' ἐγὼ, λίτομαί σε, βαιὸν παῦσαί με ἀοιδῆς,
Ἅγιε μαννοδότα, βασιλεῦ μεγάλης βασιλείης,

quæ nos a suo loco ægre revelli posse monuimus, ideoque vera et genuina habenda esse, profecta nempe ab ipso librorum I et II primario auctore. Nunc tertius liber ita incipit :

Οὐράνι', ὑψιβρεμέτα, μάκαρ, ὃς ἔχεις τὸ Χερουβὶμ
Ἱδρυμένον, λίτομαι, παναληθέα φημίξασαν
Παῦσον βαιόν με, κ. τ. λ.

Sensus idem, verba prope eadem, quæ aperte sic in hujus libri limine iterantur, ut aditum patefaciant ad sequentia :

Ἀλλὰ τί μοι κραδίη, κ. τ. λ.

Quærendum igitur utrum sic iterata fuerint ab ipso librorum priorum Sibyllista, an ab alio, videlicet ab editore sive emendatore aliquo, et quidni ab epitomatore librorum I et II ? qui transitum a secundo parare voluerit ad tertium. Sed hoc tuto divinari non potest, priusquam reliqua hujus partis plenius nobis innotuerint.

Primum igitur in exordio queritur vates, quod, fessa canendo, rursus Dei stimulis adigatur ad vaticinandi necessitatem, v. 1-7.

Statim homines increpat quod a vero Deo ad idola desciverint, v. 8-35, eorumque vitia et flagitia deplorat, v. 36-45.

Inde sine transitu vaticinari incipit : Sed quum Roma, inquit, Ægypto imperare cœperit, veniet in terras rex sanctus (Christus nempe Messias), qui æternum in terris regnum stabiliat, v. 46-50. Tunc Latinorum ira sæviet implacabilis, v. 51. Tres Romam crudeli fato disperdent, v. 52. Omnes homines triste plangent, quum de cælo ruet igneus cataracta, v. 53, sq. At Sibylla Dei judicium votis invocat, v. 55, sq., urbesque increpat, ædificiis et monumentis exstruendis intentas, imminente jam extrema illa die, v. 56-62.

Hic vero lacuna ingens orationis seriem abrumpit, ex qua sine ullo transitu procedit Belial sive Antichristus, ejusque narrantur ortus, adventus, miracula, potentia, exitus, v. 63-74. Inde paucis versibus futurum mulieris imperium prædicitur, v. 75-80.

Tum incendium mundi universum, v. 81-87; finis denique mundi hujus, v. 88-90, et supremum judicium, sed illud quidem paucis obiterque nuntiatum, v. 91, sq.

Sequitur lacuna, et post hanc rursus unum fragmentum, quatuor tantum versibus inclusum, olim de secundo Messiæ adventu scriptis, ut videntur, hodie vero mutilum obscurumque sensum exhibentibus, v. 93-96.

Nunc omnia ista, quo prodeunt ordine, recensenda sunt.

In primo, de quo supra, exordio pleraque vidimus e prioris libri fine desumpta esse, servatis ipsis verbis. Quæ sunt addita, adversus metricas leges non una ex parte peccantia, plagiis etiam undique scatent. Neque illud notari necesse est, palam e sanctis libris petitum, satisque inepte huc intrusum : Ὅς ἔχεις τὸ Χερουβὶμ ἱδρυμένον. Verum illud deinde : Παναληθέα φημίξασαν, est e libro V, v. 7. Deinde: Κέκμηκα γὰρ ἔνδοθι ἦτορ, et quæ sequuntur, cum ipso illo : Οὐδὲ γὰρ οἶδα ὅττι λέγω, repetita sunt e libro XII, v. 293, sqq., partimque e libri XIV initio. Sexti autem versus hemistichium : Αὐτὰρ πάλι πάντ' ἀγορεύσω, respicit ad librum III, v. 210.

Totum igitur hoc exordium undequaque corrasum est : sed nec minus quæ sequuntur. Nam versus 8-35, etsi melius consarcinati minusque inficeti, centoni tamen similes sunt, et magnam partem compilati e Procemio Sibyllino, quod vel brevi amborum carminum comparatione liquidum fiet. *Procem.*

8 Ἄνθρωποι, θεόπλαστον ἔχοντες ἐν εἰκόνι μορφήν, 1.
9 Τίπτε μάτην πλάζεσθε, καὶ οὐχ εὐθεῖαν ἀταρπὸν
10 Βαίνετε; .... 23, sqq.
11 Εἷς Θεός ἐστι μόναρχος, ἀθέσφατος, αἰθέρι ναίων, 7.

12 Αὐτοφυὴς, ἀόρατος, ὁρῶν μόνος αὐτὸς ἅπαντα 9.

. . . .

17 Τίς γὰρ θνητὸς ἐὼν κατιδεῖν δύναται Θεὸν ὄσσοις; 10, sq.
18 Ὃς λόγῳ ἔκτισε πάντα, κ. τ. λ. 41, sqq.
27 Αὐτὸς ὃς ἐστήριξε τύπον μορφὴν μερόπων τε, fragm. II.
28 Καὶ θῆρας ποίησε καὶ ἑρπετὰ καὶ πετεεινά 45, sqq.
29 Οὐ σέβετ', οὐδὲ φοβεῖσθε Θεὸν, ματαίως δὲ πλανᾶσθε, 3.
30 Προσκυνέοντες ὄφεις τε, καὶ αἰλούροισι θύοντες,
31 Εἰδώλοις τ' ἄλλοις, κ. τ. λ. 65, sq.
33 Τηρεῖτε τὸν ἐόντα Θεόν, κ. τ. λ. 15, sqq.

Qui sequuntur versus, 36-40, non quidem e Prooemio desumpti sunt, verum e libro VIII, v. 184, sqq., et similes jam lecti erant lib. I, v. 175, sqq. Sequentia de vitiis gentilium, v. 41-45, non ita sunt plagii manifesta; respicere tamen videntur ad similem locum libri VIII, v. 17, sqq.

Deinde ubi poeta vaticinari incipit, v. 46, sqq.:

Αὐτὰρ ἐπεὶ Ῥώμη καὶ Αἰγύπτου βασιλεύσει, κ. τ. λ.,

rursus in furto perpetuo deprehenditur; ut illud, v, 49, sq.:

Ἥξει δ' ἁγνὸς ἄναξ, κ. τ. λ.,

desumptum est e libro VIII, v. 169, sq. Illa quoque, v. 51, sq.:

Καὶ τότε Λατίνων ἀπαραίτητος χόλος ἔσται,
Τρεῖς Ῥώμην οἰκτρῇ μοίρῃ καταδηλήσονται,

respiciunt ad libr. VIII, v. 93 et 65. Deinde versus 54 et 55 partim repetiti sunt e libro II, v. 196, 340. Versus 56 est e libro VIII, v. 213. Versus 57-59 e libro VIII, v. 123, sqq. In versu 69, ὀδμὴ θείου est e libro VII, v. 142. Ipsa autem transitio unius et dimidii versus, 61, sqq., respicit, uti jam notavimus, ad lib. III, v. 210.

Itaque certissimum est totam hanc libri tertii particulam usque ad versum 62, unde alius incipit ordo sententiarum, vix aliud quam rhapsodiam esse aliorum librorum, præsertim VIII, § 1. Hæc vero omnia, simul cum illa, quæ ultima venit, transitione, v. 61, sqq.:

Ἀτὰρ τὰ ἕκαστ' ἀγορεύσω,
Ὅσσαις ἐν πόλεσι μέροπες κακότητα φέρουσι,

aditum parabant ad librum alium postea proditurum, incertum quem, quia vel periit hodie vel locum mutavit; fortasse ad librum III, § 2, satis quidem probe huc accessurum, si recisis quæ de Titanibus narrantur, initium fiat a versu 199, ubi est transitio huic nostræ simillima:

Τί δὴ καθ' ἓν ἐξαγορεύω, κ. τ. λ.

Incertum tamen maneat quidquid secuturum erat. Id utique conjici licet, editorem sive interpolatorem librorum I et II, peracto quod

instituerat opere ut ex illis libris synopsin quamdam historiæ sacræ conficeret, novum consilium iniisse profanæ quoque historiæ ex Sibyllinis vaticiniis contexendæ: ad quod opus exordiendum et cum priore aptandum, prologum hunc paraverat quem nunc præfixum tertio libro legimus; sed postea viribus aut animis deficientibus, consilium abjecit, substititque repente in eo versu unde initium novi libri ducturus erat.

Nunc vero prologus ille supervacaneus operis abortum passuri, quo sit modo confectus, propius inquiratur. Nam vidimus quidem ejus pleraque ex antiquo Procemio Sibyllino esse desumpta, ita tamen refecta atque coagmentata ut vix ea credamus ex interpolatoris minime poetæ officina sic, ut sunt, prodiisse. Fuit vero, nisi fallimur, totum illud exordium, III, v. 8-45, olim secundo libro præmissum ab auctore primario, atque inde huc ab interpolatore translatum. Unde hoc tu, inquit aliquis? Ex ipsa transitione soluto sermone scripta, quam hodieque nonnullis in manuscriptis præfixam huic libro legi diximus, quæque necessario epitomatori nostro imputanda est; sic autem se habet: Ὡσαύτως καὶ τοὺς πολυθείαν νοσοῦντας ἐλέγχει, τούς τε ἀδίκους καὶ ἁμαρτωλούς· καὶ συμβουλεύει, ὡς συγγενὴς [sic lege, non συγγενεῖς], τὸν ἕνα καὶ μόνον σέβειν Θεόν· εἶτα παροιμιάζει τὴν ἄθλησιν τῶν ἁγίων· καὶ τελευταῖον, etc. Vides ante parœmias illas Phocylideas, de quibus egimus supra cap. 11, ideoque ante versum secundi libri 56, lectam olim fuisse sub illius libri initia cohortationem quamdam ad impios ut a falsorum numinum cultu ad verum Deum reverterentur, quæ nunc secundo libro nulla est, legitur autem initio libri tertii: quare ipsam e libro II huc translatam putamus.

De versibus statim sequentibus 46-62 idem pæne affirmare ausimus. Sunt isti magnam partem desumpti e libro VIII, § 1, confectique primum non ab epitomatore, nisi fallimur, sed ut priores, ab ipso libri secundi auctore primario, qui sic utcumque impleverat lacunam carminis sui inter Christi mortem et judicium supremum. Simul ergo cum prioribus ab interpolatore videntur e libro II huc fuisse translati.

Quid deinde post versum 62? Aperte nova pars inde incipit, in qua de extremis temporibus ac de præsagiis judicii propinquantis agitur, sicut fere secundo libro, v. 167, sqq.; et hic agnoscimus quædam ex illo libro non modo similia jam lectis, sed plane eadem, nisi quod paulo latius amplificata. Nam Antichristus Belial, qui prius uno versu dictus fuerat, lib. II, v. 167:

Ἥξει καὶ Βελίαρ, καὶ σήματα πολλὰ ποιήσει
Ἀνθρώποις......,

versus integros duodecim hic obtinet :

'Ἐκ δὲ Σεβαστηνῶν ἥξει Βελίαρ μετόπισθεν,
. . . . καὶ σήματα πολλὰ ποιήσει
Ἀνθρώποις· ἀλλ' οὐχὶ τελεσφόρα, κ. τ. λ.,

Agnoscis eadem utrinque verba, eamdemque sententiam, sed lib. III, majus in spatium productam; ac, si propius attendas, videbis hoc quoque sequens hemistichium, lib. III, v. 69 :

Πιστούς τ' ἐκλεκτοὺς 'Εβραίους,

bis expressum fuisse libro II, v. 169 et 175, iisdem plane syllabis cum eadem in 'Ἑβραίων mediæ syllabæ correptione quam diximus libris I et II familiarem esse. Quid ergo putes? nisi hunc quoque locum e secundo libro decerptum esse et huc allatum, relictis ex ejus initio pauculis verbis.

Adduntur deinde libro III, v. 75, sqq., de mulieris imperio quædam ad libri VIII imitationem scripta, quæ libro II nunc absunt, sed olim ibi potuerunt inesse. Item multa de fine mundi ac de universi orbis imperio, quæ magnam partem libro VIII nunc leguntur, sed olim fortasse pars erant ipsa quoque secundi libri.

Quid multa? Totam putamus libri tertii partem primam, seu § 1, fragmentis esse consutam e libro II detractis, quæ primo, usque ad versum 62, ea mente consarcinata fuerant, ut prologum facerent tertii libri retractati; postea mutata mente abjectoque libri III retractandi consilio, pleraque congessit huc epitomator quæ prius e libro II reciderat, quadam videlicet parcimonia, ne omnino perirent.

Quæ si ita sunt, ac si totum hoc libri tertii initium ab interpolatore retractatum est, jam nulla causa est quominus epilogum quoque hujus libri ab eodem refectum et aliquot versibus auctum credamus. Nunc enim lectori in mentem revocare liceat id quod supra, cap. 1, pag. 323, observavimus, ultimos hujus libri versus undecim spurios videri et posterius additos. Scias ergo Lactantium ceterosque antiquos Patres, quum epilogum tertii libri ob oculos haberent, (Lactantium quidem de Assyria Sibyllæ origine totum pæne locum, id est, versus 808-817, vel aperte laudantem, Div. Inst., lib. I, cap. 6, vel partim etiam ipsis verbis citantem, lib. IV, cap. 15), tamen sequentia penitus ignorasse videri, in quibus Sibylla suam cum Noëmo cognationem profitetur, v. 818, sqq. :

Ὅς γάρ ἐμοὶ δήλωσεν, ἃ πρὶν γενετῆρσιν ἐμοῖσιν,
Ὅσσα τε πρῶτ' ἐγένοντο. . . . . . .
. . . . ὅτε γὰρ κατεκλύζετο κόσμος
Ὕδασι, καί τις ἀνὴρ μόνος εὐδοκίμητος ἐλείφθη, ...
Τοῦ μὲν ἐγὼ νύμφη τε, κ. τ. λ.

Quæ si Lactantius cognovisset, mirum sane nisi alicubi ad illam Sibyllæ suæ tam veterem tamque sanctam prosapiam respexisset! Nec sane de illa muliere scripturus erat, lib. I, cap. 6 : « Quum esset orta Babylone; » sed profectam Babylone, non ortam dixisset. Quare opinamur hæc quoque epilogi extrema ab epitomatore conficta esse, tum quum tertium librum retractatum secundo adjungere meditaretur, ut diximus; postea mutato consilio, tamen scripta reliquisse, quæ scripserat.

Ac licet supra dixerimus non videri nobis hominem istum metricæ rei tam peritum ut multos versus de suo adderet aut magnam libri alicujus partem denuo reficeret, credimus tamen versus undecim facile ab eo confieri potuisse, præsertim undequaque corrasos. Porro primam hujus loci sententiam e libro I desumere potuit, in quo legerat, v. 287, sqq. :

Ὦ γενεῆς ἕκτης πρῶτον γένος, ὦ μέγα χάρμα,
Ἧς ἔλαχον μετέπειτα, ὅτ' ἔκφυγον αἰπὺν ὄλεθρον,
Πολλὰ κλυδωνισθεῖσ' ἅμ' ἐμῷ πόσει καὶ δαέρεσσιν,
Ἠδ' ἑκυρῷ θ' ἑκυρῇ τε, κ. τ. λ.

Etiam quum notasset id quod jam diximus, primo libro ante diluvium et usque ad sextam generationem omnia, velut gesta, narrari; posteriora, velut futura, prædici; scripsit inde quæ sequuntur :

Ὅς γάρ ἐμοὶ δήλωσεν ἃ πρὶν γενετῆρσιν ἐμοῖσιν,
Ὅσσα τε πρῶτ' ἐγένοντο, τά μοι Θεὸς ἐγκατέλεξε·
Τῶν μετέπειτα δὲ πάντα Θεὸς νόῳ ἐγκατέθηκεν,
Ὥστε προφητεύειν, κ. τ. λ.

Vides idem præteritorum futurorumque discrimen. Id vero quam impedite dixit, quam confuse, quam negligenter! Τά μοι Θεὸς ἐγκατέλεξε, et statim Θεὸς νόῳ ἐγκατέθηκεν. Quod tamen ipsum desumpsit e libro VIII, v. 359, ubi legitur :

Αὐτός μοι τάδε πάντα Θεὸς νόῳ ἐγκατέδειξε,

si codicem A sequamur; sin alios, κατέλεξε. Sic et sequens versus : Ὥστε προφητεύειν, κ. τ. λ., partim est ex ipso libro III, v. 811, partim ex Homero. Sequentia de diluvio ac de Noemo forsan olim lecta fuisse credas initio libri VII, ubi pauca de hoc argumento fracta mutilaque remanserunt, v. 8, sqq. ;

Νῶέ τις ἐκ πάντων μοῦνος φυγὰς ἤλυθεν ἀνδρῶν,
. . . .
Πλεύσει γῆ, πλεύσει δὲ ὄρη, κ, τ. λ.

Ultimus denique epilogi simul et libri versus ex octavo libro prodiit, et quidem ex loco jam supra citato, v. 360 :

Καὶ δι' ἐμοῦ στόματος τὰ λελεγμένα πάντα τελέσσει.

Credimus ergo hujus epilogi hanc partem, sicut initia ejusdem libri, scriptam esse ab epitomatore librorum I et II, non ab antiquissimo Sibyllista Ptolemæis suppari, neque ab ullo Sibyllistarum sub Antoninis aut tertio post Christum sæculo, sed aliquanto serius, tum quum ipsa, qua nunc fruimur, Sibyllinorum collectio facta est: quando autem, alibi commodius inquiremus.

CAP. XIII. *De libris XI, XII, XIII, XIV.*

De quatuor ultimis Sibyllinis libris nulla difficilis controversia oriri potest. Ii diu ignoti latuerant, quum haud ita pridem ab illustrissimo cardinali A. Maio reperti sunt et in lucem prolati, nempe liber XIV anno 1817, ex Ambrosiano codice, et idem cum tribus prioribus, anno 1828, e Vaticanis chartis. Nos eosdem, in codice Monacense repertos, cum Ambrosiana et Vaticana lectione diligenter contulimus. Sunt autem, sive stylo, sive metro, sive rebus æstimentur, omnium Sibyllinorum ultimi atque infimi; præterea pleni sunt ceterorum librorum fragmentis nunc turpiter exscriptis, nunc mutilatis, adulteratis, male intellectis, omni modo vexatis; indigni denique qui vel cum pessimis ejusdem familiæ comparentur, unde fit ut a nullo veterum Patrum citati unquam fuerint, tanquam pudore quodam impediente, ac fortasse non parum contulerint ad convellendam jam illis temporibus imminutam Sibyllarum auctoritatem.

Liber undecimus regnorum et populorum historiam decurrit usque ad Ægyptii regni, exstincta Cleopatra, finem.

Liber duodecimus Romanos recenset imperatores ab Augusto usque ad Alexandri Severi exitum.

Liber tertius decimus ab Alexandri Severi exitu procedit usque ad Odenati regnum, cui vates incolume regnum cum Persarum pernicie pollicetur, v. 170, sq.:

> Αὐτὸς δὴ ὁλόκληρος, ἀλώβητος καὶ ἄπληστος,
> Ἄρξει Ῥωμαίων· Πέρσαι δ' ἔσσοντ' ἀλαπαδνοί.

Liber quartus decimus incipit ab Odenati ejusque sociorum victoria, Sapore scilicet et Persis ex agro Romano rejectis: tum ad ejus necem ignavorum scelere patratam oblique respicitur; innuique post illum videtur, sed obscure et dubie, Aureolus princeps, quem Gallieno successurum fortasse sibi fingebat Noster, Aureliano nondum ad apicem rerum evecto. Longa postea Romanorum principum series evolvitur, sed jam prorsus vatis arbitrio confictorum. Nam hactenus unus quisque imperator prima nominis litera facile agnoscebatur;

postea pergit quidem pseudopropheta nominum initia designare, sed temere et contra omnem historiæ fidem, nulla ex istis literis ad certum notumque nomen pertinente; ac sub istis fortuitis principibus qui nunquam regnaturi erant, multa ventura canit quæ nec evenerunt unquam, nec evenire potuerunt : id quod necessario accidere debuit audacter vaticinanti quæ nesciebat, et in obscuram temporis futuri noctem, quasi obnupto capite, se conjicienti.

Hæc usque ad versum hujus libri 279, id est, ultra dimidium librum. Hic vero prædicit Noster imperii Romani finem, v. 280, et postea novam, incertum quam, progeniem in orbe terrarum, auspice Deo regnaturam, per longam patrum ac filiorum seriem, v. 281, sqq.

Interea novum in Ægypto florebit imperium, v. 284, sqq., quod tamen a vicinis Syris bello tentatum, opem ab Italia flagitare cogetur, v. 287, sqq.; ac deinceps duo regna, Ægypti nempe et Italiæ, in unum coalescent, v. 295.

Inde pergit vates futura Ægypti et Alexandriæ fata detexere, v. 296, sqq., multa præsertim bella prædicens Judæorum cum Ægyptiis, variante eventu, donec magna multitudo Judæorum cadat ab Ægyptiis in litore maris interfecta, v. 345, sqq. Post quæ raptim canit, paucis versibus et obscuris, fœdus inter duos populos ictum, v. 347, mœnia urbis miseræ (an Hierosolymorum?) instaurata, v. 349, sqq., redditam terris felicitatem appropinquante rerum fine, v. 351, sqq. Denique sancti cujusdam populi (Judæorum, an Judæo-Christianorum?) æternam in terris dominationem, v. 360, sq.

Hæc de quatuor librorum argumento abunde dicta sint ad firmandam eorum ætatem: patet enim tres priores tum scriptos esse, quum in Oriente victor regnaret Odenatus, ergo inter annos post Christum natum 263 et 267. Ultimus paulo post ceteros compositus, quoniam ducere videtur initium ab indigna morte tanti viri, v. 17 :

Τὸν δὲ λέοντ' ἐδίωξε κύων ὀλέκοντα νομῆας.

Simul, sed id quoque ambigue, designatur ejus successor, qui Aureolus, non Aurelianus intelligendus est, ut jam diximus. Ceterum de Zenobia ne verbum quidem, ut eam viro successuram videatur nec scisse nec præsensisse Noster, atque ideo scripsisse illum necesse est continuo post auditam Odenati mortem, anno 267 desinente, ad summum 268 incipiente. Fuisse illum origine Judæum, patria seu domicilio Alexandrinum, nemo dubitabit qui ultima libri XIV, præsertim post v. 284, relegerit, in quibus tam crebra tamque prolixa fit mentio seditionum in ea urbe exortarum inter Ægyptios et Judæos.

Sed de ejus religione ambigi potest; non quod immorandum sit eorum conjecturæ qui gentilem eum putaverunt propter sæpius usur-

pata nomina Martis (Ἄρεως) et Ditis (Ἅδου) aliorumque Deorum, non tam proprio quam allegorico sensu : id enim in omnibus Sibyllinis libris, maxime vero I et II, sæpissime accidit (confer supra, pag. 393). Totus certe liber XI aperte biblicas historias exponit ; prologi deinde et epilogi librorum sequentium non possunt nisi a Judæo vel Christiano homine profecti esse. Imo christianam doctrinam haud obscure profitetur duobus locis, nempe libro XII, v. 30, sqq. :

Ἀλλ' ὁπόταν ἀστὴρ πανείκελος ἠελίοιο
Λαμπρὸς ἀπ' οὐρανόθεν προφανῇ ἐπὶ ἤμασι μέσσοις,
Καὶ τότε δὴ κρύφιος ἥξει Λόγος Ὑψίστοιο
Σάρκα φέρων θνητοῖσιν ὁμοίιον.

Iterum, ibidem, v. 232 :

Καὶ Λόγος ἀθανάτου μεγάλου Θεοῦ ἤλυθεν εἰς γῆν.

Utrum tamen vere et ex animo sacris nostris addictus fuerit, dubium videri potest, quod bis tantum, locis nempe prædictis, ad christiana dogmata respexerit; quod sæpius de Judæis loquatur cum nimio affectu; quod denique post Romanum imperium regnaturos illos in terris prædicere videatur, lib. XIV, v. 281, sqq. :

Καὶ βασιλεία μετ' αὐτὴν ἐξαναφύσει,
Παῖδες καὶ παίδων γενεὴ ἀσάλευτος ὑπάρξει·
Ἔσται γὰρ γνωστή οἱ, ἐπεὶ Θεὸς αὐτὸς ἀνάσσει.

Id enim ad Christianos pertinere posse vix credimus ob illud imprimis παῖδες καὶ παίδων γενεή. Et hoc etiam, quod ultimis duobus ejusdem libri versibus prædicitur in eamdem prope sententiam :

Καὶ τότε δ' ἁγνὸν ἔθνος πάσης γῆς σκῆπτρα κρατήσει
Εἰς αἰῶνας ἅπαντας ἅμ' ἰφθίμοισι τοκεῦσι,

de Judæo potius quam de Christiano populo intelligendum videtur. Quid ergo putes? Fuisse Sibyllistam istum Christianum quidem, sed Judæum simul; imo Judæum magis quam Christianum, prorsus ut de libri V auctore conjecimus, de quo multa nos supra, cap. 7. Id tamen tertio sæculo magis fortasse mirum quam secundo, etsi multas judaïsmi reliquias etiamtum superfuisse monstraturi sumus in Exc. VI. Reliquum est ut cogitemus multos semper fuisse viros dubiæ fidei et fluctuantis conscientiæ, talesque repertos fuisse etiam inter Christianos illorum temporum, Alexandriæ præsertim, in illa, quam Hadrianus probe depinxit (confer supra, pag. 355), superstitionum ac sectarum omnium sentina.

De nostro autem poeta eo minus benigne sentimus, quod suspectus nobis est non solum ambiguæ religionis, verum etiam ingenii minus honesti : quippe quum nullibi fere in his quatuor libris sincerum pietatis affectum spiret (ne tum quidem quum libro I multa e

sanctis decerpit historiis), sed unice intentus videatur detexendo penso atque absumendæ materiæ, quæstus causa, ut nobis videtur, quem e librorum mercatura sperabat. Qua ex parte accedit quidem ad libri quinti auctorem, longe tamen infra deprimendus, sive ob deterius dicendi genus, seu quia scriptor libri quinti præoccupatus, ut plurimum, videtur argumentis saltem a re sacra non alienis, Antichristi adventu, rerum fine, etc.; hic vero profanis potius vaticiniis gaudet, nec finem rerum tanquam propinquum exspectat, nec finem ipsius Romæ aut ethnicæ superstitionis, nisi post longa sæcula et multas regum generationes (confer librum XIV pæne integrum). Notandum tamen aliquid huic cum auctore libri quinti commune, quod astrologiæ nonnulla passim vestigia præbeat, qualia sunt lib XI, v. 126, ὀλοῷ κεκερασμένη ἄστρῳ, et lib. XIII, v. 72, ὡρονόμοι ἀστέρες.

Ceterum si quis unquam Sibyllista libros suos priorum exuviis ornavit, is sane est. Si enim, quæ passim e ceteris libris compilavit, ei demere velis, dimidiam fere totius operis partem subtrahas. Nec fere est ulla pars Sibyllinorum antiquiorum, unde non aliquid decerpserit, atque e recentioribus etiam aut ætatis suspectæ libris. Ita e libro III, § 3, complures habet locos, XI, 48, 56, 106, 125, sqq. 138, 140, 163, sqq. 198, sqq. 217, 245, 250, sqq. 307; XII, 38, 152, sq. 172, 194; XIII, 50, 120, sq.; XIV, 245. E libro VII aperte ducta sunt hæc, XI, 185, 223; XII, 227; XIII, 119. E libro I, licet tum temporis admodum recenti, multa quoque, XI, 8, sqq. 11, sqq.; XII, 104, 142; XIV, 5, 55, 86, sq. 229, 284. E libro II, pariter multa, XI, 36, sqq.; XII, 295; XIV, 4, 7, 108, 260, 356, 358. Sed dignus pæne venia est, quum scripta compilat aliena, qui suis ipse non parcat. Quippe infinita sunt loca in quibus ultimi isti libri, invicem se transcribentes, versuum et hemistichiorum mutuo certant latrocinio: quæ si quis noscere velit, adeat nostrum ad ipsos libros commentarium. Ita verum est quod jam alibi notavimus, Sibyllistas, præsertim recentiores (qui et plerumque deteriores sunt), festinatione scribendi et prava versificandi facilitate raptos, ex tempore, ex re nata, ac sæpius e memoria quam ingenio, quidquid sibi occurreret vel suum vel alienum, modo ornandis et augendis vaticiniis suis commodum, in chartas inanes congessisse.

CAP. XIV. *De octavi libri partibus ultimis*, § 3 *et* 4.

Et jam cum Sibyllinis pæne transegimus, quoniam, quæ solæ hactenus intactæ nobis relictæ sunt, libri octavi partes, § 3 et 4, non modo a nullo veterum tanquam Sibyllinæ citantur, potiusque videntur omnibus ignotæ fuisse; sed ne Sibyllinæ quidem poeseos titulum aut speciem affectant. Quippe nec veram originem suam dissimulant, uti infra dicetur, nec ullam vaticinii formam exhibent, sed hymni potius cujusdam inter epicum et lyricum genus medii, quales, si fas nimium distantia conferre, apud Homerum Callimachumve miramur, sive ut a summis ad ima delabamur, qualem fere Sibyllinum librum VI notavimus supra, cap. 9.

Est hymnus hic noster divisus in duas partes, quas in fronte quidem paginarum suis olim numeris discrevimus, § 3 et 4; incerto tamen et fortasse vano discrimine, sicut infra videbitur.

Incipit prior pars a Dei per se geniti, id est, Dei Patris encomio, v. 430, sq. Transit inde ad creationis opus simulque ad redemptionis consilium, v. 442, sqq. Narrat allatum Virgini Mariæ ab Angelo nuntium divinamque conceptionem, v. 457, sqq. Prima deinde post Christi natales divinitatis signa, stellamque Magorum, et pastorum adorationem, v. 475-480 : atque ibi dehiscente codicum scriptura, post lacunam ingentem, qua ceteras Christi res gestas absorptas esse palam est, incipit pars ultima, § 4, brevis illa ac vix aliud continens quam christiana morum præcepta, v. 481, sqq., nec dissimulata origine; sic enim habet, v. 484 :

Τοὔνεκεν ἡμεῖς ἐξ ὁσίης Χριστοῖο γενέθλης
Οὐρανίης πεφυῶτες,

desinitque in Dei optimi maximi laudes, repente in medio versu 501 cum ipso carmine abruptas..... Nec tamen multa deesse videntur, sed duo fere aut tres versus, divina fortasse quædam attributa complectentes. Nam quid multis opus, quum vel duobus tantum verbis additis et versus claudi posset et carmen impleri :

Παγγενετῆρα Θεὸν, πινυτόφρονα, [ῥύτορ' ἁπάντων].

Amplior profecto fuit media inter duas partes lacuna, nec primo aspectu tam facile supplenda. Quanquam quid vetuit poetam, postquam Redemptoris ortum vitamque narrasset, doctrinam quoque ejus et præcepta, tanquam in epilogo, proponere? Atque ita sponte fit transitus a prioribus ad hos versus, 481, sqq. :

Ἐν κραδίῃ τε ταπεινοφρονεῖν, πικρά τ' ἔργματα μισεῖν,
Καὶ πάντως ἀγαπᾶν τὸν πλησίον, κ. τ. λ.

27.

Inde illud est quod supra diximus, dubitare nos utrum recte has partes tanquam duas discreverimus, quum e duabus una fieri posset. Imo jam piget hæsisse, quoniam in ambabus easdem fere dicendi virtutes reperimus : motum quemdam et colorem orationis; spiritum in verbis, et in numeris amplitudinem; nonnihil denique poeticæ facultatis, ne arte quidem destitutæ : simul vitia pauca vel toleranda, et affectationi potius quam negligentiæ tribuenda; figuras nempe audaciores, et studium falsæ elegantiæ, nimium auribus tribuentis, sectantis strepitum verborum et novitatem epithetorum, pæne ut apud Nicandrum vel Oppianum. Hæc in principio præsertim et in fine carminis. Quum vero ad Virginem Mariam cælestis nuntius affertur, lene aliquid et suave spirat oratio, scita, venusta, non tamen sine ambitione quadam : credas te Nonnum vel Coluthum vel Musæum legere. Sunt igitur bona plura malis mixta. Inter mala reputandus est ingratus ille vocum hebraïcarum ad græcum morem minime inflexarum usus, Γαβριήλ nempe et Βηθλεέμ, quod vitium in ceteris quidem Sibyllinis occurrit, vix tamen alibi quam in recentioribus et deterioribus libris I et II, unde fortasse hujus libri proditur ætas illis proxima.

Ceterum summa est utriusque partis orthodoxia. Quippe seu de Filii generatione, v. 440, sq., seu de Christi natalibus, v. 457, sqq., nihil judaïsmum, nihil arianismum redolet. Præsertim de divinitate Verbi incarnati, etiam in ipso conceptionis actu, admodum diserta sunt testimonia, v. 462 :

Δέξαι [ἐν] ἀχράντοισι Θεὸν σοῖς, Παρθένε, κόλποις,

et infra, v. 474 :

Ἀλλ' οὐδὲν μέγα θαῦμα Θεῷ Πατρὶ καὶ Θεῷ Υἱῷ.

Unum forsitan hodierno alicui theologo displiceat, quod in christianis ritibus usu florum et cereorum et thuris interdici videtur. Sed eadem et in Sibyllini libri VIII maxime orthodoxa parte, § 2, et apud Lactantium aliosque veteres æqua severitate damnari, monuimus jam olim et alias monebimus. Duriora sunt hæc judicia, et sane iniqua, sed ideo tantum quia duriora. Imo in his laudare forsitan et mirari possis antiquam cultus christiani simplicitatem, de qua plura dicentur in Exc. VI.

Sed vel illa rituum modestia ætatem denuntiat priorem Constantini temporibus. Contra color quidam dicendi neotericus, quamvis scitus et elegans, et in illa concinnitatis affectatione negligens iste, quem supra notavimus, hebraïcarum vocum usus, ætatem prodens inflexam ac degenerem; præterea in pangendis Virginis Mariæ laudibus amplior forsitan excursus quam pro primi aut secundi sæculi more;

vix nos sinunt hujus carminis originem citra tertii sæculi declive jam tempus inquirere. Fuerint igitur partes hæ duæ tertii libri eodem fere tempore scriptæ, quo libri I et II, sæculo III fere medio. De patria auctoris quidquam suspicari in illa versuum paucitate vix licet, nisi quod largior quædam poeticæ dictionis ubertas Asiaticum potius quam Alexandrinum sapit ingenium.

CAP. XV. *De præfatione Anonymi græci ad Sibyllina.*

Post omnes libros acturi nunc demum sumus, quamvis id præpostere factum videri possit, de præfatione græca quæ nonnullis in manuscriptis et in plerisque post Castalionem editis Sibyllino corpori præfixa legitur. Quæ quidem diu credita est, et usque in hunc fere diem a doctissimis etiam viris credebatur Antimachi fetus esse, Ferrariensis medici sæculi XV, circa græca studia plurimum versati; quia scilicet a Castalione primum in lucem edita fuerat hoc titulo: Μάρκου Ἀντωνίου Ἀντιμάχου προοίμιον εἰς τοὺς Σιβυλλιακοὺς χρησμούς, idque fucum fecit ipsi Fabricio, Bibl. gr. t. I, p. 261, ed. Harl. Sed plane falso id creditum esse jam olim in notis ad tom. I demonstravimus, nec Antimachi, sed veteris alicujus Anonymi manu præfationem hanc esse scriptam. Quippe Antimachus in apographo suo repertam, Castalioni anonymam, ut erat in codice, miserat; is autem ab ipso mittente compositam putavit, ut mos erat illius temporis eruditis in græca oratione scribenda se exercere. Errorem atque ipsam erroris causam abunde monstrat exemplar ipsum Antimachi hodie superstes et cuivis volenti consulendum in Cæsarea Vindobonæ bibliotheca. Neque in illo tantum, sed etiam in Scoriacensi codice legitur integra præfatio; imo partim etiam in ceteris codd., qui plerique saltem ex ejus fine istos versus retinuerunt:

Εἷς Θεὸς, ὃς μόνος ἄρχει, κ. τ. λ.,

quidam insuper cum Betuleiano exemplari ultimam addentes periodum: Ὅπερ εἴρηκεν, κ. τ. λ. Quum igitur recens non sit hæc præfatio, sed omnibus saltem exstantibus hodie Sibyllinorum codicibus anterior, quærendum quis eam et quando scripsisse videatur.

Theologus profecto fuit, ac, nisi fallimur, monachus describendis libris operam dare solitus: id arguit longa apud eum enumeratio rerum theologicarum quas in Sibyllinis miratur solasque cura dignas censet (præf. § 1), et quod eos maxime laudet atque æmuletur, qui,

sanctos videlicet exscribendo libros, aut excerpendo, aut utcumque retractando, sibi simul et lectoribus prosunt, ἑαυτούς τε καὶ τοὺς ἐντυγχάνοντας ὠφελεῖν δυναμένους (ibid.).

Vixit autem sub Romæ novæ, id est, Constantinopoleos imperio, quippe qui Ῥώμης τῆς πρεσβυτέρας mentionem faciat (ibid. § 3); nec parvo post tertium sæculum intervallo : nam de Lactantio loquitur pæne ut de vetere aliquo scriptore, lectoribus ignoto, sibi etiam male noto ; errat imo turpiter dum Capitolii sacerdotem illum facit (ibid.). Sed idem fortasse non infra sextum sæculum demittendus est. Loquitur enim de gentilibus, τοῖς νοσοῦσι τὰ τῶν Ἑλλήνων (ibid. § 4), tanquam adhuc suo tempore aliquid valentibus. Ait illos Sibyllina contemnere « quæ apud nos inveniuntur, » τὰ παρ' ἡμῖν εὑρισκόμενα, perinde ac si divisa etiamtum fuisset humana gens in duas partes, hinc Christianos, illinc gentiles : quod adhuc fortasse sub Justiniano scribi potuit, sed minime post illum, exstincto sævissimis ejus imperatoris decretis quidquid e pagana superstitione remanebat, vestigiisque veterum sacrorum, quæ vel minima supererant, nisi forte in obscuro viculi alicujus angulo, prorsus deletis.

Adde quod Noster fastidium Sibyllinæ poeseos inde ortum ait, quod ista oracula nimis vulgata circumferrentur : Ἐπεὶ οὖν τὰ παρ' ἡμῖν εὑρισκόμενα Σιβυλλιακὰ,...ὡς εὐπόριστα, τοῖς νοσοῦσι τῶν Ἑλλήνων εὐκαταφρόνητά ἐστι (τὰ γὰρ σπάνια τίμια δοκεῖ), κ. τ. λ. Atque id jam initio præfationis innuerat. Nam quod hic τὰ παρ' ἡμῖν εὑρισκόμενα, idem dixerat supra § 1, τοὺς ἐπιλεγομένους Σιβυλλιακοὺς χρησμοὺς σποράδην εὑρισκομένους. Quod, nobis quidem judicibus, ætatem sapit non illa, quam diximus, posteriorem. Quippe medio ævo, post sæc. VI, mentionem scimus fere nullam apud Byzantinos inveniri librorum Sibyllinorum, ita ut tum plerisque in Oriente viventibus ignoti fuisse videantur (confer Append. ad Exc. IV).

Id vero nobis multum habet momenti : nam, ut verum fateamur, suspicio nobis olim aliqua subrepserat, sæculo fortasse XV scriptam fuisse hanc præfationem a Scholario seu Gennadio patriarcha, quem Sibyllina tractasse eorumque mentionem alicubi scriptorum suorum fecisse noveramus ; qui vir de sui temporis neo-paganis ita loqui potuerat, tum quum adversus renascentem Plethonis auspiciis gentilitatem strenue depugnaret. Idem etiam, licet ab omni parte Græcus, et inde Latinis eorumque literis parum æquus, potuerat tamen in Italia, quum Florentinæ synodo interesset, vel fando vel etiam legendo aliquam inire cum Lactantio consuetudinem. Verum non ille certe scripsisset, sæculo suo quinto decimo, Sibyllinos libros, ut nimis vulgatos a quibusdam fastidiri, quum certissimum sit eorum librorum

exemplaria, quæ per totum medii ævi decursum rara fuerant, rariora etiam sub ejus ævi finem fuisse. Quorum unum sibi forte oblatum habuisse se et in Constantinopoleos expugnatione amisisse, testabatur ipse Gennadius in quadam nondum fortasse deperdita, sed nobis frustra quæsita tractatione, cujus mentio infra fiet. Alterum exemplar in insula Cypro inventum narrat Græculus jam a nobis citatus, auctor fragmenti anonymi de Sibyllis apud Cramerum, Anecd. Paris. t. I, p. 334, idque velut mirum aliquid et sibi lectoribusque novum tradit : Ταύτης δὲ τῆς Ἑβραίας Σιβύλλης βίβλον [an potius βίβλῳ?] ἐνέτυχον ἐν Κύπρῳ, κ. τ. λ. Atqui, quum ex iis quæ scribit, tum ex ipsa dictione, videtur is homo circa sæculum XV vixisse, id est, sub ipsa Gennadii tempora, unumque aliquem fuisse Byzantinorum quos eversa patria profugos, terra marique jactatos, Creta et Cyprus et Italia longinquis hospitiis exceperunt. Nec plus Sibyllinorum nostrorum lectioni initiatus fuisse videtur Constantinus Lascaris, sub eadem tempora vivens, doctissimus vir, quum in codice quem totum manu sua descripsit, docente Iriarte, Bibl. Madrit., t. I, p. 450, post Sibyllarum catalogum e Lactantio desumptum, sola tanquam Sibyllinæ poeseos exempla, Lactantiana fragmenta rescriberet. His paulo junior Manuel Adramyttenus in quadam tractatiuncula inedita, passim tamen in bibliothecis obvia, quum de Sibyllinis commentationem profiteretur hoc titulo : Συλλογὴ καὶ ἐπανόρθωσις τῶν Σιβυλλείων χρησμῶν, ὅσοιπερ περὶ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ θεολογεῖν ἐκ τοῦ προφανοῦς δοκοῦσιν, non alia tamen Sibyllina exponit atque interpretatur quam eadem illa e Lactantio fragmenta; in quibus sane non constitisset vir haud indoctus neque ineptus, si tum ipsos libros integros aut ad manum habuisset aut apud vulgus diffusos esse cognovisset. Adde quod annis postea plus sexaginta editi primum sunt a Betuleio, non sine magno literati orbis stupore, quum prius in Occidente prorsus ignoti fuissent; non sane tantam passuri oblivionem, si jam uno antea sæculo in Græcia pervulgati fuissent.

Sed omnem, si qua supererat, dubitationem tollit ejusdem, de quo modo dicebamus, Manuelis testimonium, non quidem in dissertatione supra laudata, sed in alio ejus codice autographo, qui nunc asservatur in bibliotheca Monacensi, n° CCCXXI, ubi hæc leguntur : Ὅτι κατὰ τὸν Γεννάδιον ἐννέα αἱ Σίβυλλαι πᾶσαι· κατὰ δὲ τὸν Λακτάντιον [ubi prius scripserat Γαλακτίωνα] δέκα· δεῖ δὲ πιστεύειν μᾶλλον τῷ Λακταντίῳ [prius Γαλακτίωνι] ὡς ἀρχαιοτέρῳ, καὶ μάλισθ' ὅτι τὸν Γεννάδιον εἰκός ἐστιν ἐπιλαθέσθαι τοῦ ἀριθμοῦ, ἀπολωλεκότα τὸ βιβλίον, τὸ τοὺς Σιβυλλείους περιέχον χρησμοὺς ἐν τῇ τῆς πόλεως ἁρπαγῇ, καθά φησιν αὐτός. Quo in testimonio hæc sunt præcipue notatu digna. Primum

novem tantum Sibyllas admisisse Gennadium, quæ in præfatione Anonymi decem sunt: quanquam mirum satis id videtur, ac potius credimus ambiguitate aliqua sermonis deceptum fuisse Manuelem, ut si forte Gennadius, Suidæ exemplo, primum de Chaldæa sive Hebraïca, tum de novem ceteris locutus erat. Deinde habuisse ipsum Gennadium penes se exemplar unum Sibyllinorum, quod postea, uti diximus, in excidio Constantinopoleos amissum desiderabat: hinc vero satis elucet rara tum fuisse hujusmodi exemplaria, quod modo contendebamus. Denique illud Gennadii testimonium fuisse Manueli ob oculos, unde ait, καθά φησιν αὐτός: quare ne nos quidem desperamus præsto illud nobis aliquando futurum, si quando licuerit omnia patriarchæ scripta inedita perscrutari, atque inde novam lucem opinioni nostræ affulsuram.

Rejecta igitur falsa de Gennadio suspicione, alium præfationis auctorem quærere jam cogimur; ac vel iis de causis quibus inducti Gennadium primum acciveramus, deinde exclusimus, necesse est rursus ad ea tempora relabamur quibus et magna adhuc esse poterat exemplarium Sibyllinorum copia, et de gentilibus mentio adhuc fieri tanquam aliquid valentibus et refutatione dignis. Hæ vero causæ ad sextum saltem sæculum, ne altius remeare tentemus, id est, ad proxima Justiniano tempora, nos reducunt. Nec alio nos ducent, si recte attenderimus, ea quæ in Præfatione traduntur de decem Sibyllis, et de Cumanæ libris Romæ asservatis, et de Fragmentis Erythrææ

Lactantius, Div. Inst. lib. I, cap. 6.	*Anonymi Præfatio ad Sibyllina,* § 2.
[M. Varro ait] Sibyllas decem numero fuisse: easque omnes enumeravit sub auctoribus qui de singulis scriptitaverunt.	Σίβυλλαι τοίνυν, ὡς πολλοὶ ἔγραψαν, γεγόνασιν ἐν διαφόροις τόποις καὶ χρόνοις τὸν ἀριθμὸν δέκα.
. . . . Sibyllinos libros ait non fuisse unius Sibyllæ, sed appellari uno nomine Sibyllinos quod omnes [feminæ] vates Sibyllæ sint a veteribus nuncupatæ: σιούς enim Deos, non θεούς, et consilium non βουλήν, sed βυλήν appellabant Æolico sermonis genere. Itaque Sibyllam dictam esse quasi σιοβύλην.	Σίβυλλα δὲ Ῥωμαϊκὴ λέξις, ἑρμηνευομένη προφῆτις, ἤγουν μάντις· ὅθεν ἑνὶ ὀνόματι αἱ θήλειαι μάντιδες ὠνομάσθησαν.
Primam fuisse de Persis, cujus	Πρώτη οὖν ἡ Χαλδαία, ἤγουν ἡ

apud Lactantium superstitibus; quæ omnia quando scripta fuerint, perspecta eorum origine cognoscemus. Nam primum catalogus ille Sibyllarum (Præf. § 3), quem plerique Suidæ tribuere solent, quippe in ejus lexico iisdem pæne verbis, quibus apud nos, editum, Suida ipsum citante haud paulo antiquior est, obvius quippe et apud Scholiastam Platonis ad Phædrum, et quod multo notabilius, apud Photium in Amphilochiis, quæst. 60. Omittimus pseudo-Hesychium Milesium, cujus opusculum e Suidæ laciniis consutum plerisque doctis videtur, et Anonymi fragmentum de Sibyllis, item ex Suida decerptum, quod ante hos paucos annos editum est a Cramero e Regio codice 854, in Anecd. Paris., t. I, p. 332, sqq. Negligantur hæc, quia de recentibus aut admodum suspectis non curamus. Sed aperte Photius Suidam tribus saltem aut quatuor sæculis præcesserat; Scholiastam vero Platonis, sive ignotum Scholiorum interpolatorem videtur Photius expressisse, quia ejus verba truncata reddit, ideoque posterior habendus est, uti mox ostendemus. Fons autem omnium Lactantius, ex quo defluxit magna ex parte catalogus iste Sibyllarum : qui quomodo in plures alveos derivatus sit, quo certius investigare possimus, quatuor ejusdem fragmenti lectiones uno quasi intuitu spectandas hic proponemus.

Quatuor nempe, non plures, quia Photius et Scholiasta vix a se invicem paucis alicubi voculis distant, quas nos suis locis annotandas curabimus.

Scholiasta Platonis ad Phædrum, et Photius, Amphil., 60.	*Suidas in Lexico, v.* Σίβυλλαι.
Σίβυλλαι μὲν γεγόνασι δέκα,	Σίβυλλαι γεγόνασιν ἐν διαφόροις τόποις καὶ χρόνοις τὸν ἀριθμὸν δέκα.
[Desunt verba, Σίβυλλα δὲ Ῥωμαϊκὴ, κ.τ.λ. apud Phot. et Schol.]	Σίβυλλα [hæc quoque Suidas, sed paulo infra, post Sibyllarum catalogum] Ῥωμαϊκὴ λέξις ἐστὶν, ἑρμηνευομένη προφῆτις, ἤγουν μάντις· ὅθεν ἑνὶ ὀνόματι αἱ θήλειαι μάντιδες ὠνομάσθησαν Σίβυλλαι. Σίβυλλαι τοίνυν, ὡς πολλοὶ ἔγραψαν, γεγόνασιν ἐν διαφόροις τόποις καὶ χρόνοις δέκα τὸν ἀριθμόν.
Ὧν πρώτη [Phot. πρώτη] ὄνομα	Πρώτη οὖν ἡ Χαλδαία, ἡ καὶ Περ-

Lactantius, Div. Inst. lib. 1, cap. 6.

mentionem fecerit Nicanor qui res Alexandri Macedonis scripsit.

Anonymi Præfatio ad Sibyllina, § 2.

Περσὶς, ἡ κυρίῳ [codd. κυρίως] ὀνόματι καλουμένη Σαμϐήθη, ἐκ τοῦ γένους οὖσα τοῦ μακαριωτάτου Νῶε, ἡ τὰ κατὰ Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα λεγομένη προειρηκέναι, ἧς μνημονεύει Νικάνωρ [codd. ἱκανῶς] ὁ τὸν Ἀλεξάνδρου βίον ἱστορήσας.

Secundam Sibyllam, cujus meminerit Euripides in Lamiæ prologo.

Δευτέρα Σίϐυλλα, ἧς μνήμην ἐποιήσατο Εὐριπίδης ἐν τῷ προλόγῳ τῆς Λαμίας [codd. Λαμίης].

Tertiam Delphida, de qua Chrysippus loquitur in eo libro quem de Divinatione composuit.

Τρίτη Δελφὶς, ἡ ἐν Δελφοῖς τεχθεῖσα, περὶ ἧς εἶπε Χρύσιππος ἐν τῷ περὶ Θεότητος βιϐλίῳ.

Quartam Cimmeriam in Italia, quam Nævius in libris belli Punici, Piso in Annalibus nominat.

Τετάρτη ἡ Ἰταλικὴ, ἡ ἐν Κιμμερίᾳ [codd. ἐν μερίᾳ] τῆς Ἰταλίας, ἧς υἱὸς ἐγένετο Εὔανδρος, ὁ τὸ ἐν Ῥώμῃ τοῦ Πανὸς ἱερὸν, τὸ καλούμενον Λουπέρκιον, κτίσας.

Quintam Erythræam, quam Apollodorus Erythræus affirmat suam fuisse civem, eamque Græcis Ilium petentibus vaticinatam et perituram esse Trojam et Homerum mendacia scripturum.

Πέμπτη ἡ Ἐρυθραία, ἡ καὶ περὶ τοῦ Τρωϊκοῦ προειρηκυῖα πολέμου, περὶ ἧς Ἀπολλόδωρος ὁ Ἐρυθραῖος διαϐεϐαιοῦται.

Scholiasta Platonis ad Phædrum, et Photius, Amphil., 60.

Σαμβήθη. Χαλδαίαν δέ φασιν αὐτὴν οἱ παλαιοὶ λόγοι, οἱ δὲ μᾶλλον Ἑβραίαν· καὶ δὴ καὶ ἑνὶ τῶν παίδων τοῦ Νῶε εἰς γυναῖκα ἁρμοσθῆναι, καὶ συνεισελθεῖν αὐτῷ τε καὶ τοῖς ἄλλοις ἐν τῇ κιβωτῷ· ταύτην δὲ [Phot. καί pro δὲ habet] τὰ περὶ τῆς πυργοποιΐας χρησμωδῆσαί φασι, καὶ ὅσα τοῖς τούτων συνέβη τολμήμασι· χρησμῳδῆσαι δὲ πρὸ τῆς διαιρέσεως τῶν γλωσσῶν γενομένην [Phot. γεγενημένην], γλώσσῃ φασὶ τὰ χρησμῳδηθέντα τῇ Ἑβραΐδι· οὐ μὴν δὲ, ἀλλὰ καὶ τὰ κατὰ τὸν Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα προειπεῖν· ἧς καὶ μνήμην Νικάνωρ, ὁ τὸν Ἀλεξάνδρου βίον ἀναγράψας, πεποίηκε.

Δευτέρα δὲ Λίβυσσα, ἧς μνήμην ἐποιήσατο ἐν τῷ τῆς Λαμίας [Phot. Λαμίης] προλόγῳ Εὐριπίδης. Ὄνομα δὲ αὐτῆς οὐ πάνυ σαφηνίζουσι.

Τρίτη Δελφὶς, ἡ ἐν Δελφοῖς τεχθεῖσα· περὶ ἧς ἱστόρησε Χρύσιππος [ἐν τῷ περὶ Θεότητος βιβλίῳ. Desunt hæc ultima apud Phot.].

Τετάρτη ἡ Ἰταλικὴ, ἡ ἐν ἐρημίᾳ τῆς Ἰταλίας τὴν διατριβὴν λαχοῦσα· [ἧς υἱὸς ἐγένετο Εὔανδρος, ὁ τὸ ἐν Ῥώμῃ τοῦ Πανὸς ἱερὸν τὸ καλούμενον Λούπερκον κτίσας· περὶ ἧς ἔγραψεν Ἐρατοσθένης. Desunt hæc ultima apud Phot.].

Πέμπτη ἡ Ἐρυθραία, ἥτις καὶ τὰ κατὰ τὸν Τρωϊκὸν πόλεμον συνενεχθέντα [Phot. συναχθέντα] προηγόρευσε, περὶ ἧς Ἀπολλόδωρος ὁ Ἐρυθραῖος διεξέρχεται.

Suidas in Lexico, v. Σίβυλλαι.

σὶς, ἡ κυρίῳ ὀνόματι καλουμένη Σαμβήθη [nec plura hic; sed idem Suidas alio loco: Σίβυλλα Χαλδαία ἡ καὶ πρός τινων Ἑβραία ὀνομαζομένη, ἡ καὶ Περσὶς, ἡ κυρίῳ ὀνόματι καλουμένη Σαμβήθη, ἐκ τοῦ γένους οὖσα τοῦ μακαριωτάτου Νῶε· ἡ περὶ τῶν κατὰ Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα λεγομένων προειρηκυῖα, ἧς μνημονεύει Νικάνωρ ὁ τὸν Ἀλεξάνδρου βίον ἱστορήσας· ἡ περὶ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ μυρία προθεσπίσασα καὶ τῆς αὐτοῦ παρουσίας, πλὴν ὅτι ταύτης εἰσὶ βιβλία κδ' περὶ παντὸς ἔθνους καὶ χώρας περιέχοντα. Ὅτι δὲ οἱ στίχοι αὐτῆς, et cetera, quæ vide infra.]

Δευτέρα ἡ Λίβυσσα [nec quidquam amplius].

Τρίτη ἡ Δελφὶς, ἡ ἐν Δελφοῖς τεχθεῖσα. [Nihil amplius, sed alias idem Suidas: Σίβυλλα Δελφὶς, ἣν καὶ Ἄρτεμιν προσηγόρευσαν. Γέγονε δὲ αὕτη πρὸ τῶν Τρωϊκῶν, καὶ ἔγραψε χρησμοὺς δι' ἐπῶν.]

Τετάρτη ἡ Ἰταλικὴ, ἡ ἐν Κιμμερίᾳ τῆς Ἰταλίας.

Πέμπτη ἡ Ἐρυθραία, ἡ πρὸ τοῦ Τρωϊκοῦ προειρηκυῖα πολέμου. [Nec plura de ea.]

Lactantius, Div. Inst. lib. 1, cap. 6.

Sextam Samiam, de qua scribit Eratosthenes in antiquis annalibus Samiorum reperisse se scriptum.

Septimam Cumanam, nomine Amaltheam, quæ ab aliis Demophile vel Herophile nominatur, eamque novem libros attulisse ad Tarquinium Priscum, etc. [Sequentia de Tarquinio confer infra post decem Sibyllas].

Octavam Hellespontiam, in agro Trojano natam, vico Marpesso [sic], circa oppidum Gergithium, quam scribit Heraclides Ponticus Solonis et Cyri temporibus fuisse.

Nonam Phrygiam, quæ vaticinata sit Ancyræ.

Decimam Tiburtem, nomine Albuneam, quæ colitur ut Dea juxta ripas amnis Anienis, etc.

.....Eamque [non Tiburtem, sed Cumanam, de qua supra] novem libros attulisse ad regem Tarquinium Priscum, ac pro eis trecentos Philippeos postulasse, regemque aspernatum, etc.

Anonymi Præfatio ad Sibyllina, § 2.

Ἕκτη ἡ Σαμία, ἡ κυρίῳ ὀνόματι καλουμένη Φυτὼ, περὶ ἧς ἔγραψεν Ἐρατοσθένης.

Ἑβδόμη ἡ Κυμαία, ἡ λεγομένη Ἀμάλθεια [codd. Ἀμαλθία], ἡ καὶ Ἡροφίλη [codd. Ἐριφίλη vel Ἐροφίλη], παρὰ δέ τισι Ταραξάνδρα [codd. Παραξάνδρα]· Βιργίλιος δὲ τὴν Κυμαίαν Δηϊφόβην καλεῖ, Γλαύκου θυγατέρα.

Ὀγδόη ἡ Ἑλλησποντία, τεχθεῖσα ἐν κώμῃ Μαρμήσσῳ [codex unus Μαρμίσῳ] περὶ τὴν πολίχνην Γεργίθιον [codd. Γεργιτιόνα], ἥτις ἐνορία ποτὲ Τρωάδος ἐτύγχανεν, ἐν καιροῖς Σόλωνος καὶ Κύρου, ὡς ἔγραψεν Ἡρακλείδης ὁ Ποντικός.

Ἐννάτη ἡ Φρυγία.

Δεκάτη ἡ Τιβουρτία, ὀνόματι Ἀλβουναία [codd. Ἀβουναία].

Φασὶ δὲ ὡς ἡ Κυμαία ἐννέα βιβλία χρησμῶν ἰδίων προσεκόμισε Ταρκυνίῳ Πρίσκῳ, τῷ τηνικαῦτα βασιλεύοντι τῶν Ῥωμαϊκῶν πραγμάτων, τριακοσίους Φιλιππαίους ὑπὲρ αὐτῶν ζητήσασα· καταφρονηθεῖσα δέ, κ. τ. λ.

Porro, si quatuor illa quinque auctorum testimonia conferamus, primum apud Anonymum præfatorem Lactantiana pæne omnia literatim expressa reperiemus, nihil fere omissum, pauca addita, quorum fontes partim latent, partim haud difficile indigitari queunt. Sibyllæ nomen, quod Lactantius cum Varrone æolicum fecerat, Noster ῥωμαϊκὴν λέξιν vocat, incertum latinam an, suorum temporum more, græcam intelligens: Romanorum certe lingua æolicæ affinis. Persicæ deinde Lactantii Sibyllæ Chaldæam haud inepte substituit, ejusque

Scholiasta Platonis ad Phædrum, et Photius, Amphil., 60.	*Suidas in Lexico*, *v.* Σίβυλλαι.
Ἕκτη ἡ Σαμία, ἧς τὸ κύριον ὄνομα Φυτώ φασιν.	Ἕκτη Σαμία, ἡ κυρίῳ ὀνόματι καλουμένη Φυτὼ, περὶ ἧς ἔγραψεν Ἐρατοσθένης.
Ἑβδόμη ἡ Κυμαία μὲν γένος, ὄνομα δὲ Ἀμάλθεια· οἱ δὲ Ἐρωφίλην φασί· παρά τισι δὲ κλῆσιν ἠνέγκατο Ταράξανδρα [sic]. Βιργίλιος δὲ, ὁ Ῥωμαίων ποιητὴς, Δηϊφόβην αὐτὴν ὀνομάζει.	Ἑβδόμη Κυμαία, ἡ καὶ Ἀμαλθαία [sic] καὶ Ἱεροφίλη [sic, nec plura adduntur].
Ὀγδόη ἡ Ἑλλησποντία, ἥτις ἐν κώμῃ Μαρμύσσῳ [Phot. Μαρμισῷ], τὴν γένεσιν ἔσχε, περί τινα πολίχνην Γεργετίωνα [Phot. Γεργετιόνα]· ὑπὸ τὴν ἐνορίαν δὲ αὕτη τῆς Τροίας ἐτύγχανεν. [Ἦν ἐν καιρῷ Σόλωνος καὶ Κύρου, ὡς ἔγραψεν Ἡρακλείδης ὁ Ποντικός. Desunt hæc ap. Phot.].	Ὀγδόη Ἑλλησποντία, τεχθεῖσα ἐν κώμῃ Μαρμίσσῳ [sic] περὶ τὴν πολίχνην Γεργίθιον, αἳ τῆς ἐνορίας ποτὲ Τρωάδος ἐτύγχανον, ἐν καιροῖς Σόλωνος καὶ Κύρου.
Ἐννάτη ἡ Φρυγία.	Ἐννάτη Φρυγία.
Ἐπὶ πᾶσι δεκάτη, ἡ Τιγουρτία [sic] μὲν γένος, ὄνομα δὲ Ἀβουναία [sic].	Δεκάτη ἡ Τιβουρτία, ὀνόματι Ἀλβουναία [alii codd. Ἀβουναία].
[Quæ sequuntur apud ceteros de Sibylla Tarquinii, φασὶ δὲ ὡς, κ. τ. λ., desunt apud Scholiastam et Photium.]	Φασὶ δὲ ὡς ἡ Κυμαία ἐννέα βιβλία χρησμῶν ἰδίων προσεκόμισε Ταρκυνίῳ Πρίσκῳ, τῷ τηνικαῦτα βασιλεύοντι τῶν Ῥωμαίων, καὶ τούτου μὴ προσηκαμένου, ἔκαυσε βιβλία β' [sic, nec plura].

nomen addit Σαμβήθην, incertum unde sumptum (cfr. Exc. I, c. 15), fabulosamque cum Noemo cognationem, ex ipsis Sibyllinis carminibus. In tertia Sibylla Chrysippum citat, περὶ Θεότητος, quum Lactantius latine et vere *de Divinatione* scripserit, unde agnoscas hominem Græcum in latinis nonnihil hæsitantem. In quarta, aliquid addit de Evandro, sumptum ex Alexandrino Clemente. In sexta Taraxandræ nomen Cumanæ addit Sibyllæ, auctore non satis certo; nam Suidas id alicubi de Phrygia. Quod vero Noster Virgilium citat, nihil mirum

qui in latinis literis non plane fuerit hospes. Quæ post catalogum sequuntur de Tarquinii Sibylla, sunt omnino ad Lactantii mentem ac pæne iisdem scripta vocibus, licet diversa lingua, atque insuper diverso loco : nam apud Lactantium ad Cumanæ nomen addita erant.

Nunc vero Scholiasta et Photius Lactantianam orationem multis verborum ambagibus circumducunt et amplificant, eoque plus quam Anonymus a latinis discedunt. Ceterum cum Anonymo in universis consentientes, in singulis pauca et levia discrepant. Primum Sibyllæ nominis etymologia carent, quam Anonymus a Lactantio acceperat. Deinde quum Anonymus Persicam Varronis et Lactantii servasset, altero tantum nomine Chaldæam vocari docens : Πρώτη οὖν ἡ Χαλδαία, ἤγουν ἡ Περσίς, κ. τ. λ., illi Persicam omnino sustulerunt, Chaldæam solam sive Hebræam retinentes. At si Anonymus prævios illos, non ipsum Lactantium ducem sequeretur, unde Persicæ mentionem accepisset? Quæ postea addunt de πυργοποιΐᾳ, videntur ab Eusebio vel Josepho accepisse; quæ de Sibyllæ vaticiniis hebraïca lingua scriptis, ex suo ipsi ingenio extuderunt, quo magis Hebrææ cognomen illi mulieri conveniret. In secunda Sibylla, ubi Photius cum Anonymo Λαμίης habet, rectius Scholiasta Λαμίας, sed hoc, ut

Justinus, Cohort. ad Græcos,
§ 37.

Ἔφασκον δὲ... ὅτι οἱ ἐκλαμβάνοντες τοὺς χρησμοὺς τηνικαῦτα, ἐκτὸς παιδεύσεως ὄντες, πολλαχοῦ τῆς τῶν μέτρων ἀκριβείας διήμαρτον· καὶ ταύτην ἔλεγον αἰτίαν εἶναι τῆς ἐνίων μέτρων ἀμετρίας, τῆς μὲν χρησμῳδοῦ, μετὰ τὸ πεπαῦσθαι τῆς κατοχῆς μὴ μεμνημένης τῶν εἰρημένων, τῶν δὲ ὑπογραφέων δι' ἀπαιδευσίαν τῆς τῶν μέτρων ἀκριβείας ἐκπεπτωκότων.

Anonymi præfatio ad Sibyllina,
§ 4.

Ἐπεὶ οὖν τὰ παρ' ἡμῖν εὑρισκόμενα Σιβυλλιακὰ,..... ὡς πάντων τῶν στίχων μὴ σωζόντων τὴν ἀκρίβειαν τοῦ μέτρου, ἀργοτέραν ἔχει τὴν πίστιν, αἰτία δὲ αὕτη τῶν ταχυγράφων οὐ συμφθασάντων τῇ ῥύμῃ τοῦ λόγου, ἢ ἀπαιδεύτων γενομένων, οὐ τῆς προφήτιδος· ἅμα γὰρ τῇ ἐπιπνοίᾳ ἐπέπαυτο ἡ τῶν λεχθέντων μνήμη.

videtur, librarii alicujus recentioris beneficio. In tertia non sunt apud Photium verba hæc, ἐν τῷ περὶ Θεότητος βιβλίῳ, ut nec in quarta, ἧς υἱὸς ἐγένετο Εὔανδρος, κ. τ. λ., et περὶ ἧς ἔγραψεν Ἐρατοσθένης, ut nec in octava, ὡς ἔγραψεν Ἡρακλείδης ὁ Ποντικός, quibus prætermissis recentior arguitur Photius quam Scholiasta. Hic vero Eratosthenis mentionem post Italicæ Sibyllæ nomen alieno loco intrusit, quæ apud Anonymum, ut apud ipsum Lactantium, recte ad Erythræam pertinet. Rursus ergo Anonymum Lactantio propiorem hac in parte invenimus. In septima Lactantianis addiderat hæc Anonymus: Βιργίλιος δὲ τὴν Κυμαίαν Δηϊφόβην καλεῖ Γλαύκου θυγατέρα. Photius et Suidas, Βιργίλιος δὲ ὁ Ῥωμαίων ποιητής, tanquam cum illo poeta minus familiares, et Γλαύκου θυγατέρα omittunt, quod Noster minime, nisi cetera quoque, de suo adjecisset. His omnibus manifestum fit Lactantium Anonymo præfuisse, ipsum autem Anonymum Scholiastæ, qui rursus Photio facem prætulit.

Idem aut simile colligi potest ex alio loco qui in fine præfationis legitur, non jam e Lactantio, sed ex Justino Martyre desumptus; quem locum prius Anonymo quam ceteris fuisse ob oculos et ab ipso primo transcriptum esse intelliget, qui rursus varia ab uno profecta testimonia conferre voluerit.

Scholiasta Platonis ad Phædrum, et Photius, Amphil., 60.

Ταύτας δέ φασι [Phot. ταύτας φασὶ] τῶν φρενῶν ἐξισταμένας τὰ μέλλοντα χρησμῳδεῖν· τῶν ὑπολαμβανόντων δὲ γραφῇ τοὺς χρησμοὺς οὐκ ἐχόντων σοφίαν τὰ χρησμῳδούμενα γράφειν ἀπταίστως, ἄλλως τε δὲ καὶ τῷ τάχει τῆς φορᾶς τῶν λόγων οὐκ ἐχόντων καθυπηρετουμένας τὰς χεῖρας, συμβῆναι πολλοὺς τῶν χρησμῶν εἰς χωλιάμβους διαπεσεῖν, καὶ μηκέτι τυχεῖν διορθώσεως, ἅτε δὴ τῶν χρησμῳδῶν γυναίων ἐν ἐκστάσει μὲν καθεστώτων, ἐπειδὰν τὴν ὕπαρξιν προηγόρευον τῶν μελλόντων, πεπαυμένων δὲ τοῦ χρησμολογεῖν, μηδαμῶς αἴσθησιν ἐχόντων μήτε ὧν ἔλεγον, μήτε τί ἂν βούλοιντο τὰ κεχρησμῳδημένα.

Suidas in Lexico, v. Σίβυλλα Χαλδαία.

Ὅτι δὲ οἱ στίχοι αὐτῆς ἀτελεῖς καὶ ἄμετροι εὑρίσκονται, οὐ τῆς προφήτιδός ἐστιν ἡ αἰτία, ἀλλὰ τῶν ταχυγράφων οὐ συμφθασάντων τῇ ῥύμῃ τοῦ λόγου, ἢ καὶ ἀπαιδεύτων γενομένων καὶ ἀπείρων γραμματικῆς· ἅμα γὰρ τῇ ἐπιπνοίᾳ ἐπέπαυτο ἡ τῶν λεχθέντων μνήμη· καὶ διὰ τοῦτο εὑρίσκονται οἱ στίχοι ἀτελεῖς καὶ διάνοια σκάζουσα· εἴτε κατ' οἰκονομίαν Θεοῦ τοῦτο γέγονεν, ὡς μὴ γιγνώσκοιντο ὑπὸ πολλῶν, κ. τ. λ. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἡ ἀσάφεια τῶν ὑπὸ τῆς προφήτιδος εἰρημένων καὶ τὸ πλεονάκις ἴσως ἀντιγραφῆναι τὸ βιβλίον, οὐδὲν θαυμαστὸν εἰ σύγχυσιν τῆς τε διανοίας καὶ τῶν μέτρων ἐμπεποιήκεσαν.

Patet hæc inter se comparanti Anonymum ab Justino sua mutuatum esse (quid mirum, quum supra quædam etiam de Evandro et Lupercali a Clemente Alexandrino acceperit?); Scholiastam vero Anonymi verba diffudisse per inutiles periodi longioris ambages; Photium a Scholiasta minime discessisse; Suidam multo magis in iisdem exscribendis prolixum ac redundantem fuisse.

Sed ut ad Lactantiana redeamus, a quibus longius vestigia Justini nos abduxerunt, si quis adhuc dubitat, vere Anonymum ipsum, non Scholiastam e Lactantio sumpsisse quæ de decem Sibyllis habet, intueatur velimus quæ statim post ipsa leguntur in græca præfatione, § 3 : Φασὶ δὲ ὡς ἡ Κυμαία ἐννέα βιβλία, κ. τ. λ. Ipsa est Lactantii narratio, tantum loco mutata, quam scriptores ambo pariter ad Cumanam Sibyllam retulerunt, Tarquinio libros suos venales offerentem, vix mutato verborum ordine, servata etiam Philippeorum mentione, quum nihil de toto illo negotio apud Scholiastam et Photium legatur. Deinde unius Cumanæ vaticinia a Romanis occuli docet Anonymus, rursus ad Lactantii mentem. Deinde Erythrææ unius libros ascripto ejus nomine dignosci, ceteros confusos atque indiscretos manere; hoc rursus e Lactantio. Statim vero, § 4, ipsius Lactantii laudes inchoat Φιρμιανὸς τοίνυν, κ. τ. λ., atque ex illius scriptis verba quædam, e latinis græce versa: Ἡμεῖς οὖν ἐκ τῶν κομισθέντων, κ. τ. λ., et septem versus Sibyllinos refert a Lactantio græce laudatos : Εἷς Θεός, κ. τ. λ. Nonne his omnibus palam fit Anonymo Nostro fuisse Lactantiana ob oculos? Quidni et illud de decem Sibyllis fragmentum? An quum Lactantium ipsum in ceteris sequeretur, interpretem Lactantii Scholiastam in catalogo tantum advocavit? An si Scholiastam secutus esset, felici aliquo casu ita ejus verba in compendium redegisset, ut inscius atque imprudens in ipsas Lactantii voces, non semel aut alicubi, sed semper et ubique incideret? Imo quid juvat apertæ rei, jamque, nisi fallimur, extra controversiam positæ, diutius immorari?

Lactantiana igitur legebat Anonymus ipse, ipse interpretabatur; eratque, ut diximus, Photio anterior, noni sæculi scriptore; imo anterior Scholiasta, qui Photio præiverat; et tum præterea vivebat Noster, quum adhuc pagana superstitio nondum prorsus e medio sublata esset. An non hæc omnia optime cadunt, uti jamdiu præsenseramus, in sextum sæculum, atque in ipsa potissimum Justiniani tempora, quibus et adhuc gentilitatis vestigia supererant, et Græci Byzantini latinis literis indulgere contra morem suum cœperant, præsertim recuperata Italia rursusque coalescente vetere imperio Romano; tum quum Pandectæ et Instituta in formam hodiernam redigebantur; tum quum Lydus de Magistratibus Romanis ac de Mensibus

libros suos e latinis auctoribus compilatos Romanæque eruditionis opibus plenos in vulgus edebat. Quæ quidem studia sub Justiniani successoribus, post amissam præsertim Italiam, maximeque post ruptam cum Latinis communionem deferbuerunt, serius multo nec ante Planudem sæculo XIV, imo ne tum quidem facile aut apud multos renascitura.

Jure ergo videmur Anonymi præfationem Justiniani temporibus ascribere. Quod si ita est, quantum inde lucis originibus Sibyllinæ collectionis affulgeat, proximo capite monstrabitur.

CAP. XVI. *De Anonymi partibus in Sibyllina collectione ordinanda.*

Multum progressi sumus, et metam prope contingimus. Nam auctorem Præfationis anonymæ novimus jam pæne familiariter. Porro eumdem illum fuisse Sibyllinæ collectionis ordinatorem vix dubitaverit qui ipsius verba relegerit, Præf. § 1 : Ἔδοξε τοίνυν διὰ ταῦτα κἀμὲ τοὺς ἐπιλεγομένους Σιβυλλιακοὺς χρησμοὺς, σποράδην εὑρισκομένους καὶ συγκεχυμένους, . . . εἰς μίαν συνάφειαν καὶ ἁρμονίαν ἐκθέσθαι τοῦ λόγου. Sparsos igitur libros confusosque repererat; ipsos in unam seriem redegit. Ea vero series non alia est quam nostræ collectionis hodiernæ : id vel uno satis arguitur indicio, quod omnibus Sibyllinis codicibus manuscriptis præfixa legitur hæc præfatio vel integra vel aliqua saltem ex parte, nempe ii saltem Lactantiani septem versus quibus ipsa clauditur, insuper cum ultima interdum iis subjuncta periodo. Omnia igitur exemplaria ab uno derivata sunt, cui nostra Præfatio adjuncta erat, promittens nuntiansque librorum collectionem plenam, nullibi profecto nisi in hodierno corpore inveniendam.

Nunc illum totius collectionis ordinatorem unum esse cum epitomatore librorum I, II, eodemque consarcinatore libri III, § 1, et partim epilogi quoque libro III subditi, satis, ut remur, patebit, si ad Præfationis omissa paulo ante verba respiciatur. Hinc enim palam erit præfatori non tam curæ fuisse vaticinationem ipsam Sibyllinam quam sacrarum rerum ibi insertarum mentionem; has itaque scripturas pæne ad divinas evehit, θείας γραφάς : et quasnam in iis partes admiratur? eas præcipue quæ de rebus divinis agunt, τὴν τούτων [τῶν θείων γραφῶν] ἀνάγνωσιν καὶ ἐπίγνωσιν ἐχούσας. Quarum materiam ipse deinde luculenter exponit, Præf. ibid. : Καὶ γὰρ περί τε Πατρὸς καὶ Υἱοῦ καὶ Ἁγίου Πνεύματος τῆς θείας καὶ ζωαρχικῆς Τριάδος ἀριδήλως διασαφοῦσι, περί τε τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ

Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τῆς ἐκ Παρθένου φημὶ ἀρεύστου γεννήσεως, καὶ τῶν ὑπ' αὐτοῦ τελεσθεισῶν ἰάσεων, ὡσαύτως τοῦ ζωοποιοῦ πάθους αὐτοῦ, καὶ τῆς ἐκ νεκρῶν τριημέρου ἐγέρσεως, καὶ τῆς μελλούσης γενέσθαι κρίσεως καὶ ἀνταποδόσεως ὧν ἐν τῷ βίῳ τούτῳ ἐπράξαμεν ἅπαντες. Πρὸς τούτοις τὰ ἐν ταῖς Μωσαϊκαῖς γραφαῖς καὶ ταῖς τῶν προφητῶν βίβλοις δηλούμενα περί τε τῆς κοσμικῆς κτίσεως, τῆς τε τοῦ ἀνθρώπου πλάσεως, καὶ ἐκπτώσεως τοῦ Παραδείσου, καὶ αὖθις ἀναπλάσεως, τρανῶς διαλαμβάνουσι. Porro ea sunt omnia duobus primis inclusa libris, imo sola pæne utrumque carmen implent: nam ut a Mosaïca scriptura ordiamur (quod ipse rectius fecisset Anonymus), habemus libro I totam pæne sacrarum historiarum seriem, nempe creationem mundi, I, v. 8, sqq., hominis facturam, v. 22, sqq., ejusdemque peccatum, v. 38, sqq., et e Paradiso miserrimam ejectionem, v. 50, sqq. Reliqua deinde sequuntur ab Anonymo memorata, nempe de sancta Dei Trinitate, saltem de Patre et Filio, lib. I, v. 324, sqq.; de incarnatione ibidem; de Virgine matre, v. 359; de conversatione Christi inter homines, v. 332, sqq.; de morbis ab eo sanatis, v. 351, sqq.; de passione et morte, v. 360, sqq.; de resurrectione, v. 379, sqq.; de judicio supremo, lib. II, v. 214, sqq.; de mercede justorum et impiorum, v. 254, sqq. Quæ quum legimus et cum Præfatione comparamus, fieri non potest quin cogitemus Præfationem primum institutam fuisse magis horum duorum librorum causa quam sequentium, in quibus, excepto libro VIII, § 2, sqq., nihil fere harum rerum apparet, nisi passim multis alienis immixtum involutumque. Et hoc est quod dicebamus supra, cap. 11 et 13, epitomatorem de duobus primis libris, qui ei fortasse primi obvii fuerant, primum unice cogitasse, e quibus unam totius historiæ sacræ synopsin conficere, μίαν συνάφειαν καὶ ἁρμονίαν τοῦ λόγου, in animo habuit. Ideo ipsum nonnulla ex iis libris recidisse, quæ vel a sacro proposito aliena essent vel latius excurrerent, interjectis, sicubi lacunæ grandiores viderentur, transitionibus istis prosa oratione scriptis, de quibus nos supra, pag. 394. Quoque manifestior rerum series in uno quasi conspectu proponeretur, duos illum libros, quos separatos invenerat, breviores jam factos, in unum redegisse, qui deinde editorum recentiorum arbitrio rursus in duos divisi sunt. Verum ut illis accidit quibus sitis bibendo crescit, peracto quod sibi proposuerat, cepisse Nostrum grandiora meditari, et ceteros quoque Sibyllinos libros voluisse in unam seriem componere, initio facto a tertio libro quem fortasse præ ceteris fama insignem cognoverat. Inde et prologum ei libro præfixum esse, consarcinatum ex aliorum librorum laciniis, et undecim versus epilogo ejusdem libri additos, de quibus adi nos supra, cap. 12. Postea mutato consilio, quia fortasse res nec recte

nec facile procedere videbatur, destitisse Nostrum a compingendis in unum corpus Sibyllinis libris, eosque tantum, quales erant, transcripsisse eo ordine, qui optimus primum intuenti visus est. Quod nos ei nequaquam vitio damus; sed magis gratulamur, quod sic integri fere ad nos pervenerint Sibyllini libri. Ea nobis totius hodiernæ collectionis origo vera est: quam quidem epitomatori nostro totam pæne deberi, etiam e proximo capite magis elucebit.

CAP. XVII. *De variis Sibyllinorum librorum collectionibus, deque eorum numero et ordine.*

In hac ergo Sibyllina collectione ordinanda quid fuerit præstandum editori antiquo sæculi VI, aut quid hujus modi præ se paratum invenerit, nunc est accuratius inquirendum.

Constat id quod jam olim alias et in notis ad Præfationem Anonymi monuimus, Lactantii tempore Sibyllina Christianorum carmina singula seorsim ac nullo ordine legi solita esse, distinctis tantum et proprio titulo designatis quæ præ ceteris Erythrææ Sibyllæ tribuebantur. De quo tamen Lactantium ipsum rursus audire juvet, Div. Inst. lib. I, cap. 6 : « Harum, inquit, omnium Sibyllarum carmina et « feruntur et habentur, præterquam Cumææ, cujus libri a Romanis « occuluntur . . . Et sunt singularum singuli libri, qui quia Sibyllæ « nomine inscribuntur, unius esse creduntur; suntque confusi, nec « discerni ac suum cuique assignari potest, nisi Erythrææ, quæ et « nomen suum verum carmini inseruit ». Porro illud revera nomen, si non Erythrææ Sibyllæ, saltem Erythrarum ejus patriæ, insertum legitur, uti jam olim notavimus, tertio libro, sub finem. Nunc isne liber solus, an alii cum eo sub Erythrææ nomine comprehendi tum solerent, possumus ab eodem Lactantio discere, qui quum Sibyllinos versus multos multisque locis proferat, eos tantum pro Erythræis affert, quos e partibus duabus libri tertii, § 2 et 4, vel quos e Procemio excerpsit (Div. Inst. II, 13; IV, 6, 15; VII, 19, 20, 24; de Ira Dei, 22) : a quibus quum ad diversos transit, his plerumque verbis utitur : « Item alia Sibylla », vel « rursus alia Sibylla » (confer Exc. IV, pag. 272, sq.). Aperte ergo Lactantius partes istas, quas Erythrææ tribuit, discretas a ceteris legere consueverat, solasque hoc Erythrææ titulo et hac præcipuæ antiquitatis laude decoratas.

Primæ igitur collectionis instar fuit volumen istud, quo antiquitus inclusi fuerant,

1[e] Procemium Sibyllinum;

2° Tertii libri partes antiquiores, § 2 et 4.

Nec temere aut sine auctoritate Procemium primo loco ponimus, quum sic olim in aditu Erythræorum positum fuisse monstretur a Theophilo, ἐν ἀρχῇ τῆς προφητείας αὐτῆς, et a Lactantio, « in carminis « initio »: sicut Erythræa vel sic dicta apud Christianos carmina non ultra tertium librum processisse discimus ab eodem Lactantio, affirmante versum hunc: Ἄλλον ἔδωκε Θεὸς θνητοῖς ἄνδρεσσι γεραίρειν, « in « fine carminis », nempe Erythræi carminis, legi, qui revera numeratur hodie inter extremos libri tertii, v. 774. Quum ergo libri tertii partes antiquissimæ Ptolemæorum temporibus scriptæ sint (confer supra cap. 1); Procemium vero serius, nec ante secundi post Christum sæculi initium (confer cap. 3); quumque Theophilus, Commodo Romæ imperante, sub finem igitur secundi sæculi, junctos jam illos viderit libros, ætate licet tam diversos; necesse est primam istam quasi collectionem secundo sæculo fere medio esse factam.

Secundæ etiam collectionis auctor haberi potest, qui libro III partem mediam, nempe § 3, interpolavit; quem merito suspicati sumus eumdem esse cum auctore libri V. Nam is profecto Procemium et librum tertium a se auctum et quintum a se factum uno volumine conjunxerat; atque id etiam secundo sæculo fere medio: nam sub extrema Antonini Pii tempora scripsisse istum docuimus supra, cap. 7, sq. Ceterum non id consecutus est quod sperabat, ut additamenta sua pro Erythræis facile legenti cuique imponerentur: Lactantius enim nusquam libri tertii parte § 3 utitur (an quia adulterinam putavit?); ea vero quæ passim e libro quinto desumpta profert, nusquam cum Erythræis confundit.

Nulla videtur alia Sibyllinorum collectio primis Ecclesiæ sæculis esse facta; sed singuli libri, diversi atque dispersi ferebantur, uti cum Lactantio supra diximus. Eos tamen libros qui communi origine gaudebant, fraterno quasi vinculo mansisse plerumque inter se conjunctos, facile credas, ut libros I et II; item VI et VII; item XI, XII, XIII, XIV, ultimos illos omnium et uno prope jactu circa idem tempus emissos. Ceterum pro diversis apographis nunc singuli libri, nunc plures uno volumine continebantur; quum vero plures, nec numero semper, nec ordine prodibant eodem.

Fuit aliquando tempus quum alicui venit in mentem libros illos omnes undique collectos uno volumine sive uno corpore includere: idque contigisse primorum librorum epitomatori, anonymæ Præfationis auctori, abunde monstravimus supra, cap. 16. Porro ejus ætatem in Justiniani tempora conferri posse, multis argumentis ostenderamus jam antea, cap 15. Id plane congruit cum Procopii testimonio

non semel jam a nobis allato, jactantis omnes se Sibyllinos libros pervolvisse, ἐκεῖνα ἀναλεξάμενον ἅπαντα: quam hoc fidenter, nisi jam collectione nostra utebatur! Confer Exc. IV, p. 281, sq.

Nunc vetus collectionis hujus editor quot libros vel Sibyllinos vel pro Sibyllinis habitos ad manum habuerit, nec plane scimus, nec quisquam tuto dicere poterit, quia potuit plures interdum libros in unum compingere, quod præsertim de libris I et II, olim in unum conjunctis, notavimus, quodque de libris III et VIII admodum est verisimile. Tamen ab ipso quatuordecim libros, id est, quot nunc habentur, primitus emissos fuisse, prope certum est. Nam si alios paulo plures, incredibile prorsus foret, tot a sanctis Patribus afferri versus ex superstitibus hodie libris, e reliquis vero nullum. Nam Procemium quidem Sibyllinum sæpe a Patribus citatum, in nostris vero codicibus non obvium, cur ex hac collectione sit resectum, diximus supra, cap. 12, nempe quod pars maxima ejus carminis olim secundi libri initiis inclusa atque inde in exordium libri III translata fuerit. Lactantiana vero fragmenta, duo, non plura (tertium enim obscurum et incertum est), quæ hodie nusquam exstant in Sibyllinis libris, ad Procemii Sibyllini lacunam esse referenda, suis locis monuimus; confer not. ad ipsa fragmenta, et cur. post. ad Procem. v. 36.

Adde quod ultimi quatuor libri, tum quum recens ab Angelo Maio reperti sunt, suis numeris insigniti occurrerunt, ια', ιβ', ιγ', ιδ': quare decem tantum priores agnosci necesse est. Jam vero monstravimus octavum librum facile in tres libros dividi posse, qui hodie sunt VIII, § 1; VIII, § 2; VIII, § 3, 4: qui quum nec rerum tenore, nec sententiarum colore, nec genere dicendi, invicem cohæreant (confer supra cap. 4, 6, 14), melius inscriberentur libri VIII, IX et X. Ab his numeris sponte transitus fit ad sequentes XI, XII, XIII, XIV, qui ultimo omnium loco jure positi videntur, quia non loco tantum, sed et ætate et pretio infimi sunt: ita ut in decimo quarto substitisse transcribentis calamum haud immerito reamur.

Quod igitur scriptum apud Suidam legimus de Sibylla Chaldæa: ὅτι ταύτης εἰσὶ βιβλία κδ' περὶ παντὸς ἔθνους καὶ χώρας περιέχοντα, id est, Sibyllæ Chaldææ libros XXIV exstare, vix possumus quin adulteratum a librariis judicemus, et pro κδ' legendum esse ιδ', id est XIV pro XXIV. Quum vero scribit Servius ad Æn. III, v. 445: « Sane sciendum « omnia responsa Sibyllæ plus minusve centum contineri sermonibus », quod iterum pæne iisdem literis tradit ad Æn. VI, v. 43, accipiendum hoc est, de profanis oraculis Sibyllinis, nihil ad nostra pertinentibus, quorum syllogas plures antiquitus fuisse diximus in Exc. II, pag. 110.

Profanis enim semper auctoritatibus, non christianis aut judaïcis, uti solere Servium, in confesso est.

Gaudemus igitur quod integram Sibyllinorum christianorum collectionem, qualis certe sæculo VI habebatur, paucis exceptis lacunis, iisque non valde amplis, exhibere possimus. Quod si quid in librorum ordine desiderari potest, id ad ipsum sexti sæculi editorem referre licet, quem tamen raro vel in hac re deerrasse fatendum est. Nam si primos duo libros cum tertii parte § 3 excipias (qui cur ante omnes sint collocati, diximus), sequuntur ceteri satis recto temporum ordine III, IV, V, VI, VII....XI, XII, XIII, XIV. Peccatum est maxime, quod vetus Sibyllinum Procemium male omissum est. Peccatum etiam in libris I, II, III, § 1, qui longe infra, nempe ante librum XI, relegandi erant; et in libro VIII, cujus duæ priores partes melius locum superiorem post librum IV occupassent. Nunc verum ordinem librorum, qualem priscus editor, magna quidem ex parte conceptum, totum tamen comprehendere non valuit, ex iis quæ per hunc Excursum disputata sunt, reparare et in integrum restituere facile est.

CAP. XVIII. *Conclusio.*

Post exantlatum hunc de singulis libris ac de universis laborem, duo nobis agenda supererant, nempe ut de hodierna Sibyllini textus conditione aliquid etiam diceremus, utque de toto Sibyllino corpore judicium ferremus. Sed de textu quidem, quot et quorum editorum manibus elaboratum ad nos pervenerit, deque eo quam optime constituendo et de subsidiis ad id opus adhibendis, abunde dictum putamus quum in admonitione nostra ad prius volumen, tum etiam in præfatione ad curas posteriores. Judicium autem nostrum de Sibyllinis, quia longiore tractatione egebat, extra dissertationis hujusce spatium in proximos Excursus reservandum censuimus. Hic igitur finis labori nostro imponatur, monito prius lectore, nihil nos tot argumentis totque controversiis egisse, nisi id consecuti sumus, ut uniuscujusque Sibyllinæ partis materiam, originem, ætatem atque ordinem extra omnem dubitandi locum in tuto poneremus. Hortamur igitur enixeque oramus, quisquis de Sibyllinis sententiam secure ferre voluerit, libros omnes relegat eo ordine, quo singulos diximus esse scriptos. Ita vero collocandi sunt :

1° Liber III, § 2 et 4, judaïcus, ceteris omnibus multo antiquior, scriptus in Ægypto sub rege Ptolemæo Philometore, anno ante Christum fere 166 vel 165;

2° Liber IV, christianorum Sibyllinorum antiquissimus, scriptus in Asia, primo post Chr. sæculo, sub Tito, vel Domitiani initiis;

3° Prooemium, et

4° Liber VIII, § 2 : christiana ambo carmina et orthodoxa, fortasse ab uno auctore scripta, in Ægypto, circa initia secundi sæculi, sub Trajano vel Hadriano;

5° Liber VIII, § 1, mere christianus, sed doctrina millenarius, scriptus in Ægypto, sub Antonino Pio;

6° Liber III, § 3, et

7° Liber V, semi-judaïci ambo ac vix christiani, item in Ægypto, sub Antonino Pio;

8° Liber VI et VII, christiani omnino, sed hæresin redolentes, in Asia scripti, sub Alexandro Severo, circa annum 234;

9° Liber VIII, § 3, 4, omnino christianus et catholicus, sæculi tertii fere medii;

10° Libri I, II et III, § 1, christiani, in Asia scripti, sæculo item tertio fere medio, sed postea sub Justiniano retractati ab auctore Præfationis anonymæ, simul cum iis legendæ;

11° Libri XI, XII, XIII, XIV, vix christiani, scripti a Judæo sacris nostris haud alieno, in Ægypto, circa annum 267.

Hunc ordinem si quis in legendo secutus erit, habebit Sibyllinæ poeseos apud Judæos et Christianos initia, progressus atque defectum. Quod autem eam nos dispositionem in edendo carminum contextu neglexerimus, quodque a vulgatis ante nos librorum numeris minime discedendum putaverimus, ne quis objiciat, parum veremur. Servandi enim fuerunt ii numeri, qui et manuscriptorum exemplarium fide firmantur, et a doctis omnibus viris hactenus per tria fere sæcula citari soliti sunt. Atqui jam ab initio monuimus non novam nos instituere Sibyllinorum collectionem; sed pristinam, id est, a primario editore sexto sæculo factam, quantum nunc fieri potest, aut quantum in nobis est, restituere.

EXCURSUS VI.

DE MATERIA SEU DOCTRINA SIBYLLINA.

Quum in Excursu priore de argumento librorum, quales nunc exstant, Sibyllinorum abunde disputatum esset, restabat ut de ipso opere judicium ferremus. Totum autem de Sibyllinis judicium in duas partes dividi posse sensimus, quarum una est de materia seu doctrina; altera, si fas ita loqui, de forma, id est, de græcitate et metrica. Nam de arte et ingenio Sibyllistarum pauca, ut in re exili, digna sunt dictu, et quæ dicenda sunt, quum pleraque ad rem poeticam pertineant, vix a metrica separari possunt. Atque illam omnem partem quæ de forma est orationis, in singularem Excursum rejicere jam ab initio statueramus: de doctrina autem Sibyllina, quæ propius ad argumentum supra tractatum attinet, in fine et tanquam in epilogo prioris Excursus acturi eramus, nisi jam illa disputatio in spatium justo latius excurrisset. Id nobis causæ fuit, cur hanc, tanquam specialem aliquam commentationem a priore sejungeremus; atque ita pro sex Excursibus olim in præfatione nostra promissis, septem deinceps offerimus, a lectorum objurgatione securi, quum plus debito præstemus.

Doctrina vero Sibyllina, de qua in hoc Excursu agendum est, more apud theologos usitato distribuetur: pars enim ad facta, pars ad fidem, pars ad mores pertinet; unde tres etiam dissertationis partes erunt, quarum suo quæque græco nomine forsan haud absone vocabitur, historica, dogmatica, ethica.

PARS PRIMA SIVE HISTORICA.

Hujus primæ partis jejuna est in Sibyllinis materies, quam pro rerum natura in tria segmenta seu capita divisuri sumus, addito tamen, appendicis instar, uno capite de geographia et chronologia Sibyllina.

CAP. I. *Historia generalis.*

Generalem in Sibyllinis historiam, improprie licet, vocamus, quæ ad totius generis humani fata, id est, ad difficillimam et obscurissimam generationum supputationem pertinet. Quæ licet nullo neque ipsis e rebus neque e sanctis libris petito argumento nitatur, sed tota conjecturis et cujuslibet arbitrio permissa sit, Patrum tamen ecclesiasticorum plerorumque mentes præoccupavit, variisque modis ab hoc vel illo definita, in Sibyllinis quoque nostris non uno modo tractata reperitur.

Generatio, græce γενεά seu γένος, latine nonnunquam, et quidem elegantius, *ætas* aut *sæculum*, non uno sensu accipitur. Aut enim successionem hominum significat, seu tempus quo generationes proprie sic dictæ inter se distare solent, puta XXX vel XXXIII annos, aut longissimam hominis vitam, quæ vulgo centum creditur esse annorum. Et priore quidem sensu videtur uti Sibylla Erythræa apud Phlegontem de Longævis, cap. 4, et apud nos in Append. ad Exc. II, quum ad novem usque generationes vivendo pervenisse ipsa se dicit,

Ἐννέα μὲν γενεαῖς χαλεπὸν κατὰ γῆρας ἔχουσα,

etsi sunt qui novem sæcula malint. Altero sensu constat apud Latinos prævaluisse centenarium numerum, quod vulgo sæculum vocatur. Etrusci tamen aliter definiebant civitatis cujusque sæcula, apud Plutarch. in Sylla, t. III, p. 87, ed. Reisk., seu plenius apud Censorin. cap. 17: eorum nempe civium qui urbis natalibus affuissent, qui diutissime ævum tolerasset, ejus ætate terminari primum urbis sæculum; cetera deinde pari modo, eorum nempe hominum longissima vita qui sæculo novo incipiente lucis compotes fuissent; nunc igitur CV annis, nunc CXVIII, nunc CXXIII, etc.: atque ita, Syllanis temporibus, octavum gentis suæ seculum numerabant, duobus insuper reservatis, ut decem fierent. Addebant, initium cujusque ætatis certis signis seu prodigiis designari, quæ soli rerum divinarum periti interpretari possent. Et sic profecto intelligendum Vulcatii aruspicis dictum apud Servium ad Ecl. IX, v. 47, quum de novo quodam sidere interrogatus respondit « cometen esse, qui significaret exitum « noni sæculi atque ingressum decimi ».

Nec multum ab Etrusca supputatione discedebant Romani, quum, Augusti temporibus, mota de ludis sæcularibus controversia, sæculum alii centum annis, quæ vulgaris est notio, alii centum et decem definirent; confer Exc. III, pag. 227.

Sed aliud sibi vult apud Hesiodum vox γένος (nos vulgo *generatio*-

nem vertimus), Opp. et dieb. v. 109, sqq. Ibi enim capienda est de spatio temporis, plura forsitan sæcula includente, quod moribus hominum tunc viventium et quasi nova generis humani vita conspicuum sit atque ab aliis discretum. Videtur enim poeta, sicut jam monuimus in Exc. II, pag. 108, quinque tantum agnovisse hominum ætates, auream, argenteam, æream, quartam sine metalli nomine, quintam ferream quam suorum temporum esse dixit, v. 174, sqq.:

Μηκέτ' ἔπειτ' ὤφειλον ἐγὼ πέμπτοισι μετεῖναι
Ἀνδράσιν, ἀλλ' ἢ πρόσθε θανεῖν ἢ ἔπειτα γενέσθαι.
Νῦν μὲν γὰρ γένος ἐστὶ σιδήρεον, κ. τ. λ.

Ultimam hanc fore non dixit; sed innuit tamen, quum de sequentibus reticeat. Quid ergo sibi vult illud novissimum, ἢ ἔπειτα γενέσθαι? Poetico more dictum hoc existimamus, neque aliud significare quam præsentem hanc nostram deterrimam videri, minime optabilem, et qua potior quævis habenda sit.

Secutus eamdem rationem Ovidius, sed aliquanto parcior, quum Hesiodeas ætates sui juris faceret, Metam. I, 89, sqq., post æream statim ferream adduxit, omissa intermedia. Idem tamen, ne gratis ab Hesiodo discedere videretur, nec quartam numero, nec quintam hanc dixit, sed latiore verbo ultimam, ibid., v. 127:

De duro est ultima ferro.

Audacior, ut in satyra, Juvenalis, rem amplificavit, sat. XIII, v. 28:

Nona ætas agitur, pejoraque sæcula ferri
Temporibus.

Ad Hesiodeos vero calculos respicere putamus etiam versum Orphicum citatum a Platone in Phileb. sub finem, et Plutarcho, t. VII, pag. 537, ed. Reisk.:

Ἕκτῃ δ' ἐν γενεᾷ καταπαύσατε κόσμον ἀοιδῆς.

Eumdem enim cantibus quem mundo finem recte assignavit falsus Orpheus, id est, post quintam Hesiodi generationem.

Fuisse tamen aliam apud Græcos supputationem, quæ illo eodem lato sensu decem, non quinque hominum ætates introduceret, ex eo colligi potest, quod apud Servium legitur ad Eclog. IV, v. 4, fuisse carmen Cumanæ, ut ipse ait, (incertæ, ut nobis videtur), Sibyllæ, quo mundi generationes non jam metallorum (quanquam id ipse per errorem scripsit), sed deorum nominibus dividerentur, quis nempe Deus unicuique generationi præsidere censeretur, ita ut decima Apollinis præsidio gauderet, revoluto jam Anno Magno et renovato sæculorum ordine: confer iterum Excurs. II, pag. 107, sqq. Sic quidem Servius; et eam fuisse Virgilii mentem in quarta ecloga ostendit ad hos versus:

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas;
Magnus ab integro sæclorum vertitur ordo,

et infra, v. 10:

Tuus jam regnat Apollo.

Sed hæc, quum valde apud ipsum Servium obscura sint, neque alia quam ipsius auctoritate nitantur, nec satis appareat quam ipse Cumanam Sibyllam in mente habuerit, indicanda forsitan magis quam serio discutienda fuerint.

Erythræa Græcorum Sibylla, seu carminis Erythræi auctor, quisquis fuit, quo pacto generationes supputasse videretur, modo diximus. Transimus nunc ad ejus imitatores, Sibyllistas nostros; et quid ipsi senserint de hoc argumento, quærimus.

Antiquissimus horum, natione Judæus, γενεάς accepisse videtur non alio quam Erythrææ modo dicto sensu, qui et apud veteres Judæos solus usitatus reperitur, de veris nempe ac propriis generationibus hominum sibi succedentium: nam decimæ a diluvio ætatis, qua Saturnus et Titanes imperaverunt, initium facit post eversam Babelicam turrim, ita ut illo non valde amplo intervallo novem ætates comprehendat, lib. III, v. 108, sqq.

Καὶ τότε δὴ δεκάτη γενεὴ μερόπων ἀνθρώπων,
Ἐξ οὗπερ κατακλυσμὸς ἐπὶ προτέρους γένετ' ἄνδρας.
Καὶ βασίλευσε Κρόνος, κ. τ. λ.

Nec aliam secutus est rationem Tertullianus, ad Nat. II, § 12: nam ut ab Adamo usque ad Noemum decem generationes (longissimas illas, utpote ante diluvium), sic a Noemo ad Abrahamum decem numerat. Nec aliter Epiphanius, Hæres. 69, cap. 21, ab Adamo usque ad Christum LXII generationes habet, nempe, ut recte vidit Petavius, decem ante totidemque post diluvium, viginti ergo hactenus, inde ter quatuordecim, Matthæo duce, cap. 1, v. 11. Videtur ergo Sibyllista Judæus, inter Græcos agens, Græcorum pariter ac suorum origines a decima post diluvium generatione, nempe ab Abrahami temporibus, repetere voluisse; de ceteris inde generationibus nihil statuendum curasse.

At libro IV, qui et ipse perantiquus, imo christianorum Sibyllinorum primus habendus est, generationes hæ recensentur, sex Assyriorum, duæ Medorum, una Persarum, ut decima sit Græcorum et Macedonum et Romanorum, quod ipse diserte docet, v. 86, sqq.:

Ἀλλ' ὅταν ἐς δεκάτην γενεὴν μερόπων χρόνος ἔλθῃ,
Καὶ τότε μὲν Πέρσαις ζυγὰ δούλια, κ. τ. λ.

Porro ea supputatio cum priore commune nihil habet, minimeque potest ad rerum veritatem exigi: imo absurda prorsus et inepta

censenda est. Nam etiamsi pro dynastiis accipiantur quas poeta γενεάς vocat, non videtur sanus inde sensus erui posse, præsertim quum Græci et Romani una generatione includantur. Sed nihilominus apparet fuisse poetæ in animo ut quocumque modo numeratis generationibus decimam suam faceret, quoniam id communi traditione receptum ante se repererat; eamque omnium ultimam censuit et usque ad extrema mundi duraturam, v. 47 :

Ἀλλὰ τὰ μὲν δεκάτῃ γενεῇ μάλα πάντα τελεῖται,

unde et supra, v. 20, recta lectio a nobis restituta est :

Ἐκ πρώτης γενεῆς ἄχρις ἐς δεκάτην ἀφικέσθαι,

ubi vulgata falsa erat ἄχρις ἑνδεκάτης. Non potuit enim Noster a solemni illo denario numero discedere, quem in omnibus Sibyllinis nostris constare vidimus ac videbimus.

Liber VIII, § 1, mulieris ignotæ dominationem, quam ultimo judicio præviam fore vaticinatur, in finem conjicit decimæ generationis, his nempe verbis, v. 199, sqq. :

Ἀλλ' ὅταν ἡ δεκάτη γενεὴ δόμον Ἄϊδος εἴσω,
Θηλυτέρης μετέπειτα μέγα κράτος.

In quo sane videtur hic liber mirum quantum a ceteris discrepare, si post decimam superstes alia generatio intelligatur; sed cave credas, neve nimium latinæ interpretationi confidas, quam nos olim post ceteros editores servandam male duximus. Nunc enim re maturius perpensa, quum e versu priore verbum absit et sensum in medio relinquat, nihil obstare censemus quominus, pro παρέλθῃ, suppleatur ἐλθεῖν μέλλῃ, seu simile quid; vel quod magis fortasse placeat, δεκάτη γενεή lato sensu accipiatur pro maxima decimæ parte, provectæ jam et ad finem vergentis.

Dolemus nec in libro VIII, § 2, nec in cognato ei Procemio quidquam occurrere quod ad hanc controversiam referri possit. Etiam libro V magnum de hac re silentium est. At libro VII semel decimæ generationis mentio fit, tanquam funestæ et exitialis, v. 97 :

Ἔσσῃ δ' οὐκέτι νῆσος, ὅταν δεκάδος χρόνος ἔλθῃ,

unde conjicimus decimam illam, sicut a ceteris Sibyllistis, ita ab hoc quoque, tanquam extremam, prædici.

Libri II initio aliter quidem definiri videntur decimæ generationis exordia post ethnicæ religionis finem, v. 15, sqq. :

Δὴ τότε καὶ γενεὴ δεκάτη μετὰ ταῦτα φανεῖται
Ἀνθρώπων, ὁπόταν σεισίχθων ἀστεροπητὴς
Εἰδώλων ζῆλον θραύσει, κ. τ. λ.

Ex iis autem quæ paulo ante dixerat poeta, quæque mox additurus est, sequitur decimam illam non aliam esse quam Christianorum

post eversa Romana sacra in terris dominantium; eamque mox affore, imo jam inceptam esse, quod minime dictu absonum fuit, tertio sæculo pæne ad medium progresso. Consentit ergo Noster cum ceteris Sibyllistis de numero ipso generationum, decem quippe illas recensens, licet diverso satis et proprio sibi modo. Quippe memineris primo libro, ab ejusdem auctoris manu profecto, ætates ante diluvium quinque designatas fuisse : nunc aliæ totidem post diluvium sequuntur hoc ordine :

Sexta (a diluvio prima), prorsus aurea, cælicolarum, lib. I, v. 283, sqq.;

Septima (a diluvio secunda), Titanum, qui turrim Babelicam exstruxerunt, v. 307, sqq.;

Octava deest;

Nona deest, sed aperte censenda Græcorum et Romanorum, eadem quæ libro IV decima erat;

Decima (a diluvio quinta, ab orbe condito decima,) Christianorum erit, et in judicium supremum desinet, lib. II, v. 15, sqq.

In libris denique XI-XIV, omnium novissimis et deterrimis, unum occurrit de ea re testimonium, initio nempe libri XI, v. 14, sqq. :

Δὴ τότε καὶ δεκάτη γενεὴ μερόπων ἀνθρώπων,
Ἐξ οὗ ταῦτ' ἐγένοντο, μερίζετο γαῖα δ' ἅπασα
Ἀλλοδαπῶν ἀνδρῶν, κ. τ. λ.

ubi decimæ generationis initium non ab orbe condito vel submerso, sed ab eversa Babylonica turri ducitur, prorsus ut libro III, quem aperte videtur iste ob oculos habuisse. Ita libros omnes Sibyllinos in denario numero conspirare verum est, omnesque præsentem hanc decimam et ultimam facere, quamvis suo quemque modo calculum subducentes : quos deinde parum refert interrogare, unde hoc petierint, utrum ab aliqua antiquiore judaïca traditione, an ab etruscis vel græcis, de quibus supra dictum est, opinionibus.

In tanto igitur horum librorum consensu mirum forsan videatur, de ipso denario numero differre a nostris librum IV Esdræ apocryphum, secundo sæculo iisdemque fere temporibus scriptum, quibus libri prodiere Sibyllini V et VIII, § 1. Ibi enim non decem, sed duodecim generationes numerantur his verbis, cap. 14, v. 11, sq. : « Duodecim enim partibus divisum est sæculum, et transierunt ejus « decima et dimidium decimæ partis; supersunt autem ejus post me« dium dimidiæ partis. » An ergo undecimam intellexit, qua Messias in terris regnaturus esset; duodecimam vero, post judicium extremum? Imo libentius credimus latinæ interpretationis vulgarem textum in mendo cubare prorsusque a vero distare. Est enim diversa lectio

æthiopicæ versionis, a cl. Laurence latine sic redditæ: « Decem enim partibus dispositus est mundus, et venit ad decimam, et superest dimidium decimæ ». Ita redit Esdras ad communem Sibyllistarum opinionem: qui tamen, utcumque legatur, in hoc certe consentit, quod præsentem generationem decimo signat numero. Et hoc nobis obiter annotasse satis sit: Sibyllas enim, non Esdram interpretamur.

CAP. II. *Historia profana.*

Post fabulosas seu conjectaneas ætatum distributiones transimus ad veram historiam, ac primum ad profanam, brevioris quippe argumenti, quoniam ei minor pars in Sibyllinis tribuitur.

Regnorum sive imperiorum successio, quæ, juxta generationum supputationem, historiæ apud veteres alterum fundamentum est, non semel in libris nostris recurrit, ita tamen ut aliquid discriminis inter diversos intersit libros.

In libri III parte § 2 antiquissima, hic ordo servatur, v. 158, sqq.:

Αὐτὰρ ἔπειτα χρόνου περιτελλομένοιο
Αἰγύπτου βασίλειον ἐγείρατο, εἶτα τὸ Περσῶν,
Μήδων, Αἰθιόπων τε, καὶ Ἀσσυρίης Βαβυλῶνος,
Εἶτα Μακηδονίων, πάλιν Αἰγύπτου, τότε Ῥώμης.

Prodit hoc Ægyptii hominis affectum, seu Judæi potius in Ægypto degentis, atque ideo nationem illam bis supra ceteras evehentis, nempe sub Pharaonibus et Ptolemæis. Persas vero et Medos et Æthiopas et Babylonios, sine temporum aut locorum discrimine, conjicit in unum quasi acervum. Et quod magis mireris, quum primas partes Ægypto palam dedisset, eas deinde ad Salomonem transferre quodammodo videtur, dum illi regi maximam Asiæ partem et Persas ipsos subjicit, v. 167, sqq.;

Οἶκος μὲν γὰρ πρώτιστος Σολομώνιος ἄρξει
Φοινίκης τ' Ἀσίης ἐπιβήτορας, ἠδὲ καὶ ἄλλων
Νήσων, Παμφύλων τε γένος, Περσῶν τε, Φρυγῶν τε,
Καρῶν, καὶ Μυσῶν, Λυδῶν τε γένος πολυχρύσων.

Quas poetæ Judæi hallucinationes de Salomonis imperio neglexerunt ceteri Sibyllistæ, præter unum auctorem libri XI, de quo infra: reliquam vero libri tertii doctrinam de regnorum successione rursus eamdem prope invenias libro VIII, v. 6, sqq.:

Πρῶτα μὲν Αἰγύπτου βασιλήϊον, εἶτα τὸ Περσῶν,
Μήδων, Αἰθιόπων, καὶ Ἀσσυρίης Βαβυλῶνος,
Εἶτα Μακηδονίων τῦφον μέγαν αὐδήσασα,
Πέμπομαι εἰς Ἰταλῶν, κ. τ. λ.

Confer hos versus cum illis supra quatuor e libro III allatis; ac nota non rerum modo similitudinem, sed vel in singulis verbis ac syllabis furtum plagiarii manifestum.

Melius auctor libri IV prisca illa imperia suo quodque ordine recensuit, etiam e singulorum historia nonnihil delibans, v. 49, sqq. :

Πρῶτα μὲν Ἀσσύριοι θνητῶν ἄρξουσιν ἁπάντων,
. . . .
Οὓς Μῆδοι καθελόντες ἐπαυχήσουσι θρόνοισι.
. . . .
Περσῶν δὴ κράτος ἔσται ὅλου κόσμοιο μέγιστον.
. . . .
Αὐτὰρ ἐπεὶ σκήπτροισι Μακηδόνες αὐχήσουσιν.
. . . .
Ἰταλὸς ἀνθήσει πόλεμος μέγας, κ. τ. λ.

Ubi tamen mireris omissam Ægypti mentionem; ac vel inde discas non Ægyptii, sed Asiatici hominis manum huic libro allaborasse.

Libro I sperasses eamdem materiam tractatum iri, nisi profana omnia recidisset editor alienus, uti abunde monstratum est in Exc. V, cap. 10 et 16.

At libro XI redit imperiorum series, prorsus accedens ad libros III et VIII, § 1, multorum tamen versuum rerumque multarum ambagibus implicita, v. 19, sqq. :

Πρώτη δ' Αἴγυπτος βασιληΐδα δέξεται ἀρχήν.
. . . .
Ἀλλ' ὁπόταν ἄρξῃ Πέρσης, ...
Καὶ τότ' ἔσῃ Πέρσῃσι λάτρις Μήδοισι δοθεῖσα.
. . . .
Καὶ τότε σοι, Μηδία γαίη, κακὰ πολλὰ ποιήσει
Ἰνδογενὴς πολύολβος. . . . .
. . . .
Ἡνίκα θὴρ βριαρὸς δ' ἥξει σὺν Ἄρηϊ κραταιῷ,
Αἶ αἶ σοι, Περσὶς γῆ, ὅσσ' ἐκχύματα δέξῃ
Αἵματος ἀνδρομέου. . . . .
. . . .
Ἀλλ' ὅταν Ἰταλίη προφύῃ μέγα θαῦμα βροτοῖσι, κ. τ. λ.

Ita suo rursus adsunt ordine, 1° Ægyptii; 2° Persæ et Medi; 3° Indi sive Æthiopes; 4° Macedones; 5° Itali seu Romani. In his quoque Ægyptius, id est, Judæus Alexandrinus auctor agnoscitur; et is, more Græcorum antiquiorum, Persas ac Medos confundit. Æthiopas, quos cum prioribus libris Indos vocat, illos videtur intelligere qui bis Ægyptum tenuerunt, et aliquando Assyriis graves fuerunt,

melius ergo ante Persas collocandi. Ceterum, ordinem imperiorum satis laudabiliter instituit. Solertius vero quam libro III, Salomonis regnum ita laudavit ut ejus memoria cum Assyriorum rebus confunderetur, veritate sane repugnante, celante tamen hoc mendacium poetico artificio.

Ex his cursim lustratis colligere est, Sibyllistas historiarum non admodum peritos diligentesve fuisse, neque magnas populorum vices, quales reapse fuerunt, recte omnino concepisse, aut in iis tradendis multum veritati consuluisse; sed partim ex antiquioribus historicis, partim, idque sæpius, e prioribus Sibyllinis, decerpsisse quæ sibi placerent, eaque versibus inclusisse, facta sæpe mutantes aut miscentes, nihil aut parum caventes, quominus circa rerum ordinem aut circa res ipsas deerrarent.

Inde necessario sequitur, ut nulla pæne fides iis tribuenda sit, neque ad illustrandas historias quidquam fere lucis ex eorum libris emicet. Atque istud non tam mirandum quam dolendum alicui forsan videbitur, consideranti quam variis temporibus scripti sint ii libri, pars sub Ptolemæis, alii sub Tito vel Domitiano, plerique sub Antoninis, novissimi sub triginta Tyrannis, et omnes illis potissimum sæculis quorum annales mutili et obscuri ad nos pervenerunt. Facile igitur spes subire poterat ex illa tam ampla versuum segete nonnihil bonæ frugis excerpi posse. Verum omnes vixere Sibyllistæ, nisi forte sub Ptolemæis, procul ab imperia regii sede, procul etiam a publicis negotiis, in obscura fortunæ conditione, præterea in Judæorum vel Christianorum numero, invisi ergo gentibus aut fastiditi, et a potentiorum commercio segregati: inde nihil fere de temporis sui rebus rescire potuerunt, nisi per communem famam, quæ etiam in maximis rerum vicibus, quum de populorum et regnorum fortuna ageretur, rara ad illos ac sæpius incerta perveniebat. Plerumque igitur, quum præterita narrant, trita et omnibus nota proferunt, seu forte per ignorantiam adulterata. Quum ad res sui temporis respiciunt, vel ex industria tenebris eas involvunt, vel rumores vulgi potius quam ipsam factorum veritatem sequuntur. In summa, quod ad rerum gestarum scientiam pertinet, prorsus hos libros negligendos putares, nisi quod historiæ pars sunt etiam opiniones veræ falsæve, quæ sub unumquodque tempus trans diversa partium studia in vulgi mentes penetraverunt; quippe hæc et similia ab humani ingenii et morum publicorum cognitione minime sunt aliena.

Facta porro ad historiarum usum notatu digna inter tot narrata vel prædicta quærentibus nobis, licet in Sibyllina lectione diu versatis, hæc pauca nec magni momenti occurrerunt :

1° Machabæis in Judæa pro suorum libertate pugnantibus, commotos fuisse etiam in Ægypto Judæorum animos et ab auxilio fratribus ferendo vix a Ptolemæis retentos fuisse, lib. III, v. 734, sqq.

2° Romanos fastos a Sibyllistis quibusdam, incertum quo auctore, breviores factos esse annis cx quam vulgo sunt (confer infra, cap. 4).

3° Tiberio, tanquam Parthis ab ipso devictis et Babylone domita, vulgarem diu famam adhæsisse, lib. V, v. 22, sq.; XII, 40, sqq.

4° Imperatori Tito diu superfuisse, saltem apud Judæos Christianosque, rumores de patre insidiis ejus interempto, lib. V, v. 38, sqq. (confer Dion. LXVI, § 17).

5° Cum Antonino Pio duos filios adoptivos imperii participes creditos vulgo fuisse, VIII, 65; V, 51 (quod et aliunde notum, et confer de ea re Dindorf. ad Aristid. tom. III, p. LVI).

6° Regnantibus tribus Antoninis, exspectatum fuisse, tanquam propinquum jam et imminentem, Neronis Antichristi reditum, simulque Antoninorum et imperii Romani finem, lib. V, et VIII, § 1, passim.

7° Antoninum Pium ob avaritiam male audiisse, VIII, v. 69, sqq.

8° De legionis Fulminatricis, sic vulgo dictæ, miraculo, et aqua de cælo Romanis in Germania militantibus impetrata, cui causæ id prodigium assignandum esset, ne inter Nostros quidem convenisse, lib. XII, v. 196, sqq.

9° Alexandri Severi expeditionem Persicam, de cujus exitu inter historicos variis sententiis ambigitur, infelicem fuisse, lib. VII, v. 45, sqq.; XII, 284, sqq.

10° In Ægypto post Alexandrum Severum hos præsertim imperatores Romanos vulgari fama claros fuisse, Gordianos tres, Philippos duo, Decium, Gallum cum Volusiano, Æmilianum, Valerianum cum Gallieno, Odenatum.

11° Philipporum, qui post Gordianos imperaverunt, dilectam mansisse Christianis memoriam; quibus poeta primum restitutam in orbe terrarum pacem, deinde Germanos excisos, Persas devictos, Arabiam Romanam novis urbibus ornatam gratulatur; quanquam fatetur calamitates sub ipsis ortas, inundationes fluminum, Persarum in Syriam incursiones, civiles Alexandriæ tumultus, mala igitur bonis mixta, lib. XIII, v. 21, sqq.

12° Cyriadæ motum in Asia erupisse sub Decio primum, magnosque ejus fuisse in Asia profectus, præsertim in Cappadocia et Syria, donec victus ad Persas confugeret, lib. XIII, v. 89, sqq.

13° Sub Gallo rursus in Syriam cum Persis ingressum esse Cyriadem, et tum eam Asiæ partem externo simul ac civili bello laborasse, lib. XIII, v. 110, sqq.

14° Filium Galli Volusianum vulgo habitum fuisse nothum, eumdemque patris interfectorem, lib. XIII, v. 105 et 142, sqq.

15° Macrianum*, Valeriani in Oriente successorem (imo verius Quietum Macriani filium), ab Odenato victum interiisse, lib. XIII, v. 162, sqq.

16° Odenati, rem Romanam in Oriente restituentis, magnam fuisse in Ægypto auctoritatem et gratiam, ita ut non modo inter imperatores Romanos habitus ibi fuerit, sed multa clara de ejus regno spe hominum præsumerentur, lib. XIII, extr. et XIV, init.

17° Odenato exstincto, Aureolum (non Aurelianum) rebus potiturum, vulgo in Ægypto creditum fuisse, lib. XIV, v. 18, sqq.

18° Odenati temporibus, tum quum novissimi Sibyllini libri scribebantur, nondum defecisse gentilium oracula (lib. XIV, v. 272, sqq. 301, sq.), Olympiosque ludos solita festivitate celebratos fuisse, lib. XIV, v. 300.

Hæc de profanis rebus, ac præcipue de regum populorumque fatis, pauca nova, uti præmonuimus, et quædam aperte falsa.

De cometis (III, 334, sqq.; V, 154, sqq.; VIII, 191, sqq.), defectibus solis (IV, 56, sqq.; XII, 74, sq.), aliisque cælestibus signis (II, 35, sqq.); item de terræ motibus (III, 341, sqq., 401, sqq., 449, sq., 456, sqq., 471, sqq.; IV, 99, sqq., 106, sqq., 125, sqq.; V, 114, sqq., 285, sqq., 305, sq., 316, sqq., 437, etc.); item de inundationibus maris (III, 436, 477, sqq.; IV, 140, sq.; V, 131, sq., 315, 448, sq.; VII, 4, sq., 56, sqq., 96, sqq.), et fluviorum (III, 442, sqq.; V, 114, 133, sqq.; VII, 23), vel contra de inusitatis ac portentosis recessibus maris (III, 337, sqq.; V, 446, sqq.), aut fluviorum (IV, 74, sq., 145, sqq.), item de turbinibus igneis urbes et terras vastantibus (V, 324, sqq., 332, sqq.; VII, 100, sqq.); item de gelu regiones totas (VII, 106) ac Nilum ipsum astringente (V, 463, sqq.), aliisque hujus modi calamitatibus sæpe apud Sibyllam memoratis, quæ sit talibus vaticiniis addenda fides aut quid inde profici possit ad rei meteorologicæ incrementum, diu scrutati, nondum comperimus, quia plerumque ista portenta vel ex historicis testimoniis parum diligenter in nostros libros translata sunt, vel sæpius ad percellendas vulgi mentes e vaticinantium ingenio temere profecta, raro certe vel nunquam ex αὐτοψίας narrata videntur a Sibyllistis.

Totam igitur, quæcumque est, Sibyllinorum utilitatem extra profanas res quærendam esse satis apparet.

—

CAP. III. *Historia sacra.*

Ac ne ad sacræ quidem historiæ ulteriorem notitiam multum ex iis libris sperari suaserimus. Quamvis enim ad res Veteris aut Novi Testamenti sæpe respiciant, plerumque tamen nihil de iis rebus nisi vulgo notum referunt, nec quidquam fere quod non multo plenius ac melius aliunde disci possit. Eorum tamen causa, qui in talibus rebus nihil omittendum putant, loci a nobis indicabuntur Sibyllini qui ad illud argumentum pertinent. Ii fere sunt:

1° *Res gestæ ante Abrahamum.*

Creatio mundi, I, 8, sqq., et sæpe obiter, quoties fere de Dei attributis agitur, Prooem. 41, sqq.; III, 20, sqq.; VIII, 440, sqq.

Creatio hominis, I, 22, sqq.; VIII, 250, 265, sqq., 442, sqq., et sæpe obiter.

Adami historia, I, 22, sqq.; VIII, 260, sqq , 442, sqq.; VI, 18, sq.; confer et III, 24, sq.

Primæ hominum generationes ante diluvium, hæ nempe:

Prima (filiorum Sethi?), I, 65, sqq.

Secunda, Egregororum, I, 87, sqq.

Tertia, superborum quorumdam, I, 104, sqq.

Quarta, impiorum aliorum, I, 109, sqq.

Quinta, Gigantum Noemo coævorum, I, 120, sqq.; II, 233.

Diluvium universum, I, 125, sqq., et confer II, 233; III, 822, sqq.; IV, 51, sqq.; VII, 6, sqq.

Novæ deinde post diluvium generationes:

Prima, sive ab orbe condito sexta, Noachidarum, I, 283, sqq., ad quam referuntur tres quidam reges justissimi (an tres Saturnidæ?)

Secunda, eademque ab orbe condito septima, Titanum, I, 306, sqq., sed contra libri tertii sententiam, decimam illam Titanum sobolem facientis, III, 108, sqq.

Alterius diluvii minæ, I, 315, sqq.

Turris Babel et linguarum dispersio, III, 98, sqq.; XI, 6, sqq. Confer et I, 308, sqq.

2° *Res gestæ Hebræorum ac Judæorum*

Vocatio Abrahæ, III, 218, sqq.

Patriarchæ, II, 247, sq.

Josephus, XI, 28, sqq.

Hebræorum in Ægypto calamitates, XI, 24.

Moses, III, 252, sqq.; XI, 38, sqq.; VIII, 251, sqq.; V, 255, sq.; et confer II, 246.

Exitus ex Ægypto, III, 248, sqq.; XI, 31, sqq.

Josue, V, 256, sq.; et confer II, 248.

David, VI, 16; VII, 32; VIII, 254.

Salomon, III, 167, sqq.; XI, 79, sqq.

Templum Salomonis, III, 214; I, 370, 387; XI, 87.

Prophetæ, II, 248, sqq.; III, 582, sqq., 780, sqq.

Judæi ad idololatriam versi, III, 275, sqq.

Captivitas Judæorum in Assyria, III, 266, sqq., 280, sqq., 311, sqq.; XI, 45, sqq.

Cyrus, III, 286, sqq.; XI, 80, sqq.

Instauratio gentis et templi, III, 288, sqq.

Judæorum pars Alexandriam translata, XI, 239, sqq.

Antiochus Epiphanes, ejusque in Ægyptum prior incursus, ac reditus in Asiam, III, 611, sqq.

Judæorum ab Epiphane oppressorum spes illo tempore renascentes, III, 616, sqq., unde motus animorum in Ægypto, III, 734, sqq.

Judæa sub Romanis, I, 387, sqq.

Bellum adversus Judæos a Nerone inceptum, IV, 105, sqq.; V, 407, sqq.

Idem a Vespasiano et Tito consummatum, V, 36, 202, sqq.; III, 451, sqq.; XII, 99, sqq.

Urbs capta et diruta, I, 393, sqq.

Templum incensum et eversum, I, 393, sq.; III, 327, sq.; IV, 125, sqq.; V, 397, sqq.

Captivitas et dispersio gentis, I, 395 sqq.

Hadrianus in Judæa, et ultima gentis dispersio, III, 388, sqq.

Laus Judæorum, III, 219, sqq., 261, sqq.; V, 237, sqq., 259, sqq., 280, sqq., 327, sqq., 402, sqq.

3° *Res gestæ Christianorum.*

Ecclesia in terris condita, I, 383, sqq.

Apostolorum prædicatio, I, 385.

Lux fidei per orbem nitens, Procem. 27.

Persecutiones adversus Christianos, II, 262, sq.; IV, 25, sqq., 148, sqq. Confer et V, 68, sqq.; II, 39, sqq.

Mores optimi Christianorum, IV, 24, sqq.; VIII, 381, sqq. Cfr. II, 42, sqq.; 56, sqq.

Vitia tamen quædam jam illis temporibus notata, II, 263, sqq.; VII, 132, sqq.

Hæreseon apud Sibyllistas vestigia: Judaïzantium, ubique fere;

Ebionitarum vel Cerinthiorum, lib. V (?); Millenariorum, lib. VIII, § 1, et passim per alios libros; Encratitarum, lib. VI et VII (?); Origenistarum, lib. II, sub finem.

CAP. IV. *Geographia et Chronologia Sibyllina.*

De doctrina Sibyllistarum historica minus plene tractatum a nobis esset, nisi de ipsorum geographia et chronologia aliquid etiam adderemus; ac de geographia primum.

Quamvis Sibyllina vaticinatio non uno loco, nec sine quadam affectatione, quatuor cæli cardines amplecti gestiat,

Ἀντολίην τε δύσιν τε μεσημβρίην τε καὶ ἄρκτον,

lib. VIII, 321; II, 195; III, 26, etc., eademque tres olim cognitas mundi partes sæpe memoret, Europam quidem atque Asiam passim, IV, 1; III, 345, sqq.; 367, etc.; Africam vero (Λιβύην), III, 208, 323; V, 196, etc.: tamen extra suas regiones, Ægyptum videlicet, Asiam minorem, iisque intermedias Syriæ partes, rarius videntur Sibyllistæ locorum scientia progredi. Extremi qui fuerint iis exspatiandi fines, si quæris, ad meridiem Æthiopas nominant, ii præsertim qui in Ægypto scripsere, III, 160, etc. Ad orientem Persas Medosque, passim, et Bactra, IV, 95. Nominant et Indos, sed ita, ut eos videantur plerumque cum Æthiopibus confundere, V, 194, 205, 212. Ad septentrionem Mæotin lacum et Tanaïs ostia, III, 338, et alicubi Scythiam, XIV, 141, 147, etc.; Massagetas, V, 116; XIV, 68, etc. Ad occidentem, in Africa, vix ultra Cyrenaicam procedunt, V, 195, sqq.; XIV, 328; in Europa vero Galliam ad Alpes norunt, VII, 103; Germaniam ad Rhenum, XII, 150, 196; XIV, 45; Britanniam ad Oceanum, V, 199; XII, 180; etiam fortasse Hispaniam sub ambiguo Iberiæ vocabulo, XIV, 175, et Hiberniam seu corrupto nomine Perniam, ibid. Oceani quoque reciprocum æstum noverat Sibyllista libri V, quum Britannicum mare ἄμπωτιν vocavit, v. 27.

Quum vero plerique nostri poetæ ex Ægypto vel Asia minore orti essent, nil mirum si de istis regionibus creberrimi sunt testes. Ægyptus quidem sæpissime laudatur, præcipue fertilitatis causa, libris V, XI-XIV, Nilusque, ut illius fertilitatis auctor, VII, 19, etc., et complures Ægypti urbes, Alexandria, Memphis, Thebe, Tentyris, Thmuïs, Xuïs, Meroë, etc., locis plenius recensendis in Indice nom. propr. Sed Asiæ quoque minoris urbes plurimæ passim per omnes libros nunc suis tantum nominibus designantur, nunc etiam fluminibus suis, ut Laodicea, III, 472; VII, 23; Tripolis, V, 320, vel

montibus, ut Celænæ, I, 261, vel aliis quibuslibet indiciis, ut Hierapolis aurifodinis suis, V, 317, sqq. Syriæ quoque urbes nonnullæ citantur, ut Antiochia sæpe diversis locis; Berœa, XIII, 129; Seleucia ad Tigrim (falso tamen Σελῃναίων cognomine), XIII, 56, 96; et Arabiæ contermina oppida, Bostra Philippopolisque, XIII, 64, sqq. Phœnices haud rara fit mentio, cujus urbes indicantur Berytus, Sidon, Tyrus. Palæstinæ seu Judææ, præter Hierosolyma sæpe laudata et Jordanem amnem, VI, 5; VII, 67, mireris apud auctores Judæos aut semi-Judæos rara admodum nomina occurrere, Joppen, V, 250; Tiberiadem, XII, 104; Bethleem, VIII, 479; alia vix ulla.

Ex Asia egressis occurrunt insulæ complures interni maris, Cyprus, Creta, Rhodus, Lesbos, Samos, Delos, etc. In Græciæ quoque Europæa parte non plane hospites fuerunt Sibyllistæ, apud quos et Peloponnesi et Thessaliæ et Phocidis loca nonnulla memorantur: de Corintho præsertim ejusque isthmo satis multa canuntur, propter Neronis præsentem ibi memoriam. Sicilia semel aut bis nominatur, IV, 80; VII, 5; de cujus etiam monte Ætna semel agitur, IV, 80. At de Italia, præter Romam sæpe a Sibyllistis decantatam, et Ravennam alicubi nominatam, V, 204, et Sybarim (?), IV, 99, et Crotonem, IV, 82, (quibus adde Vesevum montem, IV, 127 (130), sqq.), ceterum pauca admodum invenias. In his passim errores aliquos occurrere, non est quod quis miretur, plerosque tamen excusandos et venia dignos. Neque enim nos nimium offendit quod Lesbus in Eridanum præcipitetur, V, 315; sumi potest hic Eridanus pro mari, poetico et archaïco more. Item Æthiopas Indis annumerari, lib. V, locis cit., antiquus est et gravibus etiam historicis communis error. Quod si mons Ararat in Phrygia circa Celænas ponitur, I, 261, sqq., id ignoscendum veteri apud Phrygas traditioni; aut si Gog et Magog in Æthiopia collocantur, III, 319, sq., excusandum hoc quoque in Ægyptio homine fines extremos orbis terrarum ad meridiem potissimum quærente. Sed de singulis hujusmodi lapsibus confer annotata ad suos locos.

Notandum libros XI-XIV, ut ætate, ita pretio ultimos, rudi quippe et crassiore Minerva scriptos, tamen geographicis nominibus fere locupletissimos esse, etsi nihil novi aut summopere notandi facile ex iis depromi possit: sed qualemcumque doctrinam suam, rudem illam et de trivio, debuerunt, nisi fallimur, isti libri, diffusis in dies magis magisque Romanorum cum subdito orbe commerciis. Inde fit etiam, ut inter urbes a Sibyllis citatas, præsertim extra Ægyptum et Asiam minorem, maritimarum pars sit longe maxima.

Quod si quid astronomia ad geographiam pertinet, affectatam hujus scientiæ luxuriem quinto præsertim libro reperias, V, 206, sqq., 511,

sqq., quanquam totam fere contentam astrorum nominibus ex Arato præcipue petitis.

Chronologiam in poeta minus forsitan requiras. Occurrit tamen satis accurata annorum computatio libro III, nempe in antiquissima ejus libri parte sub Philometore scripta : ibi enim ab origine gentilis superstitionis anni mille et quingenti numerantur, III, 551, sqq. :

Χίλια δ' ἔστ' ἔτεα καὶ πένθ' ἑκατοντάδες ἄλλαι,
Ἐξ οὗ δὴ βασίλευσαν ὑπερφίαλοι βασιλῆες
Ἑλλήνων, οἳ πρῶτα βροτοῖς κακὰ ἡγεμόνευσαν,
Πολλὰ θεῶν εἴδωλα, κ. τ. λ.

Quod si hæc anno ante Christum fere 165 scripta sunt, deducto annorum MD numero, incidimus in annum 1665, id est, in ipsa græcæ gentis ideoque græcæ religionis incunabula.

Nihil vero magis in Sibyllinis consuetos temporum calculos turbat, quam quod origo gentis Romanæ annis fere CV recentior ibi fingitur quam vulgo fertur; id vero non in omnibus libris, sed in ultimis tantum XI-XIV. Nam lib. XII, v. 12, sqq., ita definitam invenias Augusti Cæsaris ætatem :

Καὶ μετὰ τὰς ἐτέων ἑκατοντάδας ἓξ διαβῆναι
Καὶ δύο τὰς δεκάδας Ῥώμης δικτάτορος οὔσης,
Ἔσσετ' ἄναξ πρώτιστος, κ. τ. λ.

Augustum ergo imperasse vult Noster anno post Romam conditam DCXX, non, ut omnes sciunt, DCCXXV; anni igitur intersunt CV. Id porro vel librariorum culpa, vel scriptoris aliud agentis, ut fit, hallucinatione factum crederemus, nisi idem numerus paulo ante occurrisset, lib. XI, v. 272, sqq. :

Ἀλλ' ὁπόταν λυκάβαντας ἐπέλθῃ τέρμα χρόνοιο,
Δίς τε τριηκοσίους καὶ δὶς δέκα πληρώσασα,
Ἐξότε σου κτίστης θηρὸς παῖς ἡγεμόνευσεν,
Οὐκέτι δικτάτωρ ἔσται μεμετρημένος ἄρχων,
Ἀλλὰ ἄναξ βασιλεύς τε, κ. τ. λ.

Ubi nota versu secundo τριηκοσίους de nostro esse; nam codd. διηκοσίων, errore sane graviori. Nec tamen in hoc utroque testimonio nimium exsultare velimus eos qui recentibus his annis fastos Romanos, præsertim vero regum tempora, arctiores intra limites coercere conati sunt; quia Noster in animo nihil videtur aliud habuisse, quam ut veterem Sibyllinam prophetiam tueretur de Roma nomen suum, id est, annos CMXLVIII impletura. Quæ quidem prophetia scripta erat libro VIII, v. 148, sqq. :

Τρὶς δὲ τριηκοσίους καὶ τεσσαράκοντα καὶ ὀκτὼ
Πληρώσεις λυκάβαντας, ὅταν σοι δύσμορος ἔλθῃ

Μοῖρα βιαζομένη, τεὸν οὔνομα πληρώσασα,

rursus autem vix diversa recurrit, lib. XIII, v. 469, sqq.:

Ταῦτα δέ τ' ἐκτέταται, ὅσσον δέ τοι οὔνομα Ῥώμης
Εἰναρίθμως ἕξει, ψηφιζομένοιο χρόνοιο,
Τοσσούτους λυκάβαντας, κ. τ. λ.

Porro quum annus Romæ CMXLVIII, qui in annum Septimi Severi secundum cadit, jam, quum hæc sub Odenato scriberentur, pridem elapsus esset, necesse erat, ne Sibyllini oraculi fides omnino convelleretur, fastis Romanis annos demi saltem LXXX. Dempsit Noster, majoris fiduciæ causa, annos CV: atque ita, si bonus vates fuisset, casurum erat Romæ exitium in annum Christi 1053, Diocletiani decimum sextum; sin minus, nihil hoc certe nociturum erat poetæ, sepulto jamdiu eventusque securo. Hoc est chronologiæ genus vaticinantibus frequens, et ipsis quidem tutum, posterorum autem judicio ineptum ac ridiculum.

PARS SECUNDA SIVE DOGMATICA.

Emensis nunc omnia fere quæ in Sibyllinis ad rem historicam pertinent, amplius patet curriculum, si quæcumque in iis libris ad theologiam spectant, percurrere, ac per illa spatia lectorem talium cupidum rapere nobiscum velimus. Multa enim apud Nostros occurrunt notatu digna de dogmatibus vel in Ecclesia olim vel inter hæreticorum sectas receptis; item de quibusdam vulgatis apud antiquos Christianos traditionibus, quæ hodie vel interiere vel parum notæ sunt; nec de doctrina tantum, sed etiam de liturgia veterum, nisi quod hæc quoque aliquatenus doctrinæ pars est. Quæ omnia quantum ad firmandas commovendasve theologorum opiniones conferre possent, præsenserat jampridem et innuerat auctor anonymæ Præfationis ad Sibyllina, sub Justiniano scriptæ, de qua nos multa in Exc. I, cap. 15. Eadem res Blondellum, virum inter reformatæ religionis fautores doctrinæ fama celebratissimum, impulit, ut de Sibyllis ac de Sibyllinis carminibus librum ederet hoc titulo: *Traité de la créance des Pères touchant l'estat des âmes après cette vie. Et de l'origine de la prière pour les morts et du purgatoire, à l'occasion de l'escript attribué aux Sibylles qui est ici examiné. Par David Blondel. Se vend à Charenton,* 1632. Sed Blondello, multis et acerrimis controversiis distracto, tempus defuisse arbitramur, quo libros nostros, recte in suas partes distributos, auctoribus quosque suis redderet: unde quæ adversus Sibyllina disputat non satis interdum validis fulcit argumentis. Nam, quum de

variis octo librorum locis disputet, minime curare aut etiam cogitare videtur, an omnes eodem tempore orti vel ab iisdem Christianorum partibus profecti sint. Quod vitium, ut verum fateamur, commune habet cum plerisque aliis qui ante hoc sæculum de Sibyllis egerunt, et cum ipsis Ecclesiæ Patribus, pace dictum sit sanctorum virorum : qui, licet multa citent e Sibyllinis atque interdum (ut præ ceteris Lactantius), probe sciant moneantque non omnia ab eadem Sibylla scripta esse, tamen cunctos libros nullo discrimine laudare solent, parum caventes utrum ii satis inter se constent, an ex originis varietate diversæ sint apud singulos agnoscendæ doctrinæ.

Primus inter recentiores Is. Vossius discernendis singulorum librorum ætatibus et ingeniis utile aliquid allaboraverat, opere de Sibyllinis edito Oxoniæ, 1680, in-8°; sed non tanto profectu, quantum ex talis viri opera summaque ejus circa veterem theologiam eruditione sperare licuisset.

Nostra ætate vir doctissimus, ante paucos annos amissus, Thorlacius, duas protulit multum ad rem nostram facientes disputationes sic inscriptas : « Libri Sibyllistarum veteris Ecclesiæ crisi, quatenus « monumenta christiana sunt, subjecti. Havniæ, 1815, 8°. — Con« spectus doctrinæ christianæ, qualis in Sibyllistarum libris contine« tur. Havniæ, 1816, 8° ». Is multo accuratius quam olim in simili argumento Blondellus, munere suo defunctus est : diversas enim origines non librorum modo, sed in singulis libris singularum quoque partium discernere conatus est. Fucum tamen ipsi sæpius fecit præoccupata gratis opinio, libros omnes Sibyllinos hodiernos ex antiquiorum laciniis recentiore manu consutos esse : porro antiquiores illos duplicis fuisse generis, ita ut auctores haberent alteri quidem hellenizantes Christianos, alteri vero judaïzantes ; idem singularum in singulis libris laciniarum discrimen esse habendum. Atque ita librum unumquemque in membra seu verius frusta dispescuit, vicissim hanc sive illam doctrinam singulis particulis attribuens : quod a nostra sententia multum differt, qui contra in Exc. V enixe demonstravimus, præter libros I et II, ab epitomatore suo retractatos, et libros III et VIII, in segmenta quædam longiora sponte discedentes, ceteros omnes integros ad nos usque mansisse, ac vix alicubi brevem aliquam interpolationem esse passos.

Cautius, eoque rectius et certius, idem iter persecuti sunt viri eruditionis laude præcellentes, Bleekius et Gfrörerus, operibus citatis in Exc. V, pag. 322 (confer et infra, Bibliogr. Sibyll.) : qui ambo longe parciores Thorlacio fuerunt in discerpendis Sibyllinis libris, ac de indiciis colligendis singulorum ætatis doctrinæque diligen-

tiores multo quam ille et perspicaciores. Quorum vestigia secutus, aliquid vero etiam sparsis in primo nostro volumine annotatiunculis adjutus, nuperrimus Sibyllinorum editor atque interpres J. H. Friedlieb, Lips. 1852, dissertationem operi suo præfixit haud sane contemnendam. Nos qui ultimi in hunc campum descendimus, utrum nihil an aliquid novæ lucis ad Sibyllina penitius introspicienda nunc afferamus, judicabunt, qui ad hæc studia cum otio et discendi voluntate accedent.

Sed priusquam multiplex illud argumentum aggrediamur, orandus est lector ut quæ in priore Excursu abunde sunt demonstrata, meminerit: partes nempe quasdam Sibyllinorum nostrorum, nempe lib. III, § 2 et 4, antiquissimas esse ac mere judaïcas; ceteras sub imperatoribus Romanis a Christianis plerisque judaïzantibus esse scriptas; quasdam, ut libros V et III, § 3, et XI-XIV, a Judæis vix aliqua nostræ religionis aura leviter afflatis; duos etiam libros VI et VII ab homine hæretico; maxime vero orthodoxos videri, quamvis non ab omni labe immunes, libros IV, VIII, § 2, 3, 4; I, II, III, § 1, et Procemium iis omnibus præfixum. Quapropter nonnulla libris omnibus communia; alia paucis aut pluribus; quædam singulis propria reperientur. In iis autem recognoscendis non alium sequemur ordinem quam qui theologicis studiis aptissimus vulgo habetur: nempe ut primum dogmata, deinde ritus exponamus, addita brevi librorum mentione, quibus Sibyllistæ, sive sacris, sive apocryphis usi sunt; tum denique, ad tertiam sive ultimam partem, quæ de moribus est, accedamus.

CAP. I. *De Deo.*

De Deo ejusque, ut vulgo vocantur, attributis, omnino inter se et cum sanctis libris sanctisque Patribus conveniunt Sibyllistæ quum Judæi, tum Christiani. Illum enim unice unum prædicant, III, 629, 758; Procem. 7, 15, 32, 41; VIII, 377; Fragm. II, 1. Ipsum declarant vel ipso nomine venerandum, III, 550, et 18, sq.; I, 141, sq., solumque divinis honoribus prosequendum, III, 550, 560, 565, 716, sqq., 762; Procem. 15, sqq.; V, 491, sqq., et ubique passim. Eumdem per se exsistentem, Procem. 35; VIII, 370, unde etiam (quamvis impropria dicendi formula) ex se natum, sive genitum, Procem. 17; VIII, 430; I, 20. Æternum, principio et fine carentem, III, 604, 628; Procem. 7, 16, 55; VIII, 430, 500; Fragm. I, 1. Omnia suo numine complentem, I, 138, sqq. Corpore carentem, invisibilem, Procem. 8,

sqq.; II, 12, 17; IV, 10. Omnia videntem et omniscium, Procem. 4, 54, 80; IV, 12, sqq.; VIII, 361, sqq., 373, sqq.; I, 151, sqq.; II, 177. Omnipotentem, Procem. 3, sqq., 8, sqq., 32, sqq.; IV, 12, sqq.; VIII, 431, sqq. Rerum omnium parentem, Procem. 41, sqq.; IV, 13, sqq.; VIII, 448, sqq., 501; I, 8, sqq.; ac præcipue hominis creatorem, Procem. 51, sqq.; VIII, 265, sqq, 366, sqq., 442, sqq.; Fragm. II, 2, sq. Simul omnium rerum servatorem et sospitatorem, Procem. 5, sqq, 46, sqq. Humanis quoque mentibus infundere gestientem Spiritum suum (Procem. 5, sq.) et lucem suam, Procem. 18, 72, sqq. Sed eumdem formidandum judicem, futurum nempe pro cujusque meritis aut pœnæ aut mercedis arbitrum, Procem. 56, sqq.; IV, 42, sqq., et passim per omnes fere libros.

CAP. II. *De Polytheïsmi vanitate.*

De polytheïsmo itaque ac de falsorum numinum cultu consentiunt omnes libri. Plures deos admitti non posse, etiam philosophicis ac pæne scholasticis demonstratur argumentis, Procem. 36, sqq. Ethnicorum vana superstitio damnatur ubique, et nunc opprobriis, nunc ludibriis exagitatur, quum a Judæis Sibyllistis, III, 547, sqq.; 561, sqq., 586, sqq., 604, sqq., 731, sqq., 760, sqq.; tum a Christianis, Procemio pæne toto, et libris III, 8, sqq., 29, sqq.; IV, 4, sqq., 27, sqq.; V, 75, sqq., 155, sqq., 276, sqq., 352, sqq., 379, sqq., 427, sqq., 492, sqq.; VII, 129, sqq.; VIII, 43, sqq., 378, sqq., 487, sqq.; sive falsa illa numina brutæ sint animantes, ut apud Ægyptios, Procem. 60, sqq., 70, sq.; III, 30; V, 77, 278, sq.; sive statuæ sensu carentes, Procem. 67, sqq.; V, 80, sqq.; 355; VIII, 378, sqq.; sive istis deorum signis inclusa dæmonia, δαίμονες, secundum illud Psalmi 95, v. 5: « Omnes dii gentium dæmonia » (confer Deuter. cap. 32, v. 17; Psalm. 105, v. 37; Paul. ad Corinth. I, cap. 10, v. 20; Apocal. cap. 9, v. 20). Quam tamen ultimam sententiam ita videntur amplecti Sibyllistæ, ut cum alia conciliare conentur, quæ a sanctis quoque Patribus recepta et cuivis nota est, de gentilium deorum humana origine, sive a Phrygia repetenda, III, 140, sqq.; V, 129, sqq.; VII, 11, sqq.; I, 95, sqq.; sive a Creta, VIII, 48. Nam dæmones illos, quos ab ethnicis coli affirmant, negant alios esse quam animas defunctorum quorumdam hominum, Jovis puta aut aliorum ex remotissima antiquitate, quos inepta superstitio ad divinum culmen evexerit. Qua de re plura dicenda erunt, quum de dæmonibus ad Sibyllinam mentem agemus infra, cap. 28. De paganismo nunc id unum addemus, non idolorum

tantum inanem cultum a Sibyllistis acriter incessi, verum etiam ritus omnes falsæ istius religionis, ut altaria et sacrificia, locis supra citatis et alibi passim; lampades, flores, suffimenta, donaria, lib. VIII, 382, sqq., 489, sqq.; Hermas quoque sub dio cultos, V, 355, et quos cum iis minime confundi oportet, Hermacas e lapidibus in triviis congestos, Procem. 68.

CAP. III. *De sanctissima Trinitate.*

Ceterum de his aliisque quæ ad unius Dei dogma pertinent, facile inter Judæos et Christianos constabat: quare summa est de his concordia librorum omnium Sibyllinorum. Nunc ad ea progredimur quæ nostræ religioni propria sunt, ac primum ad ipsum omnis christianæ doctrinæ fontem, ad divinam nempe Trinitatem. Quanquam non defuere qui etiam in partibus horum carminum mere judaïcis, lib. III, § 2 et 4, aliquam Trinitatis notitiam deprehendere sibi viderentur. Legebant enim lib. III, v. 775:

Υἱὸν γὰρ καλέουσι βροτοὶ μεγάλοιο Θεοῖο,

et ibidem, v. 701:

Ἄψευστον γὰρ Πνεῦμα Θεοῦ πέλεται κατὰ κόσμον.

Verum in priore versu pro voce υἱόν, licet jam Lactantii tempore in textum recepta, legendum esse νηόν monuimus, et ipsa rerum ac sententiarum series id satis evincit. Alterius loci lectio certa est. Tantum Πνεῦμα Θεοῦ videtur accipiendum, ut sæpe in Veteri Testamento, communi sensu de sapientia seu providentia Dei, cujus in hoc orbe gubernando consilia nec mutari nec falli possunt; id quod a distinctæ personæ designatione multum distat.

Absit tamen ut negemus in Veteri Testamento germen quasi depositum fuisse sublimis illius doctrinæ qua tres in Deo personæ conjunguntur. De Filio apertissimum est ac merito clarissimum, ipso Christo interprete, testimonium Psalmi 109. De Dei Spiritu, jam ab initio Geneseos, cap. 1, v. 2, locus est ille celeberrimus. Multa sunt præterea, in libris præsertim qui Sapientiales dici solent, testimonia de Sapientia Dei, tanquam persona quadam distincta, ut illud præsertim Ecclesiastic., cap. 24: « Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante « omnem creaturam, etc. » Quæ quidem jam supra diximus in Exc. V, cap. 3, male omnino a quibusdam viris doctis ad Platonicum Νοῦν seu Philonis Λόγον referri. Fuit enim scriptus ille liber, uti ex ipso prologo patet, hebraïce, ab homine Judæo, et ante conditam Alexandriæ græco-judaïcam Aristobuli scholam, si talis unquam ulla fuit. Nam Si-

racidæ senioris nepos et editor venisse se narrat Alexandriam, Ptolemæo Physcone regnante, cujus magister fuit Aristobulus. Avum ita suum Aristobulo majorem natu facit : cujus ideo auditor fuisse vix potuisset sanctus ille vir, etiamsi Alexandriæ vixisset; quanto minus, si in Judæa vixit ac scripsit, ut videtur! Nam ex Judæa in Ægyptum allatum fuisse Siracidæ librum, vel ideo credimus, quod hebraïce scriptus est, non græce. Totus ergo judaïcus fuit liber : sed in Ægypto cepit editor de eo græce vèrtendo consilium, quod, ut ipse ait, multos ibi alios libros « non parvæ neque contemnendæ doctrinæ », quia hebraïce scripti essent, ignorari aut negligi videret. Itaque origo libri repetenda est e scholis Hierosolymitanis, quas nihil unquam a græcis fontibus hausisse supra jam professi sumus (Exc. V, cap. 3, loc. cit.), causamque hujus rei attulimus, summam Judæorum qui sibi orthodoxi videbantur, ac præsertim Pharisæorum, adversus hellenistas invidiam.

Eo igitur provecta erat seu per se ipsa, seu potius e sanctorum librorum meditatione, judaïca schola, ut in Deo quamdam personarum distinctionem vel profiteretur vel certe introspiceret; eaque doctrina, quo propius accedebat humanum genus ad christianæ veritatis auroram, magis magisque in dies enitebat, etsi nondum plena luce : ita ut apud Moysem unitas præcipue divina, apud Prophetas quædam personarum binitas, in Evangeliis demum plena Trinitas appareat, quod aperte docet Epiphanius in Anchorato, § 73 : Θεότης δὲ μία ἐν Μωϋσῇ μάλιστα καταγγέλλεται· δυὰς δὲ ἐν προφήταις σφόδρα κηρύσσεται· τριὰς δὲ ἐν εὐαγγελίοις φανεροῦται, πλεῖον κατὰ καιροὺς καὶ γενεὰς ἁρμόζουσα τῷ δικαίῳ εἰς γνῶσιν καὶ πίστιν.

Fuit ergo illud novæ doctrinæ a Christo in terras illatæ primum ac præcipuum dogma, quo a Pharisaïca schola secerneretur, personarum divinarum distincta Trinitas; atque huc videlicet pertinent evangeliorum loci, multis controversiis agitati, de blasphemia in Spiritum sanctum veniam non habitura, Matth. cap. 12, v. 31; Marc. cap. 3, v. 29, etc. Quæ tamen doctrina adeo nova erat et judaïcis auribus tam insolens, ut ne post Christum quidem facile apud omnes judaïzantes diffusa fuerit; unde nec apud Justinum ipsum martyrem, aliosque primævæ Ecclesiæ Patres, satis accurate discrimen hoc personarum servatur, quippe inter Filium et Spiritum hæsitantes interdum et quasi vacillantes. Quos mitibus verbis excusat Hieronymus, contra Rufinum II, § 17 : « Antequam, inquit, in Alexandria, quasi dæmo« nium meridianum, Arius nasceretur, innocenter quædam et minus « caute locuti sunt. » Idem tamen Lactantio, utpote recentiori et apertius pervicaci, durius exprobrat « errorem Judaïcum, » epist. 84,

ad Pammach. et Occan.; rursusque, lib II in epist. ad Galat., cap. 4, « v. 6 : Hoc ideo, inquit, quia multi per imperitiam Scripturarum, « quod et Firmianus in octavo [*lege* altero] ad Demetrianum epistolarum libro facit, asserunt Spiritum sanctum sæpe Patrem, sæpe Filium nominari; et quum perspicue in Trinitate credamus, tertiam « personam auferentes, non substantiam ejus volunt esse, sed nomen. » Qua de tota controversia si quis pleniora cupit (nos enim parcius et cautius in theologicis versari decet), adeantur omnino Petavius, lib. I, de Trinit., cap. 5, num. 7, inclementer satis de antiquis Patribus judicans, et mitiora (nec immerito) suadentes, Huetius, Origenianorum lib. II, cap. 2, et Witassius, de Trinit. quæst. IV, p. 420, sqq.

Unum obiter annotabimus, si apud Christianos primævæ Ecclesiæ theologos hanc hæsitationem vel negligentiam excusari licet, multo magis in Sibyllistis veniæ locum esse.

In nostris certe libris, vel apertissime christianis, nusquam satis explicitam de ea re doctrinam invenimus. In quarto libro, omnium antiquissimo, bis occurrit vox Πνεῦμα, v. 46 et 182 (187):

Πνεῦμα Θεοῦ δόντος, ζωήν θ' ἅμα καὶ χάριν αὐτοῖς,

quod tamen ad rem nostram vel nihil vel parum facit, quia πνεῦμα e ζωή et χάρις conjunguntur. Magis notandum in Procemio, v. 6, sq.:

Ὅστις γλυκὺ Πνεῦμ' ἐν ἅπασι
Κάτθετο, χἡγητῆρα βροτῶν πάντων ἐποίησεν,

ubi Lactantius in secundo versu pro βροτῶν legi malebat Θεόν: sed idem hunc versum de Filio, non de Spiritu accipiebat; neque hoc contra veteris theologiæ morem, Filium quoque Spiritum sæpe vocantis, ut præsertim e Witassio discas, op. cit., proferente clarissima hujus moris exempla, Justinum, Cyprianum, Epiphanium. Absit ut hæreticos addamus, qui nominum confusione ad res ipsas perturbandas abusi sunt, de quibus infra, cap. 5.

De libro VIII, § 2, quamvis cetera orthodoxo, non est quod aperte statuamus, quum Spiritus mentionem ne semel quidem habeat, ne in sanctæ quidem incarnationis mentione, v. 269, sqq., unde veremur ne ipse quoque talis erroris expers non fuerit. Sed illud silentium magis miramur in libro VIII, § 3, fusius et ad veram omnino normam atque ad ipsa evangelistarum vestigia de eodem mysterio agente. Librum primum et secundum eadem causa suspectos facit, non temere tamen damnandos. Libri vero VI et VII utinam pariter reticuissent, quos aperte falsum de ea re sentientes amovemus nunc et in cap. 5 differimus! Miramur itaque græcæ ad Sibyllina Præfationis anonymum auctorem gratulantem sibi quod in iis libris clarissimam plenissimamque sanctæ Trinitatis expositionem reperiat : Καὶ γὰρ περὶ

τε Πατρὸς, Υἱοῦ καὶ Ἁγίου Πνεύματος τῆς θείας καὶ ζωαρχικῆς Τριάδος ἀριδήλως διασαφοῦσι. De personarum differentia dubie saltem id asserere debuerat, sicut infra magis patebit. Sed ne nimium ab editorum usu discedamus, solitorum auctoribus suis favere potius quam obtrectare, juvabit interim aliud argumentum delibare Sibyllistis inoffensius, nobis gratius.

CAP. IV. *De Filii divinitate.*

De Filii persona libri nostri, etiam qui eam a Spiritu sancto non satis distinguunt, id saltem cum theologis orthodoxis consentiunt, quod omnes uno consensu, quoties de Filio loquendi occasio suppetit, palam ejus divinitatem profitentur. Ac primum de ea re citabimus librum VIII, § 2, in ipsa illa præclara acrostichide, v. 249:

> Οὗτος ὁ νῦν προγραφεὶς ἐν ἀκροστιχίοις Θεὸς ἡμῶν,

deinde, v. 288:

> Καὶ δώσουσι Θεῷ ῥαπίσματα χερσὶν ἀνάγνοις,

denique, v. 329:

> Αὐτόν σου γίνωσκε Θεὸν Θεοῦ Υἱὸν ἐόντα.

Confer et quæ eodem libro de divinis Christi traduntur attributis, v. 282, sqq.:

> Πάντα νοῶν, καὶ πάντα βλέπων, κ. τ. λ.

Pariter libro VIII, § 3, aliquanto juniore quam § 2, vix tamen recentiore tertii sæculi initiis, Filius palam Deus vocatur, v. 462:

> Δέξαι [ἐν] ἀχράντοισι Θεὸν σοῖς, Παρθένε, κόλποις,

et v. 474:

> Ἀλλ' οὐδὲν μέγα θαῦμα Θεῷ Πατρὶ καὶ Θεῷ Υἱῷ.

Ibidem, v. 440, dicitur Pater cum Filio ante omnem creaturam genito de mundi factura consultasse:

> Σῷ παιδὶ πρὸ κτίσεως πάσης στέρνοισι πεφυκὼς
> Σύμβουλος, πλάστης μερόπων, κ. τ. λ.

Plane ut in ejusdem libri priore parte, § 2, v. 264, sqq.:

> Αὐτὸν γὰρ πρώτιστα λαβὼν σύμβουλον ἀπ' ἀρχῆς
> Εἶπεν ὁ Παντοκράτωρ, Ποιήσωμεν, τέκνον, ἄμφω
> Εἰκόνος ἐξ ἰδίης ἀπομαξάμενοι βροτὰ φῦλα.
> Νῦν μὲν ἐγὼ χερσὶ, σὺ δ' ἔπειτα λόγῳ θεραπεύσεις
> Μορφὴν ἡμετέρην,

ubi tamen nescimus quam sit theologis placiturum otium illud Filii de mundi fabricatione consulentis tantum, non cooperantis, reservantisque operam suam in diem futuræ redemptionis.

Sequuntur ordine temporum libri VI et VII, in quibus, quamvis cetera parum orthodoxis, non minus aperte pronuntiatur Filii divinitas, ut lib. VI, v. 22 :

Τὸν σὸν Θεὸν οὐκ ἐνόησας
Παίζοντα θνητοῖσι νοήμασιν,

et ibid., v. 26 :

Ὢ ξύλον ὢ μακαριστὸν ἐφ' ᾧ Θεὸς ἐξετανύσθη,

ibidemque, v. 28 :

Ἡνίκ' ἂν ἀστράψῃ τὸ νέον Θεοῦ ἔμπυρον ὄμμα,

et lib. VII, v. 66, sq. :

Τλήμων οὐκ ἔγνως τὸν σὸν Θεὸν, ὅς ποτ' ἔλουσεν
Ἰορδάνου ἐν προχοῇσι.

Quo etiam in libro Dei Filius genitus ante omnem creaturam dicitur, v. 68 :

Πρὶν καὶ γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος,

prorsus ut libro VIII, loc. supra cit. :

Πρὸ κτίσεως πάσης.

Pariter lib. I et II, licet Filius non tam aperte Deus vocetur, minime tamen dubia est poetæ sententia, sive quum illam personam sic designat, lib. I, v. 330 :

Ἀθανάτοιο Θεοῦ Χριστὸν παῖδ' ὑψίστοιο,

et infra, v. 364 :

Οὐράνιον ὅτι παῖδα Θεοῦ διεδηλήσαντο,

sive quum Patri judicanti socium et assessorem Filium addit his verbis, lib. II, v. 242 :

Ἥξει δ' ἐν νεφέλῃ πρός τ' ἄφθιτον ἄφθιτος αὐτὸς
Ἐν δόξῃ Χριστός.

Verba enim οὐράνιος et ἄφθιτος Christi divinitatem, et illud πρὸς ἄφθιτον ἄφθιτος αὐτός æqualem cum Patre æternitatem satis denotant.

Pariter ad Filii divinitatem referri posse videntur loci omnes Sibyllinorum in quibus Λόγος ipse dicitur, VIII, 266, 285, 447, 479 (et 470, ubi Ἔπος poetice scriptum est); VII, 69, 82, 83; XII, 32, 232. Hæc enim aperte procedunt ex Joannis evangelio, cap. I, v. 1, quo nullum est præclarius de hoc argumento testimonium.

Quæ omnia miramur si non Arianis opposita sæpe ab orthodoxis fuerunt. Erant enim ipsis Arianismi originibus haud paulo antiquiora, et primævæ Ecclesiæ fidem abunde testabantur. Sed fatendum est, tum quum Ariana factio coalescebat, imminutam jamdiu fuisse Sibyllinorum carminum auctoritatem, neque injuria, propter causas a nobis ipsis in Excursu quarto traditas.

CAP. V. *De Verbi incarnatione.*

De incarnatione par est orthodoxia plerorumque librorum. Nam libro VIII, § 2, Filius, idem qui supra divinitatis particeps dictus erat, ipse descendit in Virginis alvum, v. 269, sq. :

Γνώμης οὖν ταύτης μεμνημένος εἰς κρίσιν ἥξει,
Ἀντίτυπον μίμημα φέρων εἰς Παρθένον ἁγνήν.

At eodem libro, § 3, totum pæne carmen unice agit de Angeli annuntiatione et Verbi conceptione apud intemeratam Virginem, plane ut in Lucæ evangelio, si Spiritus sancti apertior mentio fieret.

Libro etiam primo scriptum est, v. 324, sq. :

Δὴ τότε καὶ μεγάλοιο Θεοῦ παῖς ἀνθρώποισιν
Ἥξει σαρκοφόρος, θνητοῖς ὁμοιούμενος ἐν γῇ.

Et licet ibi non fuse tractetur hoc argumentum, minime tamen dubium est quin' poetæ menti obversata sit ipsa divi Matthæi narratio, quum statim addatur, v. 334, sq.:

Τούτῳ προσκομίσουσ' ἱερεῖς χρυσὸν προφέροντες,
Σμύρναν, ἀτὰρ λίβανον, κ. τ. λ.

Cujus rei mentio est apud solum Matthæum, et quidem secundo capite, quod, ut arcte conjunctum cum priore, ita rejici cum eo debuit ab Ebionæis aliisque hoc genus hæreticis ob ipsam de incarnatione doctrinam. Consentit ergo de incarnatione cum evangeliis hic liber, atque ideo libri etiam II et III, § 1, ab eodem auctore scripti. Porro nulla causa est cur minus recte sensisse de illo mysterio putemus auctorem quoque librorum XI-XIV, apud quem ipsis pæne libri primi verbis legitur, XII, v. 32, sqq. :

Καὶ τότε δὴ κρύφιος ἥξει Λόγος Ὑψίστοιο,
Σάρκα φέρων θνητοῖσιν ὁμοίϊον,

et ibidem infra, v. 232 :

Καὶ Λόγος ἀθανάτου μεγάλου Θεοῦ ἤλυθεν εἰς γῆν.

Ac libris quidem III, IV, V, nihil de ea re definitur : sed ii nunc omittendi sunt, quia ipsos magna ex parte judaïcos esse diximus, præsertim librum III, Christi natalibus anteriorem.

Restant igitur libri VI et VII, qui ambo, ut est in Excursu priore demonstratum, uno tempore eademque manu conscripti sunt : ambo, ut supra vidimus, de divinitate Verbi verissima omnia et apertissima profitentes; de incarnatione autem quædam dubia et suspecta, quædam etiam falsa et abnormia.

Primum, idque fortasse levius, peccant, quod incarnationem Filii secundam generationem vocant : inde illud παραδοξότατον, imo, primum quidem intuentibus, ἑτεροδοξότατον, lib. VI, v. 2, sq. :

Ὧ θρόνον Ὕψιστος γενέτης παρέδωκε λαβέσθαι,
Οὔπω γεννηθέντι· ἐπεὶ κατὰ σάρκα τὸ δισσὸν
Ἠγέρθη, κ. τ. λ.

Sed levius hoc peccatum esse diximus, quia οὔπω γεννηθέντι palam est οὔπω τὸ δισσὸν γεννηθέντι, nondum iterum generato, seu potius nondum in terris genito, sicut etiam libro VII, v. 24, vocatur Christus :

Αὐτὸς ὁ γεννηθεὶς ὁ μέγας Θεός,

id est, in terris genitus. Quamvis vero hæc procul a solita nostris theologis fandi ratione haud parum discedere videantur, disputat Petavius, de Incarn. lib. VII, cap. 5, § 5, sqq., generationem etiam de Incarnatione dici posse, licet improprie, per quamdam idearum et vocum, ut scholastici aiunt, communicationem. « Est enim, inquit, sempiterna et nunquam interrupta Verbi generatio,... et ista cum tota Verbi persona communicatur. Hinc de Christo homine usurpari potest : Hic homo Deus est et Dei Filius ac Verbum, et de Patre procedit ac gignitur. Quod postremum dici non posset, nisi et generationis, uti proprietatum ceterarum, fieret communio ». Satis hæc contorta ; sed eam tamen dicendi formulam vulgo in græca theologia fuisse receptam ostendit divi Cyrilli locus, adv. Nest. lib. I, p. 20, sq., ubi, quum Nestorius palam in concione disputans opinionem suam de duabus in Christo naturis summa contentione propugnaret, « quidam e populo vir pius et eruditus, non mediocris ille, sed satis conspicuus, ἀνὴρ τῶν ἄγαν ἐπιεικῶν, hominis impudentiam et blasphemiam non ferens, ausus est elatiori voce publice illum arguere ac dicere, Verbum ipsum quod erat ante sæcula, secundam subiisse generationem secundum carnem. Quo audito, ingens tumultus excitatus est, aliis laudantibus, aliis indignantibus. Nestorius vero statim in illum invectus, ita dictum ejus redarguit : Quorum duæ sunt generationes, eorum necesse est duos esse filios; at Ecclesia unum novit Filium Dominum Jesum ». Hæc Cyrillus, nec quicquam addit quo incussam Nestorio objectionem minus probare videatur. Imo suam ipse de ea re sententiam sic profitetur : Δύο φαμὲν γενέσθαι τὰς ἀποτέξεις, ἕνα δὲ τὸν δι' ἀμφοῖν υἱόν· οὔπω μὲν ἐν σαρκὶ γεγονότα τὸν ἐκ Θεοῦ Λόγον· τὸν αὐτὸν δὲ μετὰ τοῦτο καὶ σεσαρκωμένον δι' ἡμᾶς, τὴν ἐκ γυναικὸς ἀνατλάντα γέννησιν κατὰ σάρκα. Ubi quamvis δύο ἀποτέξεις dicat, non δύο γεννήσεις, ipse tamen duplici generationi tacitus assentit. Quod quidem facile Græcis præsertim concedi potest, apud quos verbum γεννᾶσθαι ancipiti sensu de generatione ac de nativitate sumitur, unde sæpius γέννησις quam γένεσις Christi nascentis dicitur. Et favet ipsum divi Matthæi evangelium, cap. 1, v. 16 : Ἐξ ἧς ἐγεννήθη Ἰησοῦς, quod interpres latinus optime vertit : « de qua natus est Jesus », sicut infra,

v. 19, τὸ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν, « quod in ea natum est ». Adeo latina lingua in hac re subtilior est quam græca. Ipse vero ille vocis unius duplex apud Græcos usus, si quis clementior ad judicandum accedat, Sibyllistam nostrum librorum VI et VII hac ex parte vel absolvere potest vel excusare.

At multo gravius peccavit, quod secundam istam Christi generationem, non a conceptione, sed a baptismo inchoavit. Tota enim ejus de hac re doctrina ita fere reddi potest: Filium Dei, illam coæternam Patri personam, non ante Christi personæ inhæsisse, quam Jesus a Joanne baptizaretur; tum scilicet arsisse Jordanis aquas, velut infundente se numine; et tum discedente cælo, Spiritum sanctum sub columbæ specie Christo illapsum, divinitatem ei suam infudisse, unde vox de cælo audita, Matth., cap. 3, v. 17: « Hic est Filius meus di- « lectus, in quo mihi complacui », consonantibus in ea voce Marci et Lucæ evangeliis : sic videlicet Dei Filium carnem humanam induisse, non eo, quo vulgo creditur, modo; atque inde statim a Spiritu in se infuso raptum in solitudinem fuisse (Matth., Marc. et Luc.), ubi novum opus auspicaretur. Quæ ne temere scriptori nostro imputata credantur, ipsi sunt producendi versus, lib. VI, v. 3, sqq. :

Ἐπεὶ κατὰ σάρκα τὸ δισσὸν
Ἠγέρθη, προχοαῖς ἀπολουσάμενος ποταμοῖο
Ἰορδάνου...
Ὅς, πυρὰς ἐκφεύξας, πρῶτος Θεοῦ ὄψεται ἡδὺ
Πνεῦμ' ἐπιγινόμενον λευκαῖς πτερύγεσσι πελείης,

et lib. VII, v. 66, sqq. :

Τλήμων οὐκ ἔγνως τὸν σὸν Θεὸν, ὅς ποτ' ἔλουσεν
Ἰορδάνου ἐν προχοῇσι, καὶ ἔπτατο Πνεύματι πολλῷ.
Ὅς πρὶν καὶ γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος
Αὐθέντης γεγένητο Λόγος Πατρί· Πνεύματι δ' ἁγνῷ
Σάρκ' ἐνδυσάμενος, κ. τ. λ.

Atque ibidem, v. 83, sq., Christianus aliquis ipsum Christum in abnormi quodam baptismi simulacro compellat :

Ὕδασιν ἁγνοῖς
Ῥαίνων σὸν βάπτισμα, δι' οὗ πυρὸς ἐξεφαάνθης.

Ita ubique in his libris, quod jam in Excursu priore monuimus, incarnatio Verbi cum baptismo conjungitur : neque aliter res narratur, quam si Spiritus sanctus ipsum sit Verbum de cælo in hominem descendens, judaïca illa personarum confusione, de qua diximus supra cap. 2, nusquam tamen tam manifeste proposita et in quamdam theologici systematis formam ædificata.

Fatendum vero errorem illum minime proprium fuisse Nostro;

sed eodem vitio laborasse hæreticos nonnullos ab Irenæo et Epiphanio eo nomine taxatos. Irenæus, lib. I, § 25, de Cerinthiis loquitur, tanquam Christum et Jesum separantibus, duasque ex una personas facientibus, una tamen conjunctas a baptismo usque ad mortem. Epiphanius, Hæres. 30, parem errorem Ebionæis tribuit, Spiritum quippe Dei in Jesum hominem illapsum credentibus : Εἰς αὐτὸν ἦλθε τὸ Πνεῦμα, ὅπερ ἐστὶν ὁ Χριστὸς, καὶ ἐνεδύσατο αὐτὸν τὸν Ἰησοῦν καλούμενον, neque ipsis tantum, sed aliis quoque sectis (Cerinthiam præsertim intellige), ταῖς λεγούσαις ὅτι ἀπὸ τοῦ Ἰορδάνου ἦλθε Χριστὸς εἰς αὐτὸν, ὅπερ ἐστὶν ἡ περιστερά. Confer de iisdem ac de Theodoto Byzantio similia tradentem Origenem, Philosoph. VII, § 35, sqq.

Nos vero non dubitamus communem hunc fuisse errorem non illorum modo hæreticorum, sed omnium qui ex evangelio Matthæi prima duo capita revellebant, Lucam vero sequi omnino recusabant, quorum catalogum ex Irenæo et Epiphanio reficere nunc abstinemus. Ii enim Marci et Joannis silentio pro suffragio abutebantur, Jesumque merum hominem, si fas est blasphema repetere, illabente Dei Spiritu, Deo similem, ut quidam ex iis arbitrabantur, vel ut alii, Deum factum contendebant. Fucum illis facere potuerant præsertim duorum priorum evangeliorum verba de columba, quam non Baptista, sed Jesus ipse vidisse fertur apud Matth., cap. 3, v. 16 : « Baptizatus « autem Jesus confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei cæli, « et vidit Spiritum Dei, etc. ». Item apud Marc., cap. 1, v. 10 : « Et « statim ascendens de aqua vidit cælos apertos, etc. ». Minus aperte Lucas, cap. 3, v. 21 : « Factum est autem, cum baptizaretur omnis « populus, et Jesu baptizato et orante, apertum est cælum, et descen- « dit Spiritus sanctus, etc. ». Aliter autem quartus evangelista, atque ita ut Baptista ipse se Dei Spiritum vidisse dicat, de Christo reticeat, cap. 1, v. 32 : « Et testimonium perhibuit Joannes dicens, quia vidi « Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, et mansit super « eum. » Quæ iterum ibid. v. seq., iisdem plane verbis efferuntur. Quanquam omnia facile conciliari possunt, si columbæ visio simul ad utrumque pertineat. An etiam ad vulgus spectantium, theologi dubitarunt, non sane Justinus, qui hoc miraculum hominum causa, διὰ τοὺς ἀνθρώπους, factum affirmat, Dialog. § 88. Confer Billuartum, de Myst. Christ. et Virg. dissert. VI, art. 2. Meminit hujus columbæ Noster, sed tanquam a Jesu primo vel solo spectatæ, lib. VI, v. 6, sqq. :

Ὅς, πυρὸς ἐκφεύξας, πρῶτος Θεοῦ ὄψεται ἡδὺ
Πνεῦμ' ἐπιγινόμενον λευκαῖς πτερύγεσσι πελείης.

Atque hoc illum non e nostris evangeliis, sed ex apocrypho aliquo sumpsisse testis est color ipse volucri additus, qui libris canonicis

deest, albus nempe, apud Lactantium quoque, sed forsan ex Nostri fide, designatus, libro IV, cap. 15, uti alias notavimus.

Non hæc solum, sed alia quoque sine dubio trahebant ad suam falsam mentem hæretici, ut illa quæ paulo infra in evangeliis leguntur de Jesu statim post baptismum a Spiritu rapto in desertum, Matth., cap. 4, v. 1; Marc., cap. 1, v. 12. Quod idem etiam apud divum Lucam legissent, cap. 4, v. 1: « Jesus autem plenus Spiritu « sancto regressus est a Jordane, et agebatur a Spiritu in desertum », si Lucæ testimoniis uti consuevissent. Atque hujus facti memoriam cupide amplexum esse Sibyllistam librorum VI et VII, inde apparet, quod ejus absque necessitate meminerit, lib. VII, v. 66, sq.:

Ὅς ποτ' ἔλουσεν
Ἰορδάνου ἐν προχοῇσι, καὶ ἵπτατο Πνεύματι πολλῷ,

ubi etiam nota vocem ἵπτατο, proprio volandi sensu, quo et illam alias usurpat Noster de Christi ascensione, libro eodem, v. 70:

Ταχὺς ἵπτατο Πατρὸς ἐς οἴκους.

Hoc igitur loco raptum intellexit Jesum a Spiritu sancto trans aërem miro quodam volatu, fere ut ipsum a spiritu malo per auras vectum in alta templi pinnacula atque inde in montem excelsum (Matth., cap. 4, v. 5, sqq.) vulgo effingere solent pictores atque sculptores.

Credibile est autem in evangelio Matthæi secundum Hebræos, vel in Ægyptiorum evangelio, vel in aliis apocryphis, alia nonnulla narrationi de baptismo infuisse, quæ nunc nostris libris desunt, hæreticis olim pergrata: cujusmodi præsertim illud fuit quod et Noster bis aut ter affert, non sine quadam affectatione, lib. VI, v. 6, et VII, v. 84, de igne seu lumine in Jordane accenso, tum quum Christus baptizaretur. Idem hoc Cerinthiis placuisse notat Epiphanius, Hæres. 30, cap. 13, additque, ex Hebræorum evangelio petitum esse, his nempe verbis: Εὐθὺς περιέλαμψε τὸν τόπον φῶς μέγα, ὃ ἰδὼν ὁ Ἰωάννης λέγει αὐτῷ· Σὺ τίς εἶ, Κύριε; καὶ πάλιν φωνὴ ἐξ οὐρανοῦ πρὸς αὐτὸν, Οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ἀγαπητὸ; ἐφ' ὃν εὐδόκησα. Quod idem habet, unde nisi ex eodem fonte haustum? cum aperta non jam luminis, sed ignis mentione, Justinus martyr, Dialog. § 88, rem ita tradens: Καὶ τότε ἐλθόντος τοῦ Ἰησοῦ ἐπὶ τὸν Ἰορδάνην ποταμὸν, ἔνθα ὁ Ἰωάννης ἐβάπτιζε, κατελθόντος τοῦ Ἰησοῦ ἐπὶ τὸ ὕδωρ, καὶ πῦρ ἀνήφθη ἐν τῷ Ἰορδάνῃ· καὶ ἀναδύντος αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ ὕδατος, ὡς περιστερὰν τὸ ἅγιον Πνεῦμα ἐπιστῆναι ἐπ' αὐτὸν ἔγραψαν οἱ Ἀπόστολοι αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ ἡμῶν, ubi notaverunt interpretes discrimen a Justino poni inter ea quæ apud Evangelistas nostros leguntur, et quæ ex apocryphis desumpta in vulgus olim manaverant; sed illud discrimen nobis non ita videtur manifestum. Meminit hujus de fluvio accenso traditionis Cyprianus quoque sive

pseudo-Cyprianus de Baptismo Hæreticorum, sed primam ejus originem repetens ex apocrypha Pauli prædicatione, eadem videlicet cujus olim mentionem fecimus in Exc. IV, pag. 256, sq. Utique et undecumque orta innotuit hujus facti memoria Julio quoque Firmico, pag. 407, extr., et apud alios Patres non semel tangitur. In tantum vero convaluerat, ut et in Syrorum liturgiam transiret, notante Fabricio post Grotium ex Severi Alexandrini seu potius Antiocheni fide. Nec Græci recentiores eam traditionem repudiaverunt, qui festo die quo Christi baptismus celebratur (vulgo τὰ ἐπιφάνια vocant), decimo adhuc sæculo ita canebant, apud Porphyrog. de Cærim., lib. I, cap. 3: Πυρὶ θεότητος ἐν Ἰορδάνῃ φλόγα σβεννύει τῆς ἁμαρτίας. Eo quoque spectat Anonymus recens inter Anecdota Crameri Parisiensia, t. IV, p. 334, versibus iambicis imperfectis Christi baptismum ita celebrans:

Φαιδρύνεται μὲν ὠκεανὸς φωσφόρος,
Ἰορδάνης [τῷ] Δεσπότῃ λελουμένῳ,
Ὃς φαιδρὰ μᾶλλον καὶ τὰ ῥεῖθρα δεικνύει,
Καὶ κάλλος ἐντίθησιν, οὐ γὰρ λαμβάνει·
Κάλλους πατὴρ πέφυκε, βλύζει φῶς ὅλος.

Ubi vides illuminationem fluminis prorsus illi similem quæ a Justino et Epiphanio narratur; et inde fortassis origo luminum festo illo die accendi solitorum, a quibus dies ipse dictus est ἡ ἑορτὴ τῶν φώτων.

Quis vero dubitet illo incendio multum gavisos fuisse hæreticos supra citatos, tanquam illabente tum demum in Jesum aquas ingredientem simulque in ipsum fluvium supervenientis ardore numinis? Scimus etiam fuisse qui illuc traherent Joannis Baptistæ verba, Matth. cap. 3, v. 11: « Ego quidem baptizo vos in aqua... ipse vos « baptizabit in Spiritu sancto et igni ». Atque illius baptismi per Spiritum et ignem primitias in Jesu ipso monstrare volebant, licet divus Petrus, in Act. Apost., cap. 11, v. 15, sq., longe aliter hunc locum interpretetur de Spiritu sancto in discipulos illapso. Sed ipsi suæ sententiæ tantum instabant, ut baptisma sine igne contenderent « mutilatum esse et decurtatum », Cyprian. loc. supra cit. Atque inde ad solemnes baptismi ritus adjecerunt ignis usum; quidam etiam corpora per ignem traducentes, quod de Valentino tradit Tertullianus:

Bis docuit tingi traducto corpore flamma.

Multum hoc differt a sphragidibus seu notis cauterio inustis, quarum usum in baptismo apud multos hæreticos, forsan et quosdam orthodoxos, diu servatum ostendit Fabricius, Bibl. gr., t. I, p. 271, ed. Harles. Nec magis est cum Valentini ritu confundenda libatio aquæ in ignem, cujus mentionem facit idem noster Sibyllista, libro VII, v. 81:

Ὕδωρ δὲ σπείσεις καθαρῷ πυρὶ, τοῖα βοήσας,

licet hoc fieri statim addat ad imitandum Christi baptismum, v. 84:

Ῥαίνων σὸν βάπτισμα, δι' οὗ πυρὸς ἐξεφαάνθης.

Aperte enim meram hic tradit cærimoniam extra baptismum inter quotidianas preces adhibendam, neque alio videlicet consilio, quam ut Christi per ignem baptizati memoria assidue recolatur, tanquam fundamentum falsæ de incarnatione doctrinæ. Sed non est cum homine litigandum, qui fortasse mente non bene sanus, vel hæreticorum fautor ineptus fuit, vel ipse novæ hæreseos novique cultus auctor fieri voluit; quod et alias plenius a nobis ostendetur.

CAP. VI. *De divina redemptione.*

Transimus nunc ad sequens dogma, divinæ nempe redemptionis, de qua Sibyllistæ omnes recta omnia senserunt, ac primum, decretam ipsam a principio, divinitus promulgatam fuisse ipso creationis die in consilio Patris cum Filio, lib. VIII, v. 267, sq.:

Νῦν μὲν ἐγὼ χερσὶ, σὺ δ' ἔπειτα λόγῳ θεραπεύσεις
Μορφὴν ἡμετέραν, ἵνα κοινὸν ἀνάσταμα δῶμεν,

et statim, v. 269:

Γνώμης οὖν ταύτης μεμνημένος εἰς κρίσιν ἥξει.

Ratio autem illius magni mysterii bene traditur, ἵνα κοινὸν ἀνάσταμα δῶμεν, nempe ut creationis opus reparatione creaturæ compleretur, hominisque formationi tanquam ultima manus imponeretur, quod plenius multo declaratur eodem libro, v. 259, sqq.:

Καὶ μορφώσει τὸν ἀπ' ἀρχῆς
Ἄνθρωπον πλασθέντα Θεοῦ παλάμῃσιν ἐν αὐταῖς,
Ὅν τ' ἐπλάνησεν ὄφις, κ. τ. λ.

Tum de Christi vita, miraculis, doctrina, morte, descensu ad inferos, resurrectione et in cælum ascensione, eadem cum evangeliis referunt libri præsertim VIII, v. 269, sqq.; VI, 9, sqq.; I, 336, sqq. Etiam libro quinto, quanquam judaicis potius quam christianis annumerando, ad divini Servatoris nomen et mortem alluditur, ubi Messias dicitur Josuam nomine repræsentare et Mosem cruce. Mosem quippe extensis in ligno manibus orantem depingit poeta, ibid., v. 256:

Ὃς παλάμας ἥπλωσεν ἐπὶ ξύλου πολυκάρπου,

(sic enim legendum), et alius de Christo loquens, lib. VIII, v. 251, sqq.:

Ὃν Μωσῆς ἐτύπωσε προτείνας ὠλένας ἁγνὰς,
Νικῶν τὸν Ἀμαλὴκ πίστει.

Porro vel ideo quod circa illud argumentum pleraque consona cum evangelica narratione tradunt Sibyllistæ, si quid sibi proprium habent, id accuratius annotandum est.

Notabimus vero illud primum, passim observatum a Sibyllistis, quæcunque Christus in vita fecerit, λόγῳ, id est, verbo fecisse, ut lib. VIII, v. 272 :

Πάντα λόγῳ πράσσων,

et ibid., v. 273 :

Τοὺς ἀνέμους παύσεις λόγῳ,

et ibid., v. 267 :

Σὺ δ' ἔπειτα λόγῳ θεραπεύσεις,

nimirum quo magis nostri Redemptoris acta ad solemnem divini Verbi, τοῦ Λόγου, titulum referantur.

Deinde ipsam Dei appellationem Christo etiam patienti, etiam morienti, constanter addi, locis supra cit., juxta veram Ecclesiæ doctrinam, nec tantum libro VIII, § 2, prorsus orthodoxo, sed etiam libris VI et VII, hæreticis licet, ut apertum sit auctores istorum librorum, quum in ceteris a vero aberrarent, prorsus tamen ab impia sententia abfuisse Docetarum aliorumque hoc genus hæreticorum, Christi divinitatem intra ejus vitam ac citra mortem continentium.

Tertium, quamvis non ita per se grave, obiter annotabimus, in narratione de Christo videndum se tangendumque discipulis præbente, diserte quatuor plagarum mentionem fieri, pedum nempe simul et manuum, lib. VIII, v. 318, sqq. :

Πρῶτα δὲ τοῖς ἰδίοις φανερὸς τότε Κύριος ὀφθῇ
Σάρκινος, ὡς πάρος ἦν, χερσί τε ποσί τ' ἐπιδείξει
Τέσσαρα τοῖς ἰδίοις ἴχνη πηχθέντα μέλεσσιν,
Ἀντολίην τε, δύσιν τε, μεσημβρίην τε, καὶ ἄρκτον,

atque hoc quidem non in aliqua recentiore ac deteriore nostrorum Sibyllinorum parte, sed in libro pæne omnium (si tertium et quartum exceperis) antiquissimo, scripto sub initia secundi sæculi. Inde patet eam fuisse temporum primævorum ac pæne apostolicorum traditionem; idque valet ad refellendam opinionem ex evangeliorum silentio male prognatam apud quosdam recentiores, de manibus tantum Christi, non pedibus quoque perfossis.

Quartum, in ipso illo loco, antiquissima sane allegoria, quatuor manuum pedumque plagis designari quatuor mundi partes :

Ἀντολίην τε, δύσιν τε, μεσημβρίην τε, καὶ ἄρκτον.

Hic vero locus olim a clar. E. Q. Visconti satis inique exagitatus est in Ephemeride Eruditorum, *Journal des Savants*, Mai. 1818, perinde ac si quatuor Christi plagæ ad quatuor mundi plagas referri non

potuissent nisi ab homine Latino ludente in paronymia fortuita et vana : inique vero, ut diximus, quoniam e Sibyllinis versibus vox πληγαί omnino abest; nec videmus cur non potuerint diversæ mundi partes propter quatuor Christi vulnera huc adduci, sicut totius mundi amplexus et quasi dimensio per brachia in cruce extensa, recepta apud omnes theologos allegoria, quam et Sibyllista antiquus habet, lib. VIII, v. 302 :

Ἐκπετάσει δὲ χέρας καὶ κόσμον ἅπαντα μετρήσει,

et alius recentior, lib. I, v. 372 :

Ἀλλ' ὅταν ἐκπετάσῃ χεῖρας καὶ πάντα μετρήσῃ.

Quintum notandum, descendendi ad inferos causam Christo fuisse, ut resurrectionem futuram sanctis mortuis prædicaret et spem æternæ vitæ, lib. VIII, v. 310, sq. :

Ἥξει δ' εἰς ἀΐδην ἀγγέλλων ἐλπίδα πᾶσι
Τοῖς ἁγίοις, τέλος αἰώνων καὶ ἔσχατον ἦμαρ,

quod et brevius dicitur, lib. I, v, 377, sqq.:

Ὁπόταν Ἀϊδωνέος οἶκον
Βήσεται, ἀγγέλλων ἐπανάστασιν τεθνειῶσιν.

Hoc vero non Sibyllistis proprium est, sed diserte apud divum Petrum legitur, epist. I, cap. 4, v. 6 : «Propter hoc enim et mortuis «evangelizatum est.» Atque hujus rei ratio affertur a theologis, ne animæ in inferis languentes prius inde educerentur, quam de Christi in terras adventu ac generis humani redemptione, quæ fuerant in terris gesta, cognovissent : quo spectat apocryphi secundum Nicodemum evangelii pars non minima, præsertim vero cap. 24.

CAP. VII. *De secundo Christi adventu.*

Transimus ad secundum Christi adventum, commune jam argumentum nobis et Judæis, quippe qui nobiscum fere conspirant in exspectando Messia, sed aliter intellecto. Nam qui nobis secundus adventus, illis primus est. Præterea terrestre tantum Messiæ regnum exspectant, nos cæleste, id est, in cælo aut in Paradiso positum, quanquam in Paradiso potius, velut media cælum inter et terras sede, ut locus sit corporibus rursus ad vitam evocatis. Fuerunt vero priscis temporibus Christiani, qui medii inter utramque sententiam starent, simul nempe unius Messiæ duo regna sperantes, unum terrestre, alterum cæleste; idque non a judaïzantibus modo, sed etiam ab orthodoxis quibusdam aut cetera omnia recte sentientibus, rece-

ptum. Quare quum minime dubium sit multum e judaïca traditione in primæva Ecclesia remansisse, si rem totam a primordio deducere velimus, necesse est ut, intermissa paulisper christiani dogmatis expositione, aliquid de Messia Judæorum, qualis e Sibyllinis nostris libris cognosci potest, inquiramus.

CAP. VIII. *De Messia secundum Judæos.*

De Messia totam Judæorum existimationem, qualis erat secundo ante Christum sæculo, in parte antiquissima Sibyllinorum, libro tertio, § 4, plenissime traditam accipimus. Ibi enim, post Antiochi in Ægyptum expeditionem, monentur gentiles ut malis suis edocti a falsorum numinum cultu ad verum Deum convertantur, III, 616, sqq.; 624, sqq. Quod si fiat, humanæ genti mira promittitur felicitas, ibid., 619, sqq. Sin minus, Dei ultio portenditur, ibid., 632, eaque teterrimis coloribus adumbratur, v. 633, sqq.

Dum vero calamitates horrendæ, pestes, barbarorum incursiones, cædes hominum, agrorum incultorum sterilitas, mala omnia terris incumbent (v. 633, sqq.), veniet rex a Deo missus de sole, id est, de cælo (v. 652, sqq.), qui non suis sed Dei consiliis bella comprimat, populorum inter se depugnantium alios neci tradat, alios fœderibus conjungat (v. 654), Judæorum gentem erigat et rursus omnibus bonis ornet, v. 657, sqq.

Nec tamen interim impiæ gentes deletæ omnes fuerint aut subactæ: nam rursus reges inter se, conspiratione facta, junctisque viribus, gentem sanctam et urbem et templum aggredientur, v. 660, sqq. Sed tum ultima Dei omnipotentis ira exardescet, ignibusque et fulminibus in gentes impias depluet, urbes eorum delebit, corpora sparget insepulta, v. 669, sqq.

Tum ab omni nova clade secura Judæorum felicitas effingitur, v. 702, sqq. Cujus exemplo demum edocti reliqui omnes populi ad veram religionem accedent, v. 715, sqq. Eritque status ille rerum sub Messia rege ultimus atque æternus, v. 766, sqq. :

Καὶ τότε δ' ἐξεγερεῖ βασιλήϊον εἰς αἰῶνας
Πάντας ἐπ' ἀνθρώπους, κ. τ. λ.

Porro nullam in his reperimus judicii supremi, quale quidem a nobis exspectatur, mentionem; æternæ vero extra hunc mundum felicitatis aut æternarum in inferis pœnarum, ne umbram quidem. Omnia terrestri quodam et corporeo rerum ambitu continentur. Ta-

men, ut sæpe apud Prophetas, ita non semel apud Nostrum judicii nomen de ea re usurpatur. Nam impiarum gentium ruinam, justorum vero seu Judæorum vindictam ac triumphum, id vero Dei judicium vocat poeta, v. 670, sq. :

Καὶ κρίσις αὐτοῖς
Ἔσσεται ἐκ μεγάλοιο Θεοῦ, καὶ πάντες ὀλοῦνται.

Item, v. 689, sq. :

Καὶ κρινεῖ πάντας πολέμῳ Θεὸς, ἠδὲ μαχαίρῃ,
Καὶ πυρὶ, καὶ ὑετῷ, κ. τ. λ.

Cujus temporis adventus miris horrendisque signis, pæne iisdem quibus apud Evangelistas supremum ipsum judicium, prænuntiatur. Ibi enim agnoscas sævos illos regum ac nationum inter se conflictus, v. 635, sqq. :

Καὶ βασιλεὺς βασιλῆα λάβῃ, χώραν τ' ἀφέληται,
Ἔθνη δ' ἔθνεα πορθήσῃ, κ. τ. λ.

Quibus adde, v. 672, sqq., igneos enses, ardentes tædas de cælo cadentes, solem obscuratum, meteora in aere coruscantia, sanguineos imbres, etc., dira omnia, sed ideo aggesta, quo magis conterriti homines ad veri Dei cultum revertantur, monente ipso poeta in fine carminis, v. 806, sq. :

Τοῦτο τέλος πολέμοιο τελεῖ Θεὸς οὐρανὸν οἰκῶν.
Ἀλλὰ χρὴ πάντας θύειν μεγάλῳ βασιλῆϊ.

Quæ omnia, etiam ubi maxime evangeliis consonant, non sunt tamen ad Novum, sed ad Vetus Testamentum referenda. Nam totam pæne Sibyllinæ hujus partis doctrinam facile, si quis velit, e sanctis Prophetis repetat, ut verbi causa :

De Antiocho, Daniel., cap. 8, v. 9, sqq.; cap. 11, v. 21, sqq.;

De generis humani calamitatibus ante Messiam futuris, Isaï., c. 13;

De Messiæ adventu reparandoque ejus auspiciis Judæorum regno, Isaï. et omn. Proph. passim;

De conspiratione adversus Messiam, Psalm. 2, v. 1, sqq.;

De judicio extremo secundum Judæos, Psalm. 95, v. 8, sqq.; Isaï. et Proph. passim;

De improborum pernicie, Psalm. et Proph. ubique;

De justorum felicitate terrestri, Isaï., cap. 11, v. 6, sqq., et omn. Prophet.

CAP. IX. *De Messia secundum veteres Christianos, obiterque de Millenariorum doctrina.*

Ita Judæi: sed Christiani, ut supra diximus, de illo argumento distracti fuerunt in plures opinionum partes.

Alii enim Messiam non fere ob aliam causam exspectabant, quam ut Judæorum dominationem restitueret, Judæi omnes origine, et a Synagoga recentes, neque a ceteris Judæis differentes, nisi quod Messiam existimabant ipsum fore Jesum de cælo reducem: talem fuisse putamus auctorem libri V, quem eumdem libri III, § 3, parentem habendum esse monuimus.

Alii, tanquam Judæos inter ac Christianos medii (et piget in eum numerum referre gravissimos sanctissimosque primævæ Ecclesiæ Patres, Justinum, Irenæum, etc.), terrestre quidem regnum justis (non jam solis Judæis) promittebant, sed in certum duntaxat tempus, post quod extremum fore judicium vivorum mortuorumque prædicebant, atque ex illo perpetuæ vitæ initium, impiis quidem miserrimæ, justis vero beatissimæ: ii vulgo *Millenarii* vocantur, quia plerumque terrestre Christi regnum mille annis includebant, loco scilicet abutentes Apocalypseos, cap. 20, v. 4, 5 et 7. Quem mille annorum numerum nusquam in Sibyllinis definiri notamus diligenter et admonemus. Sed et Millenarios ex vulgari consuetudine vocari licet, quicumque ante judicium supremum terrestre aliquod Christi regnum exspectabant in quotcumque demum annos: atque eo sensu Millenariis ascribendum censemus librum VIII, § 1; non item ceteros libros, iniquius, ut nobis quidem videtur, aut saltem minus aperte eo crimine laborantes.

Alii denique millenarium regnum minime probabant, aut ipsum figurate accipiendum esse contendebant, qui primum pauciores fuerunt, deinde prævalente in dies veritate, ita sunt aucti ut vulgatas prius opiniones plane supprimerent atque delerent: iis adjunctos velimus Sibyllistas plerosque christianos, etiam qui de futura post judicium extremum felicitate nimis terrestria somniaverunt, qua de re plura dicentur infra, cap. 25.

Omnes vero christiani libri Sibyllini, licet aliqua judaïca labe infecti, hoc a judaïcis differunt, quod, ut diximus, Messiam non alium agnoscunt quam Jesum Christum, nempe olim in terris passum, tunc vero cum gloria et potestate rediturum. Hoc omnibus commune. Tantum pro diversis de justorum regno sententiis diversissimæ sunt Messiæ partes, qui nunc rex incedit in terris potens et novæ civitatis conditor; nunc sub finem millenarii regni justis lacessitis auxilium-

que flagitantibus ultor advenit, et tum demum ad judicium procedit; nunc, ad hodiernæ theologiæ mentem, in fine generationis hominum corruptissimæ, nullo præcedente justorum regno, judex vivorum mortuorumque de cælo descendit. Quænam igitur sit de ea re Sibyllini cujusque libri sententia, diligenter nobis inquirendum est.

Libro V, regnantibus adhuc, ut videtur, Antoninis, v. 49, sq., post varias calamitates in Ægypto ceterisque regionibus, v. 53, sqq., rex quidam ex Oriente veniens (Nero nempe Antichristus e Parthia redux), Romanorum victor, potentia et superbia efferatus, accedit ad urbem sanctam expugnandam, v. 105, sqq. :

Ἀλλ' ὅταν ὕψος ἔχῃ κρατερὸν καὶ τάρβος ἀηδὲς,
Ἥξει δ' αὖ μακάρων ἐθέλων πόλιν ἐξαλαπάξαι.

Ergo tunc erit urbs aliqua beatorum (Judæorum videlicet), ipsa nempe urbs Hierosolyma, non qualis sub Romanorum fœdissima servitute polluta jacuerat et profanata, sed restituta, reparata, et justis, id est, Judæis, priscis incolis suis, reddita. A quo, rogamus, id factum, nisi a Messia, vel ejus auspiciis? etsi Messias a nostro scriptore non statim inducitur, sed paulo serius, tum quum urbs illa cœperit ab hoste Antichristo oppugnari, v. 107, sqq. :

Κἀκεῖ τις θεόθεν σθεναρὸς βασιλεὺς ἐκπεμφθεὶς
Πάντας ὀλεῖ βασιλεῖς μεγάλους καὶ ἄνδρας ἀρίστους.

Attende modo : vides reges et principes, Antichristi nempe socios, inter Messiæ hostes numerari; et statim venit in mentem conjuratio regum adversus Messiam quæ antiquitus prædicta erat, Psalm. 2, v. 2 : « Astiterunt reges terræ et principes convenerunt in unum adversus « Dominum et adversus Christum ejus ». Quibus ergo debellatis, statim finis rerum humanarum a Sibyllista portenditur, v. 109 :

Εἶθ' οὕτω τέλος ἔσσεται ἄφθιτον ἀνθρώποισι,

seu, quod nostris auribus magis placet :

Εἶθ' οὕτως ἔσται τέλος ἄφθιτον ἀνθρώποισι,

nisi malis Lactantii diversam satis lectionem :

Εἶθ' οὕτω τέλος ἔσσετ' ὑπ' Ἀφθίτου ἀνθρώποισιν.

Sed utique finem tantummodo impiorum intelligimus, eorum videlicet qui a Messia debellati fuerint; et tum incepturam justorum felicitatem, quam multis describit Noster, v. 246, sqq. :

Ἀλλ' ὁπόταν Περσὶς γῆ ἀπόσχοιτο πτολέμοιο,
Λοιμοῦ τε, στοναχῆς τε,

nempe quum tumultus illatus e Persarum terra, id est, ab Antichristo ex Perside veniente, cessaverit. Tunc enim novam Judæorum civitatem orituram vaticinatur Noster :

Τότ' ἔσσεται ἤματι κείνῳ

Ἰουδαίων μακάρων θεῖον γένος οὐρανιώνων,
Οἳ περιναιετάουσι Θεοῦ πόλιν ἐν μεσογαίοις.

Sane videtur hic urbs ipsa Hierosolyma designari, in Judææ continente posita, ἐν μεσογαίοις : imo pomœrium novum illius urbis definitur, totam Palæstinam amplexuræ usque ad mare :

Ἄχρι δὲ καὶ Ἰόπης τεῖχος μέγα κυκλώσαντες,
Ὑψόσ' ἀείρονται, κ. τ. λ.

Et rex ejus urbis sospitatorque nuntiatur, v. 255, sqq. :

Εἷς δέ τις ἔσσεται αὖθις ἀπ' αἰθέρος ἔξοχος ἀνὴρ,
[Ὃς] παλάμας ἥπλωσεν ἐπὶ ξύλου πολυκάρπου,
Ἑβραίων ὁ ἄριστος, ὃς ἠέλιόν ποτε στῆσε,
Φωνήσας ῥήσει τε καλῇ καὶ χείλεσιν ἁγνοῖς.

Quo quid apertius? et quis non statim Christum Messiam nostrum agnoscat, quem et Moses simul et Josue, figura crucis et nominis, designant? Ille igitur rex promittitur Judæis, quibus addendi videntur Christiani cum Judæis in hoc libro confusi.

Statim vero poeta Judæorum auream vere felicitatem depingit, v. 259, sqq., dum malis omnibus oppressos impios adumbrat, v. 297, sqq., et 343, sqq. Sane si quis perfectum et ad amussim exactum rerum ordinem in eo carmine desideret, spe sua frustretur : consilium tamen auctoris idem ubique deprehendat. Nam postquam urbis Romæ et imperii ruinam, tanquam excisi Hierosolymitani templi ultionem et pœnam, vaticinatus est, v. 385, sqq., rursus ad Messiam redit, v. 413, sqq. :

Ἦλθε γὰρ οὐρανίων νώτων ἀνὴρ μακαρίτης,
Καὶ πάντων ἐκράτησε καλῶς, κ. τ. λ.,

rursusque Judæorum res prosperas versibus suis adornat, v. 419, sqq. Idem etiam paulo infra, postquam, v. 475, sqq., solem ipsum super impios exstinxerit, rursus, Hebræorum causa, cælestem illam facem accendet, v. 481, sq. :

Δεύτερον αὐτὰρ ἔπειτα Θεοῦ φάος ἡγεμονεύσει
Ἀνδράσι τοῖς ἀγαθοῖσιν, ὅσοι Θεὸν ἐξύμνησαν.

Tantaque erit illo tempore Judæorum felicitas, ut eorum exemplo motæ gentes ad verum Deum convertantur, v. 491, sqq., eique templum in ipsa Ægypto ponatur, v. 500, sqq. Nec finis aderit huic felicitati, nisi quum Æthiopes Ægyptum invadent, templumque diruent Altissimi, v. 506 : cujus rei causa iratus Deus ignem ex alto defundet in omnium impiorum capita; tum astris inter se confligentibus et de cælo ruentibus, v. 511, sqq., incendio consumetur orbis terrarum, v. 530 :

Ἧψαν γαῖαν ἅπασαν· ἔμεινε δ' ἀνάστερος αἰθήρ.

Ibi carminis quoque finis est; nec de judicio supremo quidquam additur, ut tandiu duratura videatur aurea ætas Judæorum, quandiu mundus ipse stabit incolumis. Patet inde, quod supra dicebamus, totum judaïcis opinionibus scatere hunc librum, judaïco potius quam christiano similem, quoniam de judicio extremo ac de futura post judicium in orbe novo nova vita nihil videtur cogitasse.

Libro III, § 3, pariter judaïco, de Messia quidem, de fine mundi ac de extremo judicio nihil aperte definitur; eam tamen partem libro quinto, uti cognatam, ita concordem esse, certo licet affirmari.

Transimus ad libros apertius christianos, sed ad eos primum, qui justorum, id est, Christianorum terrenam ante judicium extremum felicitatem admittunt; quos ideo, quidquid de ceteris rebus inter se differant, omnes Millenariis accensendos esse monuimus. Horum præcipuus habendus est liber octavus, § 1. Nam ibi post exstinctam Romanorum imperatorum sextam, id est, Antoninorum seriem, v. 131, sqq., post Antichristi in terras adventum, v. 139, sqq., postque multas calamitates inde secuturas, v. 160, sqq., Messias rex imperium in terris capessit universum et sempiternum, v. 169, sq.:

Καὶ τότε ἁγνὸς ἄναξ πάσης γῆς σκῆπτρα κρατήσει
Εἰς αἰῶνας ἅπαντας, ἀποφθιμένους ἀνεγείρας.

Nota illud ultimum ἀποφθιμένους ἀνεγείρας, unde aliquis conjiciat de ultimo judicio hoc esse scriptum: sed aliud evincunt, quæ deinde adduntur de Antichristo. Agitur ergo de terrestri Messiæ regno ac de priore resurrectione ante illud regnum futura, quæ solis justis, δοκίμοις κλητοῖς (supra v. 92), promittitur, secundum illud Apocalypseos, a Millenariis avidius semper, quam oportuit, arreptum, cap. 20, v. 4, sq.: « Et vidi sedes, et sederunt super eas [justi], et judicium « datum est illis,...et vixerunt, et regnaverunt mille annis. Ceteri « mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni; hæc « est resurrectio prima. Beatus et sanctus qui habet partem in re- « surrectione prima ». Hos mille annos non, ut alii Millenarii, proprio et stricto sensu, sed lato et indefinito videtur accepisse Noster: æternum quippe, ut diximus, Christi prædicit regnum, εἰς αἰῶνας ἅπαντας, et universum, πάσης γῆς: nec tamen, nisi multum fallimur, æternum in his terris futurum, sed primum in hoc orbe incepturum, deinde (post judicium nempe) in orbe renovato continuandum. Nec statim in terris universum: nam interim Antichristus, nec solus, sed cum aliis regibus, sibi videlicet subditis, regnum adhuc profanarum gentium tenere censendus est, quippe qui infra, v. 176, sqq., consilium cum suis inire dicetur adversus sanctam civitatem, prorsus ut supra, libro V, sive hoc desumpsit Noster ex eodem Psalmo 2 supra citato,

sive ex Apocal., cap. 20, v. 7, sq. Desunt hic multa in nostro libro, sed facile supplenda ex Apocalypsi, cap. 20, v. 9, sqq. Ne dubites enim affore Messiam ultorem, ut supra, libro V. Et tum superatis hostibus, conjectoque in abyssum Antichristo, v. 196, sqq., extremus demum hujus mundi finis prædicitur, exstincto sole, dejectisque polo sideribus, v. 203, sqq. :

Ἠέλιος μὲν ἀμυδρὰ τρέχων νυχθήμερα φαίνει,
Λείψει δ' ἄστρα πόλον, πολλῇ δέ τε λαίλαπι θύων,
Γαῖαν ἐρημώσει.

Inde secunda resurrectio, v. 205, sqq. :

Νεκρῶν δὲ ἀνάστασις ἔσται, κ. τ. λ.,

quam aurea sequitur justorum felicitas, sed ea quoque, quod valde notamus, in terris agenda, nempe in terris renovatis vel in altero mundo huic haud absimili; scribitur enim, v. 209, sqq. :

Γαῖα δ' ἴση πάντων, οὐ τείχεσιν, οὐ περιφραγμοῖς
Οὐδὲ μεριζομένη, κ. τ. λ.

Sequentia, v. 213, sqq., paucis tantum et mutilis hemistichiis fracta disjectaque, sensum imperfectum habent, in quibus tamen videtur iterum de fine mundi ac de judicio supremo peroratum fuisse.

Hic igitur liber a quinto differt vel id maxime, quod multo magis christianus habendus est. Quippe judicium supremum et mortuorum resurrectionem fere ad Christianum sensum accipit, nisi quod utrumque in duas veluti partes scindit, et duplex quodammodo judicium cum duplici resurrectione profitetur : quæ prope necessaria fuit Millenariis omnibus fides. Unde enim illis novus populus, novæ civitatis incola, nisi justis per orbem sparsis justos etiam mortuos et jamdiu sepultos adjungerent, ideoque, sic ipsis facile persuadente Apocalypseos loco figurato et obscuro, priorem resurrectionem admitterent, qua justos solos, relictis sub terra impiis, ad lucem revocarent, novo Christi regno novos cives? Sed nos de ea re alias.

Etiam millenariæ opinionis indicia quædam libro II reperiri primum videntur intuenti, sed ea dubia, imo, si propius inspicias, falsa omnino et vana. Nam initio quidem illius libri, post multas calamitates decimæ generationis jamjam interituræ, Deus, seu Messias, seu Christus, justorum servator, de cælo adducitur, v. 27, sqq. :

Τότε δ' αὖτε μέγας Θεὸς αἰθέρι ναίων
Ἀνδρῶν εὐσεβέων σωτὴρ κατὰ πάντα γένηται,

et statim, ut lib. V et VIII, § 1, aurea justorum in terris felicitas describitur; sed illa non, ut in iis libris, proprio sensu accipienda, imo figurata omninò et metaphorica, qua nihil aliud innuitur quam propinquum religionis christianæ regnum. Itaque fideles tunc ostendun-

tur in spem æternæ coronæ adversus omnia vitia decertantes; et inde illa Phocylidea pericope, de qua multa nos in Exc. V, cap. 11. Corona autem illa seu laborum merces iis in aliud tempus reservatur, v. 149, sqq., tum quum certis signis ultimum mundi finem adesse cognosceturr, v. 154, sqq. Et tum demum perfectis omnibus, descendit de cælo Deus judex, prorsus ut in sanctis evangeliis et in orthodoxa theologia. Nihil nos quidem millenarium in his deprehendimus; imo, si recte a nobis exposita sunt, ac si veram poetæ mentem assequimur, omnia satis solerter et accurate composita sunt, ut quidquid e millenaria doctrina retineri poterat, allegorica interpretandi ratione ad veram theologiam reduceretur.

Magis nobis suspecti sunt in libro III, § 1, qui appendicis instar prioribus libris subjectus est, quatuor ultimi versus, 93, sqq. :

Ὢ ὢ δὴ πλωτῶν ὑδάτων καὶ χέρσου ἁπάσης,
Ἠελίου ἀνιόντος, ὅπου δὴ καὶ πάλι δύνει,
Πάντ' ἐπακούσονται κόσμον πάλιν εἰσανιόντι,
Τοὔνεκ' ἄρ' αὐτὸς πρῶτος ἐπέγνωκε κράτος αὐτοῦ.

Hæc enim respicere videntur ad secundum adventum, qualis judaïco vel millenario sensu intelligitur, Messiæ in terris regnaturi ante judicium supremum, nondum dissoluto in ignes orbe terrarum. Sed tam paucis e versibus, mutilo etiam sensu et dubia primi versus lectione, nihil statuere ausimus, præsertim quum isti versus, undecumque huc allati, minime cum prioribus cohærere posse videantur.

Multo minus in ceteris libris simile quidquam millenariis somniis reperias. Nam quæ libro IV justis promittitur nimis fortasse terrena felicitas, v. 45, sqq., 181 (186), sqq., post judicium tamen promittitur, ideoque vel orthodoxa vel saltem toleranda videtur, sicut jam diximus in Exc. V non semel, et rursus nos infra de ea re. Ceteri vero libri adeo non terrestre regnum somniant, ut aperte justorum felicitatem extra terras ponant, apud Deum, lib. VIII, § 2, v. 423, in quodam felicissimo loco quem aut Paradisum nominant, Procem., v. 86, aut etiam Elysios campos, lib. II, v. 338 : quæ omnia nunc obiter indicamus tantum, reditura infra cap. 25, ibique fusius exponenda.

Nunc igitur omissis millenariis allucinationibus, solam orthodoxorum librorum doctrinam expositiri sumus de judicio supremo, ac primum de præviis ei signis.

CAP. X. *De signis extremo judicio præviis.*

Signa illa duplicis erunt generis. Sunt enim, quæ communia ac de medio sumpta dici possunt, quæ Judæis etiam cum Christianis communia esse vidimus, quæque ex evangeliis maxime (Matth. cap. 24, v. 29, sqq.; Marc., cap. 13, v. 24, sqq.; Luc., cap. 21, v. 10, sq.) etiam vulgo nota sunt : terræ motus, pestilentiæ, fames, gentium adversus gentes concitarum horribiles tumultus : quibus calamitatibus quum ubique referti sunt Sibyllini libri (infausta enim plerumque eorum materies), tum in iis præcipue locis, quibus dies extremi et judicii adventantis minæ portenduntur, præsertim lib. II, 156, sqq.; IV, 168 (172), sqq.; VIII, 178, sqq. Alia vero minus vulgata, et quibus immorari pretium operæ nunc esse ducimus, hæc sunt :

1° Signa in cælo conspicua ;
2° Infantes a natalibus cani;
3° Mulierum sterilitas ;
4° Finis imperii Romani ;
5° Reditus decem tribuum ;
6° Antichristus ;
7° Elias de cælo venturus ;
8° Regnum feminæ.

Quæ quidem signa non in omnibus libris, neque semper eodem ordine prædicuntur : ordinem tamen hunc sequemur, quem modo proposuimus, ut pote proxime accedentem ad libri II tenorem, quo nullus alius Sibyllinus de eo argumento copiosior est.

CAP. XI. *De signis in cælo conspicuis.*

Signa in cælo conspicua futura, de quibus Luc. cap. 21, v. 25 : « Et erunt signa in sole et luna et stellis, » (nunc vero ea tantum intelligimus, quibus propinquus rerum finis præsagietur, nondum ipsorum astrorum ruinam cum totius cæli convulsione et mundi fine), apud Sibyllistas hæc fere sunt :

Stellæ labentes in mare, meteoris similes, lib. VIII, v. 190 :

Ἄστρα πεσεῖται πάντα θαλάσσης ἀντίπρωρα,

nisi pro πάντα magis placeat πολλά : sed libro II, v. 202, πάντα omnino legendum est, quoniam illic de mundi ruina agitur :

Ἄστρα γὰρ οὐρανόθεν τε θαλάσσῃ πάντα πεσεῖται.

Cometæ etiam, quanquam ii quidem raro in Sibyllinis memorati, sed tamen aperte nomine suo, VIII, v. 191, sqq. :

Πολλὰ μὲν ἑξῆς ἄστρα, καὶ ἀκτινόεντα κομήτην
Ἄνθρωποι καλέουσι τὸν ἀστέρα, σῆμα πόνοιο.
Πολλοῦ ἐπερχομένου πολέμου καὶ δηϊοτῆτος.

Et sic fere libro III, v. 334 :

Ἐν δὲ δύσει ἀστὴρ λάμψει, ὃν ἐροῦσι κομήτην,
Ῥομφαίας, λιμοῦ, θανάτοιό τε σῆμα βροτοῖσιν,
Ἡγεμόνων τε φθορᾶς ἀνδρῶν, κ. τ. λ.

Confer et lib. V, 154, sqq.

Notandum vero vel maxime sidus coronæ simile, quod in cælo effulsurum prædicitur, lib. II, v. 34, sqq. :

Καὶ τότε δὴ μέγα σῆμα Θεὸς μετέπειτα ποιήσει.
Λάμψει γὰρ στεφάνῳ λαμπρῷ παρομοίϊος ἀστὴρ,
Λαμπρὸς, παμφαίνων ἀπὸ οὐρανοῦ αἰγλήεντος
Ἤμασιν οὐκ ὀλίγοις.

Hoc Sibyllista prædicit indicium fore coronæ justis paratæ, jamjamque præsto futuræ, si adversus vitia strenue decertaverint. Quumque addatur sidus illud per plures fulsurum esse dies, dubitari potest utrum id ex ingenio vaticinatus sit poeta, an revera tale aliquod portentum in cælo mirati sint illius temporis homines, sive cometam, sive halo, sive aliud signum; cujus nos quidem memoriam ad illa tempora, id est, ad sæculum tertium fere medium pertinentem, frustra ab historicis quæsivimus.

Cælestibus signis vide an possint etiam accenseri sanguineæ guttæ de cælo cadentes, lib. II, v. 20, quas tamen huc e libro III, mere judaico, translatas esse notavimus ad h. l. Ea vero prodigia quæ in judaïcis duntaxat libris prædicta reperiuntur, minime hic enumeranda censemus, quales sunt maxime, lib. III, v. 795, sqq., enses in cælo coruscantes, pulveris nimbus ex æthere lapsus, solis et lunæ defectus, et quod maxime mirum, species pugnantium equitum peditumque in nubibus visæ, ibid., v. 804, sq., ubi vide quæ in curis nostris posterioribus annotata sunt.

CAP. XII. *De infantium canitie.*

Descendimus in terras, ubi omnium pæne primum, si ex libro II judicetur, mundi perituri indicium erit infantium præcox senectus, cano crine nascentium, lib. II, v. 154, sqq. :

Ἀλλ' ὁπόταν τόδε σῆμα φανῇ κατὰ κόσμον ἅπαντα,

'Ἐκ γενετῆς παῖδες πολιοκρόταφοι γεγαῶτες,

quod quia per omnes terras, κατὰ κόσμον ἅπαντα, futurum prædicitur, videtur non ad aliquod recens prodigium respicere, sed ad communem traditionem de prodigiis sub finem mundi futuris. Quanquam unde ortam? Hic vero in partes duas trahimur.

Potuit enim ex apocrypho aliquo evangelio, sive adespoto quovis libro christiano vel judaico, in vulgi opinionem transire. Nos tamen in apocryphis superstitibus nihil hujusmodi hactenus reperimus, nisi forte aliquid cognatum satis, diversum tamen, in Esdræ libro IV, ubi inter novi sæculi advenientis præsagia, hæc leguntur, cap. 6, v. 21 : « Et anniculi infantes loquentur vocibus suis, et prægnantes immatu« ros parient infantes trium et quatuor mensium, et vivent, et susci« tabuntur ». Sed de immatura canitie infantium istorum, ne mussat quidem pseudo-Esdræ prophetia.

Vero igitur similius est, quod jam olim suspicati sumus in curis posterioribus ad h. l., id Nostrum de suo vaticinatum esse ad instar Hesiodi, Opp. et dieb. v. 178, sq. :

Ζεὺς δ' ὀλέσει καὶ τοῦτο γένος μερόπων ἀνθρώπων,
Εὖτ' ἂν γινόμενοι πολιοκρόταφοι τελέθωσι.

Prodit enim imitationem et plagium magna in altero versu similitudo non sententiæ modo, sed et verborum; ac sæpe jam observavimus in Sibyllinis, sed præcipue libro I, qui cum libro II ejusdem Sibyllæ fetus est, plurima ex Hesiodeo armario sumpta deprehendi.

CAP. XIII. *De mulierum sterilitate.*

Aliud signum ac priori affine sterilitas est mulierum, de qua lib. II, v. 163, sq. :

Νήπιοι, οὐδὲ νοοῦντες ὅθ', ἡνίκα φῦλα γυναικῶν
Μὴ τίκτωσιν, ἔφυ τὸ θέρος μερόπων ἀνθρώπων.

Quod per se manifestum, humano generi finem tum affore proximum, quum mulierum puerperiis propagari desierit. Id tamen ex Ægyptiorum evangelio manasse testis est Clemens Alexandrinus citatus a nobis in cur. post. ad h. l. Ipse enim sic ait, Strom. lib. III, § 6 : Τῇ Σαλώμῃ ὁ Κύριος πυνθανομένῃ μέχρι πότε θάνατος ἰσχύσει, ... Μέχρις ἂν, εἶπεν, ὑμεῖς αἱ γυναῖκες τίκτετε [seu potius τίκτητε], quod et ad finem Clementis operum rursus legitur inter excerpta Theodoti, § 67. Originem vero hujus cum Salome dialogi, illam ipsam, ne quis dubitet, Ægyptiam, indicat Clemens paulo infra, Strom. III, § 13

atque ibi quædam alia ex eodem dialogo refert, quæ ab instituto nostro aliena sunt.

CAP. XIV. *De fine imperii Romani.*

Post illa, an ante illa, quæ modo diximus, prodigia, venturum canitur signum quo vix ullum majus in terris exsistere potuit, finis imperii Romani. Communis hæc fuit Sibyllistis omnibus exspectatio Judæis Christianisve sub Romano imperio viventibus, palamque et semper et ubique prædicitur ea clades, tanquam certa et propinqua. Solum excipi velimus librum VIII, § 2 : nam in Proœmio et libris VI, VIII, § 3, 4, occasio defuit. Ceteri vero libri concentu quodam funebri communem de ea re næniam canunt, IV, 132 (135), sq., 142 (145), sq.; V, 154, sqq.; 161, sqq.; 341, sq.; 385, sqq.; 433, sqq.; VII, 108, sqq.; VIII, 37, sqq., 59, sqq., 73, sqq., 97, sqq.; 125, sqq., 131, sq., 142, sqq., 151, sqq., 165, sq.; III, 364; I, 397, sqq.; II, 17, sqq.; III, 52. Quos locos satis sit hic indicasse, plerosque proferendos infra, sub hujus excursus finem, cap. ult.

Nunc quam cito illud fatum impletum iri considerent, operæ pretium est inquirere. Certum est in proximo positum communi opinione fuisse : nam inde pendebat spes consummandorum vaticiniorum, delendæ ex orbe terrarum paganæ religionis, et novi rerum ordinis incipiendi. Sed ea spes sæpe delusa ideoque sæpe dilata est.

Et quum primum exarsit Neronis adversus Christianos persecutio, multi statim post illum principem imperii Romani finem exspectabant, eoque trahebant verba divi Pauli ad Thessal. II, cap. 2, v. 7 : « Tantum ut, qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. » Quo præsagio primum confirmari viso, deinde frustrato, compositis quippe a Vespasiano principe civilibus bellis, Vesevi postea montis incendium, tanquam fatale aliquod portentum, quosdam induxit ut rursus finem adesse nuntiarent, instantem brevique venturum, sive Tito, sive Domitiano regnante : confer lib. IV, 127 (130), sqq.; 132 (135), sqq. At sub Antoninis et sub Pio præcipue, cujus temporibus suppares esse diximus libros VIII, § 1; V, III, § 3, adeo hujus rei exspectatio creverat et in plenam fiduciam evaserat, ut vel ipse fatalis annus imperio definiretur, annus nempe ab Urbe condita CMXLVIII, qui ex Græco Romæ nomine literarum supputatione deducebatur, lib. VIII, v. 148, sqq. :

Τρὶς δὲ τριηκοσίους καὶ τεσσαράκοντα καὶ ὀκτὼ

Πληρώσεις λυκάβαντας, ὅταν σοι δύσμορος ἥξῃ
Μοῖρα βιαζομένη, τεὸν οὔνομα πληρώσασα.

Quam quidem supputandi rationem, etsi cabbalisticum quiddam redoleat, tamen a Sibyllino more non abhorrere, quin et sanctæ Apocalypseos exemplo non carere, notavimus in cur. post. ad h. l. Sed præterea fatendum est fuisse illam quodammodo præparatam ac præmunitam oraculo alio de Romæ fatis antiquius vulgato, quod sub Tiberio præsertim et Nerone jactabatur :

Τρὶς δὲ τριηκοσίων περιτελλομένων ἐνιαυτῶν,
Ῥωμαίους ἔμφυλος ἐλεῖ στάσις...

Quo de oraculo plura nos in Exc. II, p. 128, not. et in Exc. III, p. 186. An igitur Græci talem aliquam de Romæ nomine computationem literarum excogitaverant? Minime : sed post annum Urbis octingentesimum sponte in animos cadebat incipientis novi sæculi finem tanquam fatalem designare : et huc redeunt quæ de ætatibus ac de nona præsertim generatione diximus supra, cap. 1, pag. 441, sqq.

Utique annus ille Romæ CMXLVIII Christi est 195, Septimii Severi secundus. Quo elapso, etsi per se concidebat oraculum, tanta perstitit animorum obstinatio, ut fuerint etiam tum, qui ad defendendam Sibyllinam fidem non dubitarent, incertum qua auctoritate, CV annos Romanis fastis detrahere. Mirum hoc, et tamen certum. Nam auctorem, quisquis fuit, librorum quatuor ultimorum sub Aureliano conditorum, falsæ isti chronologiæ bis insistere monstravimus supra, pag. 455, sq. Quo quidem pacto terminus fatalis casurus erat in annum Christi 305, qui Diocletiani regnantis, sed minime imperii Romani ultimus fuit. Ita vaticinantium omnes rationes progressu temporis eludebantur.

Hujus vero tam obstinatæ spei causas quærentibus nobis succurrit, præter insitum Sibyllistis eorumque sectatoribus Romanæ dominationis odium, multa in dies accessisse quæ spem propinquæ rerum commutationis alerent foverentque.

Nam sub Nerone, illato Judæis bello, indictoque Christianis exitio, propinquam Dei ultionem ab utrisque speratam fuisse, nemo sane indignabitur. Deinde everso Nerone, exstincta cum eo Cæsarum stirpe, distracto inter plures imperio, ardente bellis civilibus Italia ipsaque Roma, quanto magis in spem eventus arrecti erant animi! Sub Vespasiano deletis Hierosolymis implendæ jamjamque videbantur ipsius Christi prædictiones, Matth. cap. 24, v. 29 et 34, quæ, si nimis arcto sensu caperentur, inter expugnatam urbem sanctam et ultimos mundi dies nullum fere intervallum relinquebant.

Sed maxime sub Antonino Pio spes istæ accendebantur, tribus tum primum principibus rerum simul potientibus, ut vulgus quidem arbi-

trabatur (confer nos, Exc. V, p. 344), Antonino, M. Aurelio, L. Vero. Namque illuc redibat Danielis prophetia, c. 7, v. 7, sq., de tribus cornibus ex decem superfuturis, deinde ab uno vivaciore evertendis; quod multi interpretabantur de tribus Antoninis per Antichristum perituris : decem vero apud Danielem cornua confundebant cum decem aliis in Apocalypsi prædictis, cap. 13, v. 1, quæ quidem ipso interpretante angelo, ibid., cap. 17, v. 12, Romani Cæsares esse videbantur a Vespasiano numerati usque ad tertium Antoninum, sicut pluribus exponetur infra, cap. 16. Ergo post Antoninos venturum Antichristum, simulque extrema mundi tempora, facile sibi persuadebant. Quæ tamen sententia Antoninis ipsis diu superesse non potuit; et tum, id est, post initia tertii sæculi, nova interpretationum commenta exoriri cœperunt quæ apud Hippolytum et Lactantium et Hieronymum et Augustinum aliosque reperias; quibus non est hic multum immorandum, quia non exstant apud nostras Sibyllas : harum ergo potius opinationes de rebus ante finem futuris, age, persequamur.

CAP. XV. *De decem tribuum reditu.*

Sancti Prophetæ, qui plerique Israeliticæ seu postea Judaïcæ captivitatis temporibus vixerunt, pleni sunt vaticiniis de futuro tribuum reditu, quæ trans Euphratem ab Assyriis translatæ fuerant. Satis sit vel unum citare Jeremiam, cap. 31. Atque hæc vaticinia eventum suum sortita sunt Cyri, Darii et Artaxerxis edictis : constat enim non Judæos tantum, sed complures simul e ceterarum tribuum reliquiis in patriam terram rediisse, partemque agrorum suorum, quæcumque a vicinis gentibus redimi aut recuperari potuit, rursus occupasse; ita ut restitutis aliquando rebus suis, Hebræa gens, potiori Judæorum nomine jam vocanda, sub miti Persarum imperio felicitate frueretur, quanta nunquam sub propriis regibus; hanc alii jam ante nos dixerunt auream ætatem fuisse sanctæ gentis.

Postea vero, quum rursus calamitosa tempora, a Macedonum in Asiam ingressu profecta, Judææ incumbere cœpissent; quumque inter Syros et Ægyptios distracta, præsertim vero a Syris regibus oppressa gens in extremam servitutem delapsa esset; redire tum multis in mentem cœperunt, bonis viris et patriæ amantibus, decantatæ olim prophetiæ de Judæorum regno Messiæ armis restituendo, ac de tribuum reditu, quas decem adhuc trans Euphratem atque in remotiore Asia latitare sibi fingebant. Falsa hæc et gratuito conficta, quia reditus illarum tribuum in veterem patriam suam jamdiu vel effectus

erat, ut diximus, vel quominus efficeretur, per ipsas steterat. Ceterum de ingenti Judæorum multitudine quæ trans Euphratem remanserat, consulendi præsertim Philo, in legatione ad Caium, p. 798, ed. 1613: Καὶ σιωπῶ τὰς πέραν Εὐφράτου [χώρας]· πᾶσαι γὰρ, ἔξω μέρους βραχέος Βαβυλῶνος καὶ τῶν ἄλλων σατραπειῶν, αἱ ἀρετῶσαν ἔχουσαι τὴν ἐν κύκλῳ γῆν, Ἰουδαίους ἔχουσιν οἰκήτορας. Quod et firmat Josephus, Antiq., lib. XI, cap. 5 : Διὸ καὶ δύο φυλὰς εἶναι συμβέβηκεν ἐπί τε τῆς Ἀσίας καὶ τῆς Εὐρώπης Ῥωμαίοις ὑπακουούσας· αἱ δὲ δέκα φυλαὶ πέραν εἰσὶν Εὐφράτου ἕως δεῦρο, μυριάδες ἄπειροι καὶ ἀριθμῷ γνωσθῆναι μὴ δυνάμεναι. En tibi decem tribuum trans Euphratem superstitum apertissima mentio, quo referendum et quod addit Josephus de Judæis circa Nisibim et Neardam ad Euphratem habitantibus, Antiq. XVIII, cap. 12; ubi etiam e tribu Juda et stirpe David nonnullas manere reliquias, unde Messias sit oriturus, recentiores quidam Rabbini scripserunt, teste Malvenda, de Antichr., lib. II, cap. 11. De Judæorum quoque parte aliqua ab Ocho Persarum rege in Hyrcaniam prope Caspium mare, (ideoque prope Scythas, qui Hebræis Gog et Magog) translata, auctores sunt Eusebius, Chronic. ed. Armeno-lat., ad Ochi annum VI; atque inde reditum Judæorum a quibusdam exspectari docet Orosius, lib. III, cap. 7. Vanæ profecto spes, quas tamen aut quibus similes diu ante Christum vulgatas apud Judæos fuisse credimus, et sæpe revixisse ac recruduisse, quoties novus aliquis hostis et nova servitus incumberet; maxime vero post eversam a Romanis sanctam civitatem, tum quum Judæi exsules atque dispersi liberatorem sibi promissum mittendumque divinitus auxilium undique circumspicerent.

E Christianis etiam, saltem judaïzantibus, multi fuere, qui quum terrestrem mille annorum felicitatem ante judicium supremum justis suis, id est præcipue Judæis et proselytis ad nostra sacra conversis promissam exspectarent, simul novam in Judæa civitatem orituram præsagiebant, simul non aliter restitui posse putabant suorum res, quam si ad duarum tribuum reliquias denuo coeuntes, decem ex Asia tribus accederent, quarum omnium conjunctis armis sacra tellus a Romana dominatione vindicaretur.

Sed multo etiam longiori itinere rediturae exspectabantur a quibusdam decem tribus, illo ipso Antoninorum tempore quo Sibyllina pleraque scripta sunt. Testis sit vel hic locus ex apocrypho Esdræ libro IV, cap. 13, v. 39, sqq. : « Et quoniam vidisti eum [Messiam] colligentem ad « se aliam multitudinem pacificam, hæ sunt decem tribus quæ captivæ « factæ sunt de terra sua in diebus Osee regis, quem captivum duxit « Salmanazar rex Assyriorum, et transtulit eos trans flumen..... Ipsi « autem sibi dederunt consilium hoc, ut derelinquerent multitudinem

« gentium et proficiscerentur in ulteriorem regionem, ubi nunquam « habitavit genus humanum, vel ibi observare legitima sua.... Per « eam enim regionem erat via multa itineris, anni unius et dimidii : « nam regio illa vocatur Arsareth. Tunc inhabitaverunt ibi usque in « novissimo tempore; et nunc iterum cum cœperint venire, iterum « Altissimus statuet venas fluminis, ut possint transire, etc. » Quænam illa regio Arsareth? an Serum sive Sinarum regio, in qua Judæorum reliquias a se repertas literis suis testati sunt, qui Evangelii facem per illas terras novissimis his sæculis circumtulere? Nobis sufficiat vulgatas antiquitus opiniones indicasse.

Sic quidem Judæi et judaïzantes, qui tamen raro in Sibyllinis ad illam spem alluserunt, nisi forte, libro III, § 3, ubi stirpem Antoninorum ab invisa stirpe dejectum iri prædicitur, v. 394, sq. :

Ὧν δή περ γενεὴν αὐτὸς θέλει ἐξαπολέσσαι,
Ἐκ τῶν δὴ γενεῆς κείνου γένος ἐξαπολεῖται.

Nos progeniem illam Romanis atque Antoninis invisam Judæos esse putamus, quorum futurus de Cæsaribus triumphus hic innuitur, obscure tamen et dubie.

At Christianos recentiores, qui nihil aut parum e judaïsmo retinuerant, minus verisimile est huic unquam spei multum favisse. Itaque nulla hujus rei mentio in Sibyllinis, nisi semel libro II, non sane inter antiquissimos habendo, sed circa sæculi tertii mediam partem scripto. Ibi vero in alium sensum detorquetur et plane frustratur illa spes. Nam finguntur quidem ex Oriente redire tribus, quæ cum ceteris junctæ duodenarium impleant numerum; imo de gentibus, id est, ne dubita, de Romanis victoriam primo impetu reportaturi magnamque iis perniciem illaturi canuntur, v. 170, sqq. :

Δεινὸς δ' αὐτοῖς χόλος ἥξει,
Ἡνίκα δωδεκάφυλος ἀπ' ἀντολίης λαὸς ἥξει,
Ζητήσων λαὸν, ὃν ἀπώλεσεν Ἀσσύριος κλὼν,
Συμφύλων Ἑβραίων· ἔθνη δ' ἐπὶ τοῖσιν ὀλοῦνται.

Illam tamen victoriam cito in ventos abituram, iterumque servituros Hebræos, statim additur, v. 174, sq. :

Ὕστερον αὖ ἄρξουσιν ὑπερμενέων ἀνθρώπων
Ἐκλεκτῶν πιστῶν Ἑβραίων, καταδουλώσαντες
Αὐτοὺς, ὡς τὸ πάροιθεν.

Unde colligimus illos frustra victores, mox a gentibus, id est, a Romanis rursus in servitutem adactum iri : longe hoc quidem abest a judaïzantium, de quibus modo dicebamus, somniis. Sed notandum hæc, secundo libro, unde a nobis allata sunt, post Antichristi adventum poni, ut dubium videri possit, Antichristine an Romanorum ar-

mis rursum subigendi canantur. Qua de re difficile est certum aliquid statuere, quia pars hæc secundi libri sexto sæculo retractata et in epitomen redacta, ut olim diximus in Excursu V, cap. 10 et 12, manca atque imperfecta ad nos pervenit; ceteri autem libri, sicut modo dicebamus, de hoc argumento prorsus reticent, quum de Antichristo multa habeant, nunc plenius exponenda.

CAP. XVI. *De Antichristo.*

Vix nobis quidem dubium est, primis ante et post Christum sæculis agitatam fuisse inter Judæos, præsertim Pharisæos, theologicam quæstionem de futuro quodam Anti-Messia (si fas ita vocare, quem proprio nomine Belial appellare solebant; confer infra dicenda, p. 505, sq.) : quem sub Messiæ tempora oriturum putabant, adversus justos, id est, Judæos, et adversus ipsum Messiam Judæis imperantem, bella gesturum, donec victus cum sociis et auxiliaribus suis, gentilibus videlicet, exstirparetur. Quam sententiam Judæis ad nostra sacra conversis familiarem permansisse primo secundoque æræ nostræ sæculo, docent apocryphi, qui tum maxime pullulaverunt, libri, Testamentum XII Patriarcharum, Esdræ liber IV, Anabaticum Isaiæ, etc., etc. Porro ne quis eam putet in istos manasse libros ex epistola mox citanda Pauli ad Thessalonicenses, in qua tota de Antichristo doctrina exponitur, obstat quod Christiani judaïzantes Pauli epistolis non utebantur. Fuit ergo illa doctrina judaïcæ, ut diximus, ac nisi fallimur, pharisaïcæ originis. Etiam Justinus martyr in dialogo cum Tryphone, § 31, sq., ita de Antichristo loquitur, ut ipsum Judæis non minus quam Christianis notum fuisse satis ostendat.

Quod si ita est, non videtur ea doctrina aliunde desumi potuisse quam e Danielis prophetia, præsertim ex ejus prophetiæ locis notissimis de Antiocho Epiphane cap. 7, v. 8 et 24; cap. 8, v. 9 et 23, sqq.; cap. 11, v. 21, sqq.; in quibus crudelissimus ille Judææ gentis inimicus teterrimis coloribus depingitur. Quos quidem locos proprie de illo rege, non de alio scriptos esse, nemo hodie negaverit, qui bona fide ad hæc studia accesserit : ita ibi, post Macedonum in Asia dominationem, ejusdemque distractionem in plures partes, tota deinde Syrorum regum historia usque ad ipsum Epiphanem deducitur. Quod olim Porphyrius, christianæ religionis hostis infensissimus, sed idem sagacissimus, animadverterat; recte, nisi quod adversus ipsam Danielis prophetiam argumenta inde voluit depromere, jure ob id taxatus a divo Hieronymo. Antiochus vero figurate apud Da-

nielem inducitur sub allegoria cornu cujusdam parvuli post decem alia succrescentis, et tribus illorum eversis in incredibilem superbiam assurgentis, cap. 7, v. 8, sqq., quæ sic Angelus interpretatur, ibid. v. 23, sq. : « Bestia quarta regnum quartum erit in terra [Syriæ regnum « intellige], quod majus erit omnibus. Porro cornua decem ipsius regni « decem reges erunt [decem nempe Syriæ reges, numerati ab Alexandro « ejusque successoribus Aridæo et Ægo, usque ad Seleucum Philopa- « torem]. Et alius consurget post eos [Antiochus Epiphanes], et ipse « potentior erit prioribus, et tres reges humiliabit [tres nempe prio- « res sibi cognomines Antiochos, quibus ipse major evasurus erat], « et sermones contra Excelsum loquetur, et sanctos Altissimi [id est, « Judæos] conteret. » Reliqua deinde ad Epiphanem gentis et religionis judaïcæ persecutorem haud obscure pertinent. Quæ tamen omnia Judæi recentiores, quia extrema hujus prophetiæ, cap. 12, de judicio Dei futuro post illum hostem debellatum, ad Epiphanem referri posse non videbantur (nec mirum, propter ingentem rerum lacunam quæ ibi patet inter capita 11 et 12), ea, inquam, omnia novis commentationibus in novum sensum detorta, a præteritis ad futura retraxerunt; et pro Antiocho mortuo nullique jam timendo, impium quemdam ac detestabilem hominem novissimis mundi temporibus venturum, cujus Epiphanes figura tantum fuisset, exspectare cœperunt.

Ubi vero increbuit illa nova Danielis interpretatio, tum alios quoque Scripturæ locos eodem pertrahere conati sunt, ut illud Genes. cap. 49, v. 17 : « Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita mordens un- « gulas equi, ut cadat ascensor ejus retro. » Et totum Davidis psalmum 2 : « Quare fremuerunt gentes, etc. » Et Isaiæ locum de Christo Messia, cap. 11, v. 4 : « Spiritu labiorum suorum interficiet impium ». Et quæ prædixit Ezechiel de Gog et Magog, cap. 38, sq. Omnia tamen nimis violenter huc intrusa. Nam Geneseos locus vel ipso priore versiculo interpretes suos falsi arguit, ubi sic legitur, v. 16 : « Dan judicabit populum suum, sicut et alia tribus in Israel », quod tam longe ab Antichristi notione distat, ut nobis quidem videatur sequens versus nihil aliud quam indolem Danitarum innuere, vafram videlicet et astutam. Secundus psalmus ad Messiæ laudes pertinens, dum in hostes ejus invehitur, Antichristi personæ nihil proprium habet. Isaiæ quoque locus, etsi figurate de hac re a divo Paulo usurpatus, huc proprie non pertinet; impium quippe quemlibet tangit, non Antichristum solum. Et multo minus ad hoc argumentum referendæ sunt prophetiæ de Gog et Magog, quæ non alio respiciunt quam ad Scytharum in terram sanctam irruptiones.

Gog enim Getarum seu Scytharum gentem, Magog autem populos

Scythiæ circumjacentes indicat, communi fere hodiernorum eruditorum consensu. Scythæ autem jam a Cyaxaris prisci temporibus cœperunt in Asiam ebacchari, Herodt. lib. I, § 105 (imo paulo ante, si Eusebio fides ad Josiæ regis annum XIII). Qui licet post annos novem et viginti a Cyaxare et Medis ex Asia superiore pulsi sint, Herodt. ibid., § 106, videntur tamen in Asia minore atque in Syria mansisse, palantes more gentilitio et nomadem vitam agentes. In Lydiam certe receptos, contradicentibus Assyriis, ipse narrat Herodt. ibid., § 73. Bambycen sive Heliopolim Syriæ suo etiam tempore Magog ab incolis dici testatur Plinius, Hist. nat. V, § 19 (olim 23). Atqui ex Syria facile potuerunt in vicinas partes exspatiari, præsertim in terras nuper ab Israelitis possessas, tum vero captivis civibus pæne vacuas; nec dubium ita factum esse, nec semel fortasse, per longa captivitatis tempora, unde et ab ipsis nomen Scythopolis urbi Bethsan adhæsit, quæ ad tribum Manasse pertinuerat. Quare multus est Ezechiel, loc. cit., de illorum incursibus, aperteque prædicit imminentem iis cladem, qua sunt a Nabuchodonosore prostrati, anno fere ante Chr. 573. Quæ quamvis legenti cuivis aperta sint, non desierunt tamen Judæi, et qui cum illis sentiebant, Gog et Magog de Antichristo accipere, vel saltem Antichristo ex Asia venienti socios illos hyperboreos adjungere : quam opinionem nonnullis etiam sanctis Patribus placuisse certum est, præsertim propter insignem Apocalypseos locum, cap. 20, v. 7; eamque, medio ævo vergente, vulgatam etiamtum fuisse non in Europa tantum, sed et in Asiæ remotissimis partibus, testatur legatio a Tartaris ad Ludovicum nonum, Galliæ regem, missa, *Mém. de Joinville*, p. 333, ed. Petit.

At nobis Christianis totius de Antichristo doctrinæ fons est primarius ac præcipuus divi Pauli locus supra laudatus ad Thessal. ep. II, cap. 2, v. 3, sqq. Ibi enim divus Apostolus novos Christianos, propinqui judicii metu perturbatos, ne omnino animis deficiant, ita confirmat : « Ne quis vos seducat ullo modo, quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, « qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod « colitur (Daniel. cap. 7, v. 25; cap. 11, v. 36), ita ut in templo Dei « sedeat, ostendens se tanquam sit Deus... Et tunc revelabitur ille « iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui [Isai. loc. « supra cit.], et destruet illustratione adventus sui eum; cujus est ad- « ventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute et signis et « prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis iis qui per- « eunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt ut salvi fierent. « Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio,

« ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt « iniquitati ».

Ergo quod antea liberis hominum controversiis inter Judæos agitabatur, nobis deinceps in certum fidei dogma evasit. Minime vero dubium est quin Antichristum non figuratum aliquem aut allegoricum, sed verum ac vivum, opibus et factis et miraculis præpotentem, designaverit divus Paulus, etsi ad iconem ejus effingendam petitis hinc inde coloribus usus est. Et certum est respexisse illum ad Danielis locos supra citatos, quos, licet de Antiocho scriptos, ut diximus, tamen ad Antichristum retulit, quia de utroque veri erant. Neminem vero fugit passim in Novo Testamento ad novum diversumque sensum traduci quæ proprie de alia re in Vet. scripta erant, unde totius fere Scripturæ duplex sensus, alter figuratus dici solitus, alter literalis, uterque simul admittendus : quod qui negaverit, ad ipsa pæne catholicæ theologiæ fundamenta manum temerariam admoverit.

Idem plane dixerimus de plurimis Apocalypseos locis, in quibus ὁ Θεολόγος, dum ipsis prope Danielis vocibus ac figuris utitur, eas tamen diversissimo sensu usurpat. Sunt enim apud ipsum decem cornua non jam Seleucidæ, sed decem Romani imperatores a Vespasiano numerati (cap. 13, v. 1, sqq.; cap. 17, v. 9, sqq.). Et quamvis ibi notetur Pseudopropheta sive Antichristus iisdem fere signis quibus apud Danielem Antiochus, minime tamen errori locus est : nam Antichristum quem designet, satis aperte docet sanctus vates, nusquam eum, nisi bestiæ (id est, Romæ) Pseudoprophetam vocans, nempe, nisi fallimur, imperatorem Romanum, non hunc aut illum, sed quemlibet (omnes enim christianæ religionis hostes, cap. 17, v. 13, sq.): quem semel cum bestia victum atque debellatum, stabilito quippe Ecclesiæ regno (cap. 19, v. 20), rursus post mille annos, id est, post diu quieta Ecclesiæ tempora, ex inferis emersurum canit (cap. 20, v. 7, sqq.), id est, denuo in terris oriturum ante judicii supremi tempus, sive ipsum seu potius ipsi similem : nam hic rursus controversiæ locus, et quidam Mahumetem, alii alios putaverunt, obscura nunc, sed videlicet futura olim clariore prophetia.

Quamvis autem Antichristi nomen nusquam in illa prophetia posuerit divus Joannes, utitur eo non semel in epistolis, sed latiori sensu, nempe epist. I, cap. 2, v, 18, sq. : « Filioli, novissima hora est : et « sicut audistis quia Antichristus venit, et nunc Antichristi multi « facti sunt... Hic est Antichristus qui negat Patrem et Filium ». Et paulo infra, cap. 4, v. 3 : « Omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo « non est; et hic est Antichristus de quo audistis, quoniam venit et « nunc jam in mundo est ». Et in Epistola II, v. 7 : « Quoniam multi

« seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum venisse « in carnem; hic est seductor et Antichristus. » In his ergo nomen istud usurpat de impio quovis aut hæretico, præsertim qui Dei filium incarnatum negaverit. Sed cave inde colligas in Apocalypsi quoque personam Antichristi sive Pseudoprophetæ mere figuratam et allegoricam esse. Nam in re theologica minime secum pugnant, uti modo diximus, proprius et figuratus usus ejusdem vocis. Itaque nihil agat, si quis Joannem Joanni, Apocalypsi epistolas objicere velit.

Et Joannes ergo et Paulus ante finem rerum venturum docuerunt Antichristum, qua de re tam constans fuit veteris Ecclesiæ sententia, ut nihil dubitaverit divus Augustinus, quum de fine rerum ac futuro judicio quædam disputationi permitteret, quædam ab omni controversia exciperet, hoc inter alia, tanquam dogma certissimum, fidelibus universis proponere, de Civ. Dei, lib. XX, cap. 30 : « In illo « itaque judicio vel circa illud judicium has res didicimus esse ven- « turas : Eliam Thesbiten, fidem Judæorum, Antichristum persecutu- « rum, ...quæ omnia quidem ventura esse credendum est ». Sed ut de rebus ipsis minime dubitandum putavit, ita de modo earum et ordine et tempore liberam sivit esse conjecturam, ibid., loc. cit. Juvat igitur ex Sibyllinis libris inquirere, quæ primis Ecclesiæ sæculis vulgatiores fuerint de Antichristo sententiæ.

Certum est multum de hoc argumento variasse veterum opiniones, licet sanctorum Patrum gravissimus quisque ac græci præcipue Patres, Antichristum plerique non statim, sed in fine rerum exspectaverint, qui ad evertendam veram religionem, tanquam mali dæmonis extremo conatu, in terras venturus esset. Nec aliter loquuntur Justinus et Irenæus et Hippolytus. At vulgus indoctum, in Occidente præcipue, sed et in Ægypto et in Asia minore, ubi Sibyllinorum maximus proventus fuit, Antichristum jamjamque venturum exspectabant, ipsum nempe Neronem ex Parthia, ubi latere credebatur, cum exercitu rediturum, rursus Roma potiturum, justosque, maxime Judæos et Christianos, oppressurum. Eam sententiam Sibyllistæ, homines plerique de vulgo et in vulgi gratiam scribentes, unanimi fere sensu amplexi sunt, cujus rei, antequam plura prodeant plenioraque testimonia, interim pauca hæc et decurtata sufficiant :

Lib. IV, v. 135 (138), sq. :

Ἥξει καὶ Ῥώμης ὁ φυγὰς μέγα ἔγχος ἀείρων, κ. τ. λ.

Lib. V, v. 362, sqq. :

Ἥξει δ' ἐκ περάτων γαίης μητροκτόνος ἀνήρ, κ. τ. λ.

Lib. VIII, § 1, v. 153, sqq. :

Κώμαζ', εἰ βούλει σὺ, τὸν ἐγκρυφίαισι λοχείαις

Ἀσσίδος ἐκ γαίης ἐπὶ Τρωϊκὸν ἄρμ' ἐπιβάντα,
Θυμὸν ἔχοντ' αἴθωνος. Ὅταν δ' ἰσθμὸν διακόψῃ, κ. τ. λ.

Is est trium librorum, cetera diversissimorum, de ea re concentus. Porro liber quartus sub Tito vel Domitiano scriptus est; libri V et VIII, § 1, sub Antonino Pio. Constat igitur per illud omne spatium, inter ultimos primi sæculi annos et medios fere secundi, receptam apud Sibyllistas fuisse opinionem de Nerone Antichristo futuro. Nec mirum, quum eamdem ipsam diu viguisse constet etiam apud Patres ecclesiasticos, præsertim occidentales, uti mox sumus ostensuri. At unde illa persuasio? Simpliciter hoc dici non potest, quoniam non simplex est opinio, sed revera duplex : primum, Neronem esse rediturum; deinde, Neronem reducem ipsum fore Antichristum.

Prior pars opinionis jam ab exitu Neronis invaluerat apud ipsos gentiles, orta scilicet ex infimæ plebis ac deterrimi cujusque erga istum principem affectibus, de quibus conferendus Tacitus, Hist. I, § 4 et 11, sed in primis Suetonius in Neronis vita sub finem ita scribens : « Et tamen non defuerunt qui per longum tempus vernis æstivisque floribus tumulum ejus ornarent, ac modo imagines prætextatas in Rostris proferrent, modo edicta quasi viventis et brevi magno inimicorum malo reversuri. » Quod ultimum Tacitus confirmat, Hist. loc. cit. : « Plurimis eum vivere fingentibus credentibusque. » Adde Dion. Chrysost. or. XXI, p. 504, ed. Reisk. : Καὶ νῦν ἔτι πάντες ἐπιθυμοῦσι ζῆν, οἱ δὲ πολλοὶ καὶ οἴονται. Quod desiderium, ut incredibile et in malis civibus impium atque damnandum, erat tamen in vulgo excusatione dignum, quod ultimus Cæsarum, et Augustæ prolis hæres unicus, acerbissimo fato præreptus, veterem imperii traditionem secum abstulisset. Favebat vero vulgatæ spei incerta de ejus morte narratio, variis rumoribus, ut ait Tacitus, Hist. II, § 8, nec invento cadavere, ut Lactantius de Mort. pers., § 2, licet de ejus sepultura quædam satis dubia tradant Suetonius et Plutarchus. Inde orti pseudo-Nerones, quorum unus in Græciæ insulis sub Galba interceptus legitur apud Tacit. Hist. loc. cit. Alius sub Tito principe ad Euphratem exstitit, si Zonaræ fides, lib. I, p. 578, fretus, ut aiebant, Parthorum patrocinio, circa annum 80. Alius sub Domitiano circa annum 88, apud Parthos, de quo Suetonius in vita Ner. extr. Atqui ab Euphrate potissimum rediturus exspectabatur Nero, quod scilicet extra orbem Romanum apud solos Parthorum reges refugium et auxilia quærere potuisset; et quod fama satis constaret cogitasse eum in vitæ discrimine, an ad Parthos confugeret, Suet. in Ner., § 47, quo refer et ab eodem Suetonio narrata de fatis olim Neroni prædictis ac de ejus futuro in Oriente regno, ibid. § 40. Ac revera fuisse illi cum rege Vologeso aliquod

amicitiæ commercium, inde suspicari licet, quod post ejus mortem, teste Suetonio, § 57, « Vologesus Parthorum rex missis ad Senatum « legatis de instauranda societate, hoc etiam magno opere oravit, ut « Neronis memoria coleretur. » Quanquam libentius credimus, id quod jamdiu doctis visum est, ex industria Parthos reges, dividendorum hostium causa, fovisse et aluisse hunc errorem, quum nusquam pseudo-Neronis alicujus mentio fiat, quin et de Parthis adjuvantibus agatur, Tacit. Sueton. et Zonar. locis cit.

Vulgus quoque Christianorum illam fabulam, ut pote aliquid habentem in se mysterii, haud invitum accepisse, sponte quivis divinaret, nisi tot hujus rei Sibyllina testimonia superessent. Sed restat altera pars quæstionis : unde illa Neronis exspectati cum Antichristo confusio? Id quo facilius intelligamus, recurrendum est ad Pauli locum supra citatum ex epist. II ad Thessal. cap. 2, de Antichristo ante judicium venturo, et quæ ibi nobis volentibus omissa sunt, restituenda : « Non retinetis, inquit, v. 5, sqq., quod cum adhuc essem « apud vos, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat, scitis, « ut reveletur in suo tempore. Nam mysterium jam operatur iniqui« tatis : tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat, » id est, ut plerique recte interpretati sunt : Jam enim tempus accedit, quo sola in terris dominetur impietas; tumet jam et mox erumpet illud ulcus inter Dei mysteria reconditum : tantum Nero, qui nunc imperat, regnare desierit; non enim prius veniet Antichristus. Unde multi colligebant statim vel cito post Neronem erupturum esse illud monstrum; nec, ut verum fateamur, sine aliqua veri specie, quanquam id ex ipsis Pauli verbis non prorsus elucet. Unum quippe Paulus affirmat, venturum ante ultima mundi fata Antichristum, neque id ante Neronis finem fore : de tempore ipso nihil statuit, neque statuere poterat, quoniam judicii extremi diem palam in Evangeliis declaratur ne angelis quidem revelatum fuisse, Marc., cap. 13, v. 32 : « De « die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in cælo, » imo, additur, quod tamen caute accipiendum, « neque Filius, nisi Pater, » id est, ne Filius quidem Dei, nisi cum Patre et in Patre.

Istam sane Antichristi exspectationem post Neronis mortem refrixisse minime remur, tum quum præcipue, divo Paulo concedente, permissa erat; atque ideo quisquis postea Romanorum imperator Judæis aut Christianis infestus exstitit, non dubitamus a multis pro Antichristo habitum fuisse; ita ut Vespasianum in primis et Titum, Hierosolymis eversis, deinde Hadrianum, consummato ejus urbis excidio, sæpe isto Antichristi nomine, præsertim apud Christianos judaïzantes, designatos fuisse credamus.

Plurimi tamen cum illa Antichristi exspectatione diffusam apud ipsos gentiles Neronis redituri fabulam confundere malebant, eo inducti præsertim Apocalypseos loco celeberrimo, de bestia septem capita et decem cornua habente, cujus unum caput occisum renascitur, Apoc., cap. 13. Quam figuram paulo post ipse sic interpretatur angelus, ibid., cap. 17, v. 8, sqq. : « Bestia, quam vidisti, fuit « et non est [sive est jam quasi non esset], et ascensura est de abysso, et « in interitum ibit. . . Septem capita septem montes sunt, super quos « mulier [quæ prius visa fuerat] sedet; et reges septem sunt [id est, « totidem imperatores Romani]. Quinque ceciderunt [Augustus, Tibe« rius, Caius, Claudius, Nero], unus est [Galba], et alius nondum venit « [Otho], et cum venerit, oportet illum breve tempus manere. Et bestia « quæ erat et non est [Nero], et ipsa octava est, et de septem est [resur« get nempe in octavo Vespasiano, tanquam altero Nerone], et in inte« ritum vadit [nempe post ceteros interibit]. Et decem cornua, quæ vi« disti, decem reges sunt qui regnum nondum acceperunt, sed pote« statem tanquam reges una hora accipient post bestiam [decem nempe « post Vespasianum imperatores cum ipso numerati usque ad extre« mum Commodum]. . . . . Et mulier quam vidisti est civitas magna « [Roma], quæ habet regnum super reges terræ ». Quid his planius, aut quomodo unquam potuit de sancti scriptoris mente dubitari? Scimus tamen nos a vulgata sententia discedere, dum hæc omnia sub Galba imperatore visa, sub Vespasiano scripta credimus : id vero vel ex hoc loco satis patet, et pluribus argumentis demonstrabitur infra, cap. 32. Ergo fieri non potuit quin jam ab ipsa Apocalypseos origine, quum et prophetia adhuc recens esset et facta recentia, multi viderent id quod erat, et ad Neronem referrent id quod revera de ipso scriptum erat : « Et bestia quæ erat et non est, et ipsa octava est et de septem est. » Mortuum nempe illum vel pro mortuo habitum revicturum seu rediturum intelligebant, præsertim ubi locum hunc conferebant cum alio superiore, cap. 13, v. 3 : « Et vidi unum de capitibus suis quasi oc« cisum in mortem, et plaga mortis ejus curata est », ac paulo infra, v. 14 : « Ut faciant imaginem bestiæ quæ habet plagam gladii et « vixit. » Quæ omnia de Nerone scripta, ut diximus, accipienda tamen erant de Nerone simul et de Vespasiano, tanquam novo Nerone, qui bellum adversus Judæos Neronis auspiciis inceptum, suis confecturus esset. Vere octavus imperator ille fuit (omisso Vitellio, qui nec in Syria nec in Ægypto salutatus fuerat), et vere decem regum seriem magnam (Flaviorum nempe et Antoninorum) incepturus prædicitur, sicut eventu patuit. In illis autem decem regibus consistit sacer vates, et statim ad extrema mundi tempora transilit, quoniam post Antoni-

nos distractum civilibus bellis imperium fatiscere cœpit, et tanquam finito veteri mundo, sensim novus rerum ordo succedere.

Et nota quam hæc conveniant cum interpretatione nostra Pseudoprophetæ Apocalyptici, quem diximus esse Romanum imperatorem, non hunc aut illum, sed quemvis christianæ religioni aversantem, jure quippe Pseudoprophetam dictum, quod summus pontifex esset Romanæ religionis, cui per omnes gentes propagandæ unus præesset. Everso igitur Nerone, fingebant sibi Judæi et bona pars Christianorum, actum esse de imperio Romano ac de falsa religione : quibus denuo sub Vespasiano convalescentibus, videbatur aliquo modo caput illud imperii, quod occisum creditum erat, revixisse. Ita sane : sed rude vulgus, diffusis de Nerone fabulis præoccupatum, aliter intelligebat, nec figuratum Neronem, sed verum ac vivum sub Antichristi persona exspectabat.

Eam persuasionem jam a Vespasiani temporibus usque ad Antoninos et ultra perseverasse, vel ipsi Sibyllini libri variis scripti temporibus ostendunt. Nam primus occurrit liber IV, ubi palam de Neronis fuga hæc leguntur, v. 116 (119), sq. :

Καὶ τότ' ἀπ' Ἰταλίης βασιλεὺς μέγας, οἷά τε δράτης,
Φεύξετ' ἄφαντος, ἄπυστος, ὑπὲρ πόρον Εὐφρήταο,

et mox de ejusdem reditu, v. 134 (137), sqq. :

Εἰς δὲ δύσιν τότε νεῖκος ἐγειρομένου πολέμοιο
Ἥξει, καὶ Ῥώμης ὁ φυγὰς, μέγα ἔγχος ἀείρων,
Εὐφρήτην διαβὰς πολλαῖς ἅμα μυριάδεσσιν.

Veniet, inquit, Euphrate trajecto cum multis hominum millibus, et arma feret in Occidentem, id est, ut per se satis liquet, utque mox indiciis multis evincetur, in Syriam primum, deinde in Italiam. At unde tantas ille copias? Tacet vates, idque nos penitus ignoraremus, nisi liceret e supra dictis vel infra dicendis, atque ex libri quinti fide, auxilia ipsi Persarum addere, cumque iis Romanorum transfugas (confer infra notanda ad v. 137, sq.), et quas eundo vires collegisset. Sed multi veterum septemtrionales illi populos adjungebant, Gog et Magog, ex Ezechielis prophetia supra discussa, pag. 491, sq., et Apocalypseos loco, cap. 20, v. 7, alio tamen pertinente, nempe ad alium in fine rerum Antichristum. Quidam etiam reduces cum ipso ex Oriente decem tribus huc adduxere, sed falso : quoniam illas, Messia duce, non Anti-Messia, redituras, constans fuit Judæorum exspectatio.

Statim vero post Neronis reditum prædicitur in nostro libro IV, v. 137 (140), sq., Antiochiæ ruina; neque id mirum, quia necessario e Parthia venienti per Antiochiam iter fuit. Notandum tamen id quod in veteri recensione legebatur, Ἰταλῶν ὑπὸ δούρασι, quod de An-

tichristo veniente difficile capi poterat, nisi, ut supra diximus, Romanos ille transfugas multos adversus Romam ducturus esset : nunc, mutata lectione, nodus solvitur. Cypri postea calamitates adduntur, pestilentia, bellum, et terræ motus in ea insula futurus, v. 140 (142), sq. Sed quid hæc ad Antichristum? Denique raptæ a Romanis opes in Asiam reversuræ canuntur, v. 142 (145), sqq. Potest hoc ad Antichristum pertinere, Asianos secum in Romæ exitium trahentem, unde pars magna Romanarum opum rursus in Asiam transvehenda sit (et confer, lib. VIII, v. 72); sed veremur ne hæc, aliaque temere huc congesta, Antichristi rebus aliena sint, ideoque prorsus ab instituto nostro discedant, melius nunc omittenda. Nam quæ de Cariæ urbibus et Mæandri inundatione statim procedunt, v. 145 (148), sqq., nihil sane ad nostram rem.

Utique quum et Neronis reditus et illæ, quæ deinde canuntur, calamitates ultimorum temporum prænuntiæ, continuo post Vesevi incendium in carmine legantur, eæque cum ipsa de Vesevo prædictione satis arcte devinciantur his versibus, 132 (135), sqq. :

Γινώσκειν τότε μῆνιν ἐπουρανίοιο Θεοῖο,
Εὐσεβέων ὅτι φῦλον ἀναίτιον ἐξολέκουσιν.
Εἰς δὲ δύσιν τότε νεῖκος ἐγειρομένου πολέμοιο
Ἥξει, καὶ Ῥώμης ὁ φυγάς, κ. τ. λ.,

apparet quanta fuerit sub Tito vel Domitiano, tum quum hæc scribebantur, de Neronis reditu, tanquam proxime futuro, fiducia.

At eadem illa sub Antoninis permanebat, licet diu ac sæpe decepta, constans tamen ac sui tenax. Quippe exstincta Flaviorum gente, quum nihilominus integra staret respublica, filoque continuo devolverentur Romana fata sub nova principum gente, Nerva, Trajano, Hadriano, Antonino, fessa fortasse resedisset Neronis nunquam venientis exspectatio, nisi subito recruduisset allectis ab Antonino in spem imperii et, ut vulgo putabatur, in imperii consortium duobus adoptivis filiis, M. Aurelio et L. Vero : qua re impleri videbatur Danielis prophetia de tribus cornibus (confer supra pag. 491); itaque in libris Sibyllinis sub illa tempora scriptis non semel nec sine quadam affectatione recurrit trium regum mentio (τρεῖς ἄρξουσιν, VIII, 65, et V, 51), uti jam alias notavimus. Tum ergo, ut antea sub Flaviis, rursus prædici cœpit propinquus finis rerum, proximusque Neronis reditus; et hoc est quod legitur libro VIII, § 1, Antoninum seniorem raptas undique terrarum divitias apud se congesturum, quibus profusis aliquando, redeuntis ex Asia Neronis iram placet, vel sibi adversus ipsum venientem auxilia comparet, v. 70, sqq. :

Ἵν', ὅταν γ' ἐπανέλθῃ

Ἐκ περάτων γαίης ὁ φυγὰς μητροκτόνος ἐλθὼν,
Ταῦτα ἅπασι διδοὺς, πλοῦτον μέγαν Ἀσσίδι θήσει.

Illo autem revertente vel jam reverso, quid sit futurum, aperte ibi monstratur, v. 140, sqq. :

Ἥξει πορθήσων λαῶν γένος, ἄκριτα φῦλα......
Οὐκέτι νικήσεις πέδον Ῥώμης ἐριθήλου,
Ὁππόταν ἐξ Ἀσίης κρατέων ἔλθῃ σὺν Ἄρηϊ.
Ταῦτα δὲ πάντ' ἔρξας, ἥξει μετόπισθεν ἐς ἄστυ.....
Οἴμοι ἐγὼ τριτάλαινα, πότ' ὄψομαι ἦμαρ ἐκεῖνο
Σεῖό ποτε, Ῥώμη, πᾶσι δὲ μάλιστα Λατίνοις;
Κώμαζ', εἰ βούλει σὺ, τὸν ἐγκρυφίαισι λοχείαις
Ἀσσίδος ἐκ γαίης ἐπὶ Τρωϊκὸν ἅρμ' ἐπιβάντα,
Θυμὸν ἔχοντ' αἴθωνος. Ὅταν δ' ἰσθμὸν διακόψῃ, κ. τ. λ.

Rursus agnoscis eadem omnia quæ supra vidimus, Neronem in Asia latitantem velut in insidiis, irrumpentem inde et urbe Roma potientem, tum isthmo perfodiendo se rursus accingentem, perque orbem terrarum, incendii modo, debacchantem. Porro non incertum aliquod tempus, sed annus ipse prædicitur, quo Romam victor ingressurus ac rem Romanam eversurus sit, v. 148, sqq. :

Τρὶς δὲ τριηκοσίους καὶ τεσσαράκοντα καὶ ὀκτὼ
Πληρώσεις λυκάβαντας,

et cetera quæ tu vide supra, pag. 485, sq.

Exitum vero Antichristi qualem mente conceperit Noster, si quæris, unus de ea re, sed obscurissimus locus occurrit, v. 157, sqq. :

Καὶ τότε θῆρα μέγαν μετελεύσεται αἷμα κελαινόν·
Τὸν δὲ λέοντ' ἐδίωξε κύων ὀλέκοντα νομῆας.
Σκῆπτρα δ' ἀφαιρήσουσι, καὶ εἰς ἀΐδαο περήσει.

Quæ nos quidem interpretamur de Antichristo Messiæ armis superando sceptrisque privando, unde sequitur paulo infra, v. 169, sqq. :

Καὶ τότε ἁγνὸς ἄναξ πάσης γῆς σκῆπτρα κρατήσει,

ceteraque supra jam exposita, cap. 9.

Hæc erat, Antonino Pio vivente, Christianorum exspectatio aut certe Judæo-Christianorum. Nullus autem expressior neque disertior de hoc toto argumento testis est quam liber quintus, scriptus ille quoque sub eadem tempora, necdum vita defuncto Antonino; judaïcus ille quidem, non tamen a christiana traditione prorsus alienus, uti pluribus demonstratum est in Excursu V; Apocalypseos præsertim et librorum Sibyllinorum III et IV frequentem prodens imitationem, solitusque e nostra fide atque e nostris libris ea præsertim retinere quæ ad suam de Judææ fatis exspectationem, præsertim ad suum adversus Romanos odium accommodari possent. Is primum cum libro

quarto plane consentit de Neronis in Parthiam fuga ac de futuro ejus reditu; quo nec semel, nec bis, sed sæpius animum intendit, et quidem statim jam ab initio, v. 33, sq.:

Ἀλλ' ἔσται καὶ ἄϊστος ὁ λοίγιος· εἶτ' ἀνακάμψει,
Ἰσάζων Θεῷ αὐτόν, κ. τ. λ.

Deinde eadem pluribus exponit, ac de ejus quidem e Babylone, id est, Roma discessu, deque latebris apud Persas quæsitis, v. 142, sqq.:

Φεύξεται ἐκ Βαβυλῶνος ἄναξ φοβερὸς καὶ ἀναιδής...
Ἥξει δ' εἰς Μήδους καὶ Περσῶν πρὸς βασιλῆας,
Πρώτους οὓς ἐπόθησε...

Ibi latens ille cum Persis insidias moliri dicitur adversus gentem invisam, id est, adversus Romanos, v. 148:

Φωλεύων μετὰ τῶνδε κακῶν εἰς ἔθνος ἀηδές.

Hactenus omnia ut libro IV et VIII. Differt autem a libro IV hic liber et magis accedit ad VIII, quod libro IV ista sub Tito vel Domitiano futura prædicebantur; nunc sub Antoninis Hadriani posteris, prorsus ut libro VIII: et hoc apertissime definitur, v. 49, sqq., ubi sic compellatur Hadrianus:

Καὶ ἐπὶ σοί, πανάριστε, πανέξοχε, κυανοχαῖτα,
Καὶ ἐπὶ σοῖσι κλάδοισι τάδ' ἔσσεται ἤματα πάντα·
Τρεῖς ἄρξουσιν...

Ergo ultimos mundi dies sub illis tribus exspectabat poeta, neque antequam tertius eorum regnare cœpisset, L. Verus, procul dubio, quem, ut juniorem, M. Aurelio superfore sibi fingebat:

Τρεῖς ἄρξουσιν· ὁ δὲ τρίτατος σφῶν ὀψὲ κρατήσει.

Illis igitur imperium tenentibus, si Nostro fides, redibit ex Asia Nero, paratus Antichristi vices sustinere; cumque trajecto Euphrate Asiam minorem perdomiturum, tacente licet auctore, certo conjicere possumus. Id quoque libro IV observaveramus (confer supra, pag. 498, sq.), et de Asia rem ipsam ita suadere notaveramus. Statim vero poeta, ut pote Ægyptius, Neronem in Ægyptum adducit, immaniter ibi debacchaturum, v. 93, sqq.:

Καὶ σὴν πᾶσαν ὀλεῖ γαῖαν ἄνθρωπος κακότεχνος,
Αἵματι καὶ νεκύεσσι παρ' ἐκπάγλοισί τε βωμοῖς,
Βαρβαρόφρων, σθεναρὸς, πολυδείματος, ἄφρονα λυσσῶν,
Παμπληθεὶ ψαμαθηδὸν ἀπαίξων σὸν ὄλεθρον.

Et statim, tanquam ne quis parum intellexerit, v. 100, sqq.:

Αὐτὸς δ' ὃς Περσῶν λάχεν, Αἴγυπτον πτολεμίξει,
Κτείνας ἄνδρα ἕκαστον, ὅλον βίον ἐξαλαπάξει,
Ὥστε μένειν μοῖραν τριτάτην δειλοῖσι βροτοῖσι.

Hæc in Ægypto. Sed statim idem qui modo a Persis venerat, αὐτὸς

δ' ὃς Περσῶν λάχεν, rursus ab Occidente arcessitur orbem universum expugnaturus vastaturusque, v. 103, sq.:

Αὐτὸς δ' ἐκ δυσμῶν εἰσπτήσεται ἅλματι κούφῳ,
Σύμπασαν γαῖαν πολιορκῶν, πᾶσαν ἐρημῶν.

Porro illud ἐκ δυσμῶν (sicut Θυγατέρες δυσμῶν, lib. III, v. 324), vix intelligi potest nisi de Roma sive Italia, qua potitus Antichristus, rursus in Asiam, et fortasse in Judæam, ceterasque Orientis plagas nondum perdomitas transiturus est. Roma enim jam a primo accessu potiturum illum, etsi hoc loco non dicitur, tamen infra dicetur, v. 366:

Ἧς χάριν ὤλετό τ' αὐτὸς, ἑλεῖ ταύτην παραχρῆμα,

ubi notandus ordo rerum quomodo deducatur, v. 362, sqq.:

Ἥξει δ' ἐκ περάτων γαίης μητροκτόνος ἀνήρ,
. . . .
Ὃς πᾶσαν γαῖαν καθελεῖ, καὶ πάντα κρατήσει,
. . . .
Ἧς χάριν ὤλετό τ' αὐτὸς, ἑλεῖ ταύτην παραχρῆμα.

Hoc ergo ultimum hemistichium nihil aliud sibi vult, nisi Romam a Nerone captum iri, cujus invidia perierat, sicut nos olim notaveramus ad h. l. Atque ibi multa sæva patrabit homo dirus, et plura quam quisquam ante ipsum; addit enim poeta, v. 367, sqq.:

Ἄνδρας τ' ἐξολέσει πολλοὺς, μεγάλους τε τυράννους,
Πάντας τ' ἐμπρήσει, ὡς δήποτε ἄλλος ἐποίει,

nisi melius cum Bleekio legas ἄλλοτ' ἐποίει, ut easdem cædes, quas olim, quum primum regnaret, commissurus iterum prædicatur, iterumque Romam flammis daturus, πάντας τ' ἐμπρήσει.

Sed quid interim Antonini? Credas ipsos quoque interfectos, quum additos legas occisorum numero magnos quosdam principes, μεγάλους τε τυράννους. Atque hanc suspicionem confirmat locus alius, etsi per se obscurus, ejusdem libri de eodem Antichristo, v. 221, sqq.:

Πρῶτα μὲν ἐκ τρισσῶν κεφαλῶν σὺν πληγάδι ῥίζας
Σπασσάμενος μεγάλως, ἑτέροις δώσειε πάσασθαι,
Ὥστε φαγεῖν σάρκας γονέων βασιλῆας ἀνάγνους.

Quamvis enim quædam in textu incerta sint et fortasse corrupta, nobis tamen dubium non est quin τρισσὰς κεφαλάς tres Antoninos vocet, patrem et filios adoptivos; eosque fingat ab Antichristo in mutuas cædes compulsos alternis ictibus perituros, qua de re plura nos infra. Sed tamen unum ex iis superesse necesse erit, sicut supra dictum fuerat, v. 51:

Ὁ δὲ τρίτατος σφῶν ὀψὲ κρατήσει,

isque dum Antichristo resistere quærit, in Græciam et Macedoniam,

ut olim Pompeius, bellum civile translaturus canitur, quantum colligimus ex ipso supra citato loco, v. 372, sqq. :

Τῆς τε Μακηδονίης στάξει χόλος ἐν πεδίοισι
Συμμαχίην τῷ γ' ἐκ δυσμῶν, βασιλεῦσι δ' ὄλεθρον,

unde patet, prælio in Macedonia commisso, victorem fore Antichristum, quem hic designari certum est his verbis τῷ γ' ἐκ δυσμῶν, sicut supra, v. 103, αὐτὸς δ' ἐκ δυσμῶν : additurque ultimum tunc fore victis exitium, βασιλεῦσι vel βασιλῆϊ δ' ὄλεθρον, sive novam lectionem sequaris βασιλεῦσι, de omnibus Antoninis, sive veterem βασιλῆϊ, de uno eorum superstite.

Ad istud vero in Græcia bellum pertinere putamus illam supra Corinthi complorationem, v. 213, sqq. :

Μύρου καὶ σὺ, Κόρινθε, κ. τ. λ.

Ibi enim docemur a Nerone Antichristo redeunte Corinthiorum agrum vastatum iri, v. 218 :

Καὶ σὴν γαῖαν ὀλεῖ, καὶ κόψει, ὡς προτέθειται,

ulciscente nempe crudelissimo viro frustra olim a se tentatum Isthmi perfodiendi laborem, v. 216, sq. :

Ἕως ἐσίδωσί τε πάντες
Τὸν πάλαι ἐκκόψαντα πέτρην πολυήλατι χαλκῷ.

Postea minime dubium est, etsi multa prætermittantur a poeta, regnaturum in orbe universo Antichristum, sævitiæque et sceleribus effusurum habenas, quod sequentia videntur indicare, v. 224, sqq. :

Πᾶσι γὰρ ἀνθρώποισι φόνος καὶ δείματα κεῖται, κ. τ. λ.,

atque illuc etiam redit citatus supra versus :

Σύμπασαν γαῖαν πολιορκῶν, πᾶσαν ἐρημῶν.

Sed ante illius immanis monstri tyrannidem quædam videtur rerum conversio in terris, saltem in Judæa, fuisse. Nam vix potitus regno Antichristus dicitur statim adversus sanctorum urbem arma moturus, v. 105, sq. :

Ἀλλ' ὅταν ὕψος ἔχῃ κρατερὸν καὶ τάρβος ἀηδὴς,
Ἥξει δ' αὖ μακάρων ἐθέλων πόλιν ἐξαλαπάξαι.

Quamnam illam urbem, nisi ipsa Hierosolyma? Et unde illa gens, nisi Judæorum gentem intelligas in patrio solo restitutam? Videtur ergo poeta gentem novam intellexisse Judæorum, seu partim e Judæis, partim e proselytis, partim etiam, nisi fallimur, e Christianis judaïzantibus conflatam, quæ Messiæ ductu vel auspiciis in ipsa sua antiqua dilectaque patria novum regnum condiderit, ad quam expugnandam nunc adducitur Antichristus. Et jam diximus vel hoc uno argumento satis refelli qui istum decem tribubus ex Oriente redeuntibus ducem præfecerunt; vel qui ipsum Judæis amicissimum

finxerunt, ut Hippolytus sive pseudo-Hippolytus de Antichr., p. 33, ed. pr. : Τὸ τῶν Ἑβραίων γένος ἀγαπηθήσεται ὑπὲρ παντὸς ὑπ' αὐτοῦ τοῦ τυράννου, ubi et additur Hierosolymitanum templum ab Antichristo rursus excitatum Judæisque redditum iri; falsa omnia et a vulgata, primis saltem Ecclesiæ sæculis, opinione prorsus aliena, quum potius, uno judaïzantium consensu, Messiæ ipsi tribueretur munus hoc reparandæ ac restituendæ sanctæ gentis : confer supra, cap. 8.

Quid vero tum justi ab impio tyranno oppugnati? Quid nisi muris, quantum valebunt, defendere se conabuntur? Cessuri tamen majoribus, uti videtur, viribus, nisi divinum affuerit auxilium. Hic vero rex potens a Deo missus apparet (Messias nempe), qui insignem de Antichristo ejusque sociis victoriam referat, lib. V, v. 107, sq. :

Κἀκεῖ τις θεόθεν σθεναρὸς βασιλεὺς ἐκπεμφθεὶς
Πάντας ὀλεῖ βασιλεῖς μεγάλους καὶ ἄνδρας ἀρίστους.

Attende modo : vides inter socios Antichristi reges quosdam et principes numerari, quemadmodum inter hostes Messiæ in psalmo 2, v. 2 : « Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus « Dominum et adversus Christum ejus. » Ita ad consarcinandam Antichristi historiam lacinias e sacris libris undique deripi necesse fuit. Nec plura ibi de Antichristo : socii tantum ejus, reges et principes, communi exitio traditi monstrantur (simul cum ipso, nisi fallimur), cumque iis prostratum tanquam una clade deletumque hominum genus (impiorum videlicet), v. 109 :

Εἶθ' οὕτω τέλος ἔσσεται ἄφθιτον ἀνθρώποισιν,

sive metri causa legere malis :

Εἶθ' οὕτως ἔσται τέλος ἄφθιτον ἀνθρώποισιν,

seu rectius fortasse cum Lactantio :

Εἶθ' οὕτω κρίσις ἔσται ὑπ' Ἀφθίτου ἀνθρώποισιν.

Finis nempe tum fiet hodierni rerum status, simulque judicium æterni Dei supra homines, prorsus quemadmodum in Apocalypsi, post inclusam abysso bestiam cum sociis suis, cap. 19, v. 20, statim proceditur ad judicium Dei extremum, cap. 20, v. 4, sqq.

Hæc est de Antichristo doctrina libri V, quam locis nonnullis interpretrari videtur liber III, § 3, seu pars media libro tertio interpolata, uti diximus, ab ipso libri quinti scriptore. Non aliter enim quam de Antichristo capimus hunc versum, III, 470 :

Ἄλλος ἀπ' Ἰταλίης λυμήτης ἵξεται ἀνήρ,

et in alio, sed perobscuro loco, si sana est interpretatio nostra, qua melior nulla succurrit, unam e decem Antoninis superstitem radicem falce demetit Antichristus, v. 396, sqq. :

Ῥίζαν ἴαν γε. . . ἣν καὶ κόψει Βροτολοιγὸς

'Εκ δέκα δὴ κεράτων,

et ipse, tanquam novus aliquis surculus, veteri stirpi succedit:

Παρὰ δὲ φυτὸν ἄλλο φυτεύσει,

vel ut paulo infra canitur:

Καὶ τότε δὴ παραφυόμενον κέρας ἄρξει.

Quæ omnia ad Antichristum Neronem et ad Antoninos eo redeunte perituros, oblique pertinere, quum abunde monstraverimus in Excursu V, cap. 8, neque jam lectoribus nostris dubia esse possit vulgata sub Antoninis de ea re persuasio, relicta nunc illa controversia, malumus ad libros recentiores novamque de Antichristo doctrinam, superato dimidii fere sæculi intervallo, transilire.

Exstincta Antoninorum familia, quum aperte jam liqueret, nec sub decem post Vespasianum imperatoribus, nec sub quintodecimo rege Romano, nec sub tribus Antoninis finem fuisse Romani imperii, cœpit necessario Sibyllina convelli fides, quam ideo sensim sensimque defecisse, non apud doctos tantum, sed et apud vulgus ignarum sæpe magis quam ineptum, verisimile est. Tum insuper a Neronis exitu tantum temporis effluxerat, ut de ejus reditu minus in dies minusque cogitari posset, quum ipse, si viveret, numeraturus esset annos fere CXL. Quare apud Græcos præsertim (nam Latini magis, ut infra dicemus, illi hamo inhæserant) non multum sæculo II superfuit ejus exspectatio, nisi forte apud obstinatos quosdam Sibyllarum amatores et, quod notandum, Sibyllistis ipsis pertinaciores. Nam ipsi Sibyllistæ, qui sæculo III scripserunt, aliam de Antichristo doctrinam amplexi videntur; nec jam de Nerone sub Antoninis redituro quidquam vaticinantur; sed quoniam Danielis et divorum Pauli ac Joannis prophetias abnuere non poterant, alium sibi fingunt Antichristum, eumdem quem jam diximus ad veteris Synagogæ traditionem magis accedere: virum nempe quemdam ignotum, portentosum, immanem, sævum, malo dæmoni similem, et a dæmone, ut videtur, ipso suscitatum, non jam Neronem, sed Belial vocatum, non Romanum ex Augustorum familia, sed Hebræum Samaritanum ex tribu Dan, qui multa in terris prodigia, falsa quidem et fallacia, editurus esset; idque, uti verum fateamur, melius cum prædictione convenit divi Pauli ita scribentis, ad Thess. II, loc. cit.: « Et tunc revelabi« tur ille iniquus... cujus est adventus secundum operationem Satanæ, « in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus, et in omni sedu« ctione iniquitatis iis qui pereunt ».

Nomen istius viri hebraïcum est, quod supra diximus, *Belial*, ita scriptum ut *aïn* pænultimum legatur: græce vero Βελίαρ; ea forma constans in V. et N. T. legitur, a Græcis nempe adulterata, quia

nullum in λ nomen terminare solebant. In Sibyllinis etiam codicibus sæpius Βελίαρ dicitur, aut etiam ionice Βελίηρ, sed id uno loco, et dubio, lib. III, v. 73; in aliis passim Βελίας, magis attice, ut Ἀννίβας, Ἀσδρούβας, græca vocabula e barbaris facta. Latini, quum a nominibus in *l* terminatis minus quam Græci abhorrerent, hebraicam formam retinuerunt, *Belial*. Nec vacat hujus nominis omnes etymologias referre, quas præsertim repetas licet e Gallæo ad lib. II, v. 167, quum una ceteris omnibus præstet, quam dat Hieronymus de nominibus Hebraicis, et in epist. ad Ephes., lib. II, cap. 4, tanquam e duabus vocibus *Beli-ól*, id est, sine jugo.

Utique in veteris Testamenti libris Belial est *improbus, iniquus*, sive *improbitas, iniquitas, impietas*, sæpius in compositis dicendi formulis *vir Belial*, *filius Belial*, de homine nequam et scelerato; rarius absolute, ut apud Nahum prophetam, cap I, v. 15 : « Quia non adjiciet ultra ut pertranseat in te Belial », id est, iniquitas, seu potius dæmon aut genius quidam iniquitatis. Sic quidem in N. T., nomen istud usurpatum reperitur a divo Paulo, ad Cor. II, cap. 6, v. 15 : « Quæ autem conventio Christi ad Belial? » quo loco diabolum intelligi vix dubium est : quidam vero Antichristum putaverunt, ac vix dubitamus tertio post Christum sæculo prævaluisse hanc sententiam, qua videmus præoccupatum fuisse Sibyllistam librorum I, II, III, § 1, cujus nunc doctrina discutienda est.

Bis ille de Antichristo scripsit, semel quidem libro II, v. 167, sq., ubi pauculis verbis hæc tantum habet :

> Καὶ Βελίαρ θ' ἥξει, καὶ σήματα πολλὰ ποιήσει
> Ἀνθρώποις.

Iterum libro III, ubi longe copiosior est, v. 63, sqq. :

> Ἐκ δὲ Σεβαστηνῶν ἥξει Βελίαρ μετόπισθεν,
> Καὶ στήσει ὀρέων ὕψος, στήσει δὲ θάλασσαν,
> Καὶ νέκυας στήσει, καὶ σήματα πολλὰ ποιήσει
> Ἀνθρώποις· ἀλλ' οὐχὶ τελεσφόρα ἔσσετ' ἐν αὐτῷ,
> Ἀλλὰ πλάνα· καὶ δὴ μέροπας πολλούς τε πλανήσει,
> Πιστούς τ' ἐκλεκτούς θ' Ἑβραίους, ἀνόμους τε καὶ ἄλλους
> Ἀνέρας, οἵτινες οὔπω Θεοῦ λόγον εἰσήκουσαν...

Quanquam duos istos locos olim monstravimus unum atque eumdem esse, primitus quippe libro secundo totum insertum, unde relicto post se uno versu, in librum tertium transiit : cfr. Exc. V, cap. 12. Solum igitur posterius fragmentum ad partes vocandum est : atque in eo totam licebit invenire, quam finximus, Antichristi Belial imaginem.

Oritur ille impius ἐκ Σεβαστηνῶν, quod nos olim male vertebamus « Augustorum de semine », quum ad Antichristum Neronem respice-

remus : est autem, uti rectius in curis posterioribus monuimus, Σεβαστή novum Samariæ nomen a Romanis impositum ; et Σεβαστηνοί ejus urbis cives sunt, auctore Stephano Byzantio ; et Antichristus e Samaria ortus dicitur, quia et invisa semper Judæis illa urbs, et defectionis a vero Dei cultu caput olim præcipuum, et sita licet in tribu Manasse, diu tamen metropolis habita tribuum omnium dissidentium. Ex earum autem numero fuit Dan, futura Antichristi patria secundum Judæos, sic Geneseos locum interpretantes (confer supra, p. 491), ita ut hodieque filium Dan vocent, hebraïce *ben-Dan*, hominem quemlibet nequam et sceleratum, teste Pomario in Lex. Idem de Antichristi patria sensisse sanctos plerosque Patres, testis est Malvenda de Antichr., Irenæum citans et Hippolytum et Theodoretum et alios complures, et præ omnibus ipsum divi Joannis silentium, Apocal. cap. 7, v. 5, sqq., ubi omnes tribus hac una excepta numerantur.

Nunc vero impostoris hujus miracula, quæ libri III loco allato recensentur, montes complanati, mare compressum, mortui sepulcris excitati, aliaque, nonne aperte respiciunt ad divi Pauli locum supra dictum, præsertim quum statim addatur :

Ἀλλ' οὐχὶ τελεσφόρα ἔσσετ' ἐν αὐτῷ,
Ἀλλὰ πλάνα ,

quod ipsum Paulo est, « signis et prodigiis mendacibus. » Illud vero :

Καὶ δὴ μέροπας πολλούς τε πλανήσει
Πιστούς τ' ἐκλεκτούς θ' Ἑβραίους ,

ejusdem est Pauli statim addentis : « Et in omni seductione iniquitatis « iis qui pereunt », non tamen sine respectu ad Matthæi locos, cap. 24, v. 5 : « Multi enim venient in nomine meo dicentes : Ego sum Christus, « et multos seducent » ; et infra, v. 24 : « Surgent enim pseudochristi « et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna, et prodigia, ita ut in « errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi » ; quod græce est, ὥστε πλανῆσαι, εἰ δυνατὸν, καὶ τοὺς ἐκλεκτούς, unde huc adductos putes a Sibyllista πιστούς τ' ἐκλεκτούς θ' Ἑβραίους. Nemo fere est sanctorum Patrum qui non ad illa falsa prodigia respexerit, et jam aliquid de iis tradentem citavimus Hippolytum in Exc. IV, pag. 269.

Hic vero Belial Antichristus, multum a Nerone diversus, nec Romanis bellum videtur illaturus, nec Romam capturus, nec rursus ab Occidente grassaturus in Asiam, ut de Nerone Antichristi partes gerente prædictum est supra, libris V et VIII, § 1. Nam libro II, v. 167, Belial in terras inducitur post christianæ religionis stabilitum, ut diximus, regnum, quod imperio Romano successurum, eversa quippe et flammis absumpta Roma, canebatur supra, v. 17, sqq. :

Εἰδώλων ζῆλον θραύσει, λαόν τε τινάξει

Ῥώμης ἑπταλόφοιο, μέγας δέ τε πλοῦτος ὀλεῖται
Δαιόμενος πυρὶ πολλῷ, κ. τ. λ.

Serius igitur, regnante in terris sancta religione, dum Christiani rerum compotes virtutibus exercendis indulgebunt, v. 42, sqq., venturus prædicitur iste Belial sub ætatis felicissimæ finem quæ promissa fuerat a Sibyllista, v. 29, sqq. Unde quum de impio illo canitur infra, lib. III, v. 68, sq. :

Πολλούς τε πλανήσει
Πιστούς τ' ἐκλεκτούς θ' Ἑβραίους,

Christianos intelligimus, plerosque e judaïsmo ad nostra sacra conversos, quos iste rursus artibus suis ad falsam et improbam religionem traduxerit. An ad gentilem? non credimus : nam id de Nerone quidem exspectari poterat, quum sub Antichristi persona redux caneretur, lib. IV, VIII, § 1, V. Nunc vero Belial, homo Samaritanus, ex Semitica gente, potius videtur judaïcos ritus aut judaïcis similes illaturus. Id sane Cerinthus hæresiarcha ejusque asseclæ de Messia suo sperabant, Euseb. Hist. III, cap. 28, et Epiphan. Hæres. 28. Et fuit illud tempus quum Christiani cœperant, rupto velut fœdere, Judæis adversantes, Messiam illorum confundere cum Antichristo suo, quem ideo Judæis amicissimum fingit Hippolytus de Consum. mundi. Porro ipsum Hierosolymis regnaturum conjici potest ex Apocalypsi, cap. 11, v. 8; et quum a divo Paulo dicitur ita se superbia elaturus, « ut in « templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus », ad Thessal. II, loc. sæpe cit., videtur nobis templum Hierosolymitanum sive allegorice religionem judaïcam ruinis suis excitaturus, ibique se tanquam Deum aut Deo æqualem mortalibus adorandum propositurus : mirum quam facile horum pleraque, si quis propheticas figuras latius interpretari velit, in Mahumetem cadere possint!

Nunc quamdiu regnaturus sit iste Belial aut quam crudeliter adversus justos sæviturus, e libris II et III non discimus, quia fortasse quædam interciderunt, dum fragmentum de Antichristo e secundo libro in tertium transfertur. Utilius ista quæras ex Apocalypsi, cap. 13, v. 11, sqq.; cap. 19, v. 19, sqq.; cap. 20, v. 1, sqq.

Nec tamen dubitamus de temporis mensura tyranno isti concessa Sibyllistam nostrum, si interrogaretur, responsurum fuisse, tres annos et unum dimidium. Hæc enim fuit vulgata semper apud Christianos opinio, nempe ex Apocal. cap. 12, v. 14, ubi mulieri profugæ, id est, Ecclesiæ laboranti, tempus exsilii et patientiæ definitur hoc modo : « Et datæ sunt mulieri alæ duæ,... ut volaret in desertum in lo« cum suum, ubi alitur per tempus et tempora et dimidium temporis « a facie serpentis », græce, καιρὸν καὶ καιροὺς καὶ ἥμισυ καιροῦ : illos

autem καιρούς plerique annos intelligunt, ut apud neo-Græcos χρόνους. Et sic revera paulo ante dictum erat, cap. 12, v. 6 : « Ut ibi pascant « eam diebus mille ducentis sexaginta », id est, mensibus XLII. Ac nota Danielem quoque prophetam in re diversa eosdem fere statuisse numeros, quum tempus profanationis locorum sanctorum sub Antiocho futuræ diebus includeret « mille ducentis nonaginta », cap. 12, v. 11 ; tempus autem judaïcæ sub impio rege servitutis « diebus trecentis tri- « ginta quinque », ibid., v. 12 : qui ambo numeri multum accedunt ad tres annos et dimidium. Supra autem diximus Judæis et Christianis Antiochum fuisse Antichristi figuram. Hinc apud omnes Ecclesiæ scriptores recurrit ubique de Antichristo solemnis ille numerus annorum trium et dimidii, sive anni veri intelligantur, ut plerumque antiquioribus placuit, sive sæcula, ut recentioribus, qui in media sæculorum hebdomade venturum illum impium, ultimamque mundi hebdomada impleturum cogitaverunt.

Atqui fatalis ille numerus, licet libris II et III, ubi maxime locus erat, nusquam aperte definitus occurrat, tamen in aliis Sibyllinorum partibus oblique significari nobis videtur, ut libro V, v. 154, sq. :

Ἀλλ' ὅταν ἐκ τετράτου ἔτεος λάμψῃ μέγας ἀστὴρ,
Ὃς πᾶσαν γαῖαν καθελεῖ μόνος, κ. τ. λ.

ubi quosdam legere notavimus ἐκ ταχτοῦ ἔτεος, stato anno, sed male; nam præstat intelligere, sicut in Apocalypsi supra, quarti anni partem mediam. Et in hac quidem prophetia anni proprio sensu intelliguntur, id est, singuli duodenorum mensium; nec mirum quum Antichristi Neronis adventus in annos usque et menses et dies exspectaretur. Serius autem, quum ista deferbuisset exspectatio, quumque sacra de Antichristo vaticinia figurato et lato sensu capienda esse jam inter omnes paulo acutiores constaret, cœperunt plerique (nisi fallimur) annos illos pro annorum periodis quibusdam seu sæculis accipere. Inde libro VII diversam omnino supputationem temporum ultimorum reperias, v. 139, sq. :

Ἐν δὲ τρίτῳ κλήρῳ περιτελλομένων ἐνιαυτῶν,
Ὀγδοάτης πρώτης, ἄλλος πάλι κόσμος ὁρᾶται.

Sistendum hic, et quærendum quomodo difficilem hunc locum interpretari oporteat. Jam enim ultro confessi sumus diu nos de vera sententia hæsitasse : quippe qui, in notis ad h. l., annum a Christo 178 timide suspicabamur; in curis autem posterioribus annum 241. Nunc vero, aliquandiu perpensa re, longe aliter accipiendus nobis videtur hic locus. Tria enim sæcula numeranda sunt, ἐν δὲ τρίτῳ κλήρῳ, etsi fortasse minus recte τρίτος κλῆρος hic dicitur, qui supra, lib. V, τέτρατος; sed antiquos in periodis annorum supputandis morem

non semper optimum sequi, notaverunt jam ante nos viri docti, ut quum spatium quadrienne olympiadum nunc τετραετηρίς, nunc πενταετηρίς vocatur. Octava autem prima, ὀγδοάτη πρώτη, non decuria, ut olim credebamus, sed hebdomas annorum intelligenda est octava incipiens, id est, octavæ hebdomadis annus primus, sive omnino annus quinquagesimus. Ita annos habemus CCCL, id est, tria sæcula et dimidium. Quorum initium unde ducatur, parvi refert; credimus autem etiam nunc, sicut olim in cur. post. ad h. l., numerandos illos ab æra potissimum ægyptiaca, ita ut illi CCCL anni incidant in annum a Christo 320, urbis conditæ MLXXIII, in quem videtur Noster distulisse finem rerum, caute quidem, quo sibi impune mentiendi spatium amplius reservaret.

Sed de re ambigua et difficili satis sit dictum, et nunc ab eadem Sibylla quæramus, quem finem iste Belial habiturus sit. Hic vero disertius offert se testimonium libri III, v. 71, sqq. :

Ἀλλ' ὁπόταν μεγάλοιο Θεοῦ πελάσωσιν ἀπειλαὶ,
Καὶ δύναμις φλογέουσα δι' οἴδματος εἰς γαῖαν ἥξει,
Καὶ Βελίαρ φλέξει, καὶ ὑπερφιάλους ἀνθρώπους
Πάντας, ὅσοι τούτῳ πίστιν ἐνεποιήσαντο.

Accensa igitur a Deo flamma, cum sociis ipse suis conflagraturus est, non prorsus ut apud Paulum loc. supra cit. : « Quem dominus « Jesus interficiet spiritu oris sui », neque ut apud Isaïam Apostolo prævium : « Spiritu labiorum suorum interficiet impium » (cfr. supra, p. 491); sed propius ad Apocalypseos mentem ita habentis, cap. 20, v. 9, sq. : « Et descendit ignis a Deo de cælo, et devoravit eos; et diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, « ubi et bestia [nempe Roma, seu tota gens Romana] et pseudo-« propheta [Antichristus] cruciabuntur die ac nocte, etc. ».

Hæc est de Antichristo doctrina librorum II et III, quam ab initio tertii sæculi solam apud Græcos regnasse conjicimus, etsi nonnunquam Chrysostomus aliique ad alteram de Nerone respexerunt, sed obiter et diffidenter, tanquam ad vulgarem fabulam; eamque Græcorum ultimus, ut opinamur, diserte amplexus est Anonymus in Crameri Catena Coisl. ad Apocal. XVII, 9 : Οὐ γὰρ ἐξ ἄλλου ἔθνους, ἀλλὰ Ῥωμαίων βασιλεὺς ἐπὶ ἀπωλείᾳ τῶν αὐτῷ πειθομένων ἐλεύσεται.

Apud Latinos vero Lactantius, Sibyllinorum assiduus lector et admirator, tertio adhuc sæculo desinente, inter utramque doctrinam medius stabat; quumque nec priorem deserere vellet, nec recentiori contradicere, utramque sic conciliare conatus est, ut duos quasi Antichristos agnosceret : unum, quem minime nominat, a septentrione venturum et decem gentium reges interfecturum, Div. Inst.,

lib. VII, cap. 16 (Neronem intellige, licet ibi nullo nomine designatum); alterum, ex Syria (nempe ex tribu Dan), quem impium vocat (id est, Belial), eumdemque Antichristum, quem ante judicium supremum cum Christo et angelis ejus dimicaturum sibi fingit, Div. Inst., lib. VII, cap. 19.

Quæ tamen apud ipsum non carent difficultate, primum, quia priorem Antichristum ex septentrione adducit, respiciens videlicet ad Gog et Magog, Scythicas gentes cum illo venturas (Apocal., cap. 20, v. 7), quum Parthos potius aut orientales populos quivis hic exspectasset; nisi quod Parthia in septentrionem quoque et ad Scythiam usque protenditur, unde finge tibi exercitus adduci per Armeniam trans Euphratem, ut ipsa Apocalypsis innuit, Euphrate siccato « ut præpa« raretur via regibus ab ortu Solis (ibid., cap. 16, v. 12) ». Obstat vero magis quod in alio opere Lactantius eos qui Neronem profugum e Parthia exspectant, dementiæ reos facere videtur, ita scribens, de Mort. Persec., cap. 2 : « Unde illum [Neronem] quidam deliri cre« dunt esse translatum ac vivum reservatum, Sibylla dicente, Matri« cidam profugum a finibus esse venturum, ut quia primus persecutus « est, idem etiam novissimus persequatur, et Antichristi præcedat ad« ventum. [Itaque si] fas est credere, sicut duos prophetas vivos esse « translatos in ultima tempora atque initium Christi sanctum ac sem« piternum, quum descendere cœperit, quod Sibyllæ futurum prænun« tiant, eodem modo etiam Neronem venturum putant, ut præcursor « diaboli ac prævius sit venientis ad vastationem terræ et humani ge« neris eversionem ». Hæcomnia de Nerone fatemur Lactantium non suo nomine proponere, sed aliorum quos etiam *deliros* vocat : quare ipsum sui puduisse credas, relictis quæ prius de Nerone redituro cum Sibyllistis somniaverat. Vides tamen non omnino illum resipuisse, imo fidem suam, timidius licet, adhuc prodere : « Si fas est, inquit, cre« dere », et Sibylla teste adhuc profiteri « Matricidam profugum, etc. (Sibyll. V, v. 362) ». Itaque non possumus quin vocem *deliri* serius interpolatam esse credamus ab aliquo Lactantii lectore, non probante istas de duplici Antichristo fabulas. Ceterum ipsas certum est latius in vulgus manasse, ibique sanctos fautores invenisse : siquidem uno posterior sæculo divus Martinus, apud Sulp. Sev., dial. II, § 16, discipulis suis de fine rerum interrogantibus, ita, si Sulpicio fides, edisserebat : « Neronem et Antichristum prius esse venturos. Nero« nem in occidentali plaga regibus subactis decem imperaturum; « persecutionem autem ab eo hactenus exercendam, ut idola gentium « coli cogat. Ab Antichristo vero orientale imperium esse capiendum; « qui quidem sedem et caput regni Hierosolymam esset habiturus;

« ab illo urbem et templum esse reparandum. Illius eam persecutio-
« nem futuram esse, ut Christum Dominum cogat negari, se potius « Christum esse confirmans, omnesque secundum legem circumcidi « jubeat. Et ipsum denique Neronem ab Antichristo esse perimendum: « atque sub illius potestate universum orbem, cunctasque gentes esse « redigendas, donec adventu Christi impius opprimatur. Non esse « autem dubium, quin Antichristus malo spiritu conceptus esset, « etiam in annis puerilibus constitutus, ætate legitima sumpturus im-« perium. » Ex his videre est quam incerta de his rebus fluctuaverit sanctorum virorum opinio; Martinum tamen a Lactantio non multum discedere. Sed vulgata magis etiamtum sententia unus Antichristus exspectabatur, et quidem apud plurimos Nero potius quam Belial. Nam auditor ipse Martini Sulpicius id testatur, Sacr. Hist., lib. II, § 40 : « Siquidem opinione multorum receptum sit, ipsum « [Neronem] Antichristum venturum », ibidemque, § 42 : « Unde cre-« ditur, etiamsi se gladio transfixerit, curato vulnere ejus servatus, « secundum quod de eo scriptum est : Et plaga mortis ejus curata est « [Apocal., cap. 13, v. 3], sub sæculi fine mittendus, ut mysterium « iniquitatis exerceat [Paul. ad Thessal. II, cap. 2, v. 7] ». Nec aliter sub eadem tempora scribebat Hieronymus ad Danielem, cap. 11 : « Multi, inquit, nostrorum putant, ob sævitiæ ac turpitudinis magni-« tudinem, Domitium Neronem [codd. male Domitianum Neronem] « Antichristum fore ». Addendum Augustini testimonium, de Civit. D. lib. XX, cap. 19, ubi ad divi Pauli sententiam modo citatam : « Jam « enim mysterium iniquitatis operatur », ita commentatur sanctus vir: « Quidam putant hoc de imperio dictum fuisse Romano; et propterea « Paulum apostolum non id aperte scribere voluisse, ne calumniam « videlicet incurreret, quod Romano imperio male optaverit, quum « speraretur æternum. Ut hoc quod dixit : Jam enim mysterium, etc., « Neronem voluerit intelligi, cujus jam facta velut Antichristi videban-« tur. Unde nonnulli ipsum resurrecturum et futurum Antichristum su-« spicantur. Alii vero nec occisum putant; sed subtractum potius, « ut putaretur occisus, et vivum occultari in vigore ipsius ætatis in « qua fuit quum crederetur exstinctus, donec suo tempore reveletur « et restituatur in regnum ». Quem locum non tam integrum citassemus, nisi nos juvisset illa etiam ætate, quinto post Christum sæculo, superstitem usque monstrare, in occidentis saltem partibus, priscam de Nerone traditionem : cujus opinionis quasi quædam prosapia deduci potest a divi Pauli epistola et sancta Joannis Apocalypsi (utraque male, ut diximus, intellecta) ad Sibyllinos libros, inde ad Lactantium, a quo deinde ad Sulpicium et Hieronymum et Augustinum, magis

tamen testantes hanc opinionem quam probantes, id est, magis ut alienam tradentes quam ut suam.

CAP. XVII. *De Eliæ adventu.*

Multum ac fortasse nimium nos morata est vetus de Antichristo doctrina, quanquam hoc loco necessaria, minimeque ab instituto nostro aliena, quia ex Sibyllinis libris signa omnia recensere statueramus quæ supremo judicio præcursura ibi canuntur; horum vero nullum aut per se majus aut crebrius in Sibyllinis occurrit quam futurus adventus ignoti illius ac metuendi viri. Nunc vero transimus ad aliud signum, futurum hoc quoque novissimi temporis prænuntium, adventum nempe Eliæ Thesbitæ. Quod factum antene an post Antichristi res gestas melius collocandum fuerit, variantibus auctorum sententiis ambigi potest. Nos tamen, ut pote Sibyllinorum interpretes, auctorem sequi cogimur libri II, qui Nostrorum solus Eliæ meminit, eumque Antichristo posteriorem fecit, quantum ex ipsius carminis ordine divinari potest.

Ceterum res hic agitur non legentium aut scribentium arbitrio permissa, sed fidei christianæ penitus insita, quum ab ipso Redemptore non uno loco declaretur, Matth., cap. 11, v. 14 : « Elias qui « venturus est », et cap. 17, v. 11 : « Elias quidem venturus est, et « restituet omnia ». Quanquam his aliisque locis eadem vox divina docet, multa quæ de Elia scripta sunt posse ad Joannem Baptistam figurate referri. Sed tamen Eliam ipsum in fine venturum, proprio, non figurato sensu, vel hæc sola verba satis demonstrant : « Elias quidem venturus est, et restituet omnia », quorum extrema de Joanne Eliam figurante minime accipi possunt. Unde apud Augustinum de Civit. Dei, lib. XX, loco jam cit., dogma illud pariter cum Antichristi persecutione, tanquam certum aliquod fidei decretum, omnibus credendum proponitur.

Sed hic quoque traditionem habemus ipsa nostra religione anteriorem et jam sub æræ nostræ tempus a Judæis receptam. Qui enim aliter potuissent sacerdotes et levitæ nuntios ad Joannem Baptistam mittere, qui eum sic interrogarent, Joann. Ev. cap. 1, v. 21, sqq. : « Quid ergo? Elias es tu? Et dixit : Non... Quid ergo baptizas, si « tu non es Christus, neque Elias, neque propheta? » Neque hanc de Elia traditionem judaicis scholis inolevisse mirum est, cujus fons ipse reperitur apud Malachiam prophetam, cap. 4, v. 5, sqq. : « Ecce ego

« mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini « magnus et horribilis, et convertet cor patrum ad filios, etc. » Notandum tamen in Matthæi loco supra citato, non Eliam solum a Judæis exspectari, sed et alium cum eo prophetam, quod in græco testatur articulus ipse voci præmissus : Ἠλίας εἶ σύ; καὶ λέγει, οὐκ εἰμί. Ὁ προφήτης εἶ σύ; καὶ ἀπεκρίθη, οὔ.... Τί οὖν βαπτίζεις, εἰ σὺ οὐκ εἶ ὁ Χριστὸς, οὔτε Ἠλίας, οὔτε ὁ προφήτης; Audis, ὁ προφήτης, non προφήτης tantum. Et quis ille futurus sit Eliæ comes, si quæris, statim Henochus ultro se offert. Quippe ut ad futuri præcursoris officium ideo designatus fuit Elias, quod, vivus e terris raptus, vivere in Paradiso ibique judicium exspectare crederetur, ita facile succurrebat Henochum patriarcham, qui pariter translatus esset in Paradisum, Genes., cap. 5, v. 24; Sirac., cap. 44, v. 16, pariter etiam rediturum aliquando, simulque cum Elia extremas prophetandi partes impleturum, unde propheta vocatur a Judæis in Evangelio, loc. cit. Sunt quidem de ea re testimonia Patrum gravissima, Tertulliani de anima, cap. 50, Joannis Damasceni, aliorumque : etsi recentiores quidam interpretes pro Henocho Mosen huc induxerunt, respicientes videlicet ad duos sanctos viros in Christi transfiguratione visos, Matth., cap. 17, v. 3, sed contra receptam vulgo sententiam.

Utique de duobus, quanquam sine nomine, prophetis, velut olim in fine rerum venturis, celeberrimus est Apocalypseos locus, cap. 11, v. 3, sqq. Quum tamen de Elia magis quam de Henocho diserta essent sanctæ Scripturæ testimonia, prævaluit Eliæ nomen, solumque sæpius declarari in hac re solet, ut apud Matthæum, locis citatis; Marc., cap. 9, v. 10, sqq.; Luc., cap. 1, v. 17. Sic etiam apud plerosque Patres, et sic in Sibyllinis nostris, seu potius in solo libro II, cujus hæc verba sunt, v. 187, sqq. :

Καὶ τόθ' ὁ Θεσβίτης γε, ἀπ' οὐρανοῦ ἅρμα τιταίνων
Οὐράνιον, γαίῃ δ' ἐπιβὰς, τότε σήματα τρισσὰ
Κόσμῳ ὅλῳ δείξει τε ἀπολλυμένου βιότοιο.

De cognomine Thesbitæ, quod a patria sumpsit Elias, non est hic locus inquirendi. Curru vectus e cælo venit, quod curru in cælum raptus fuerit, Reg. IV, cap. 2, v. 11. De tribus autem ejus miraculis, quæ ante finem rerum facturus canitur, quænam illa futura sint, quoniam in sacra Scriptura nusquam numero notantur, ambigi licet. Utrum in aliquo apocrypho clarius definita fuerint, ignoramus. In Apocalypsi certe ambobus prophetis hæc assignantur, cap. 11, loc. cit. : « Et si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, et de« vorabit inimicos eorum... Hi habent potestatem claudendi cælum, ne « pluat diebus prophetiæ ipsorum; et potestatem habent super aquas

« convertendi eas in sanguinem, et percutere terram omni plaga quo-« tiescumque voluerint ». Quæ eadem in solum Eliam conferuntur apud Lact., l. cit. Hæc igitur ipsa Sibyllistæ quoque fuisse in mente verisimile est. Sed quo pacto tria e multis sint eligenda, viderint qui cum poetis quidlibet audentibus calumniari volunt. Lactantio quidem tria præsertim videntur placuisse, Div. Inst. lib. VII, cap. 17, cælum arefactum, aquæ in sanguinem versæ, ignis in impios de cælo devocatus. Nec aliter Malvenda de Antichristo jam citatus, nisi quod ipse fatetur conjecturis uti se tantum, deficientibus argumentis.

Utcumque demum ea sint, nihil amplius Sibyllista de Elia venturo tradit; nec de ejus cum Antichristo contentione, nec de morte ejus aut resurrectione quidquam habet, etsi poterat hæc a divo Joanne discere : quæ cur reticuerit, minime scimus, nec scire juvat, quoniam nemo silentii rationem reddere cogitur. Possunt vero quædam vel librariorum culpa intercidisse, vel ab auctore sic volente neglecta esse, qua de re statuere nostrum non est. Plura si quis velit, quærat ex Apocalypsi, cap. 11, v. 3, sqq. Ibi enim postquam duo prophetæ testimonium dederint in urbe magna, « ubi et Dominus eorum crucifixus « est (v. 8) », nempe Hierosolymis, per dies MDCCLX (id est, annos tres et sex menses, si tricenum dierum menses fiant), tum vero Antichristus, incertum antene an post ipsos exortus, « faciet adversum eos bellum, « et vincet eos, et occidet eos », magno impiorum gaudio. Sed post dies tres et dimidium, excitati voce cælesti, surgent e mortuis et in cælum ascendent, v. 12. Sequitur ingens terræ motus quo magna pars civitatis evertitur, Antichristo, nisi fallimur, usque regnante, donec adventu Messiæ opprimatur. Quæ ita videntur intelligenda, tanquam sub rerum finem, initio ultimæ annorum hebdomadis, urbem olim sanctam Jerusalem, tunc Antichristo subjectam (cfr. supra, cap. 16), ingressuri sint de cælo delapsi duo prophetæ, quondam e terris in cælum rapti, Helias et Enoch, nuntiaturi nempe hominibus propinquum exitium, ipsosque ad pœnitentiam vocaturi per tres annos et dimidium, id est per ultimæ hebdomadis reliquam partem; perituri deinde sive Antichristi sive ejus sociorum invidia, qui ultimus erit scelerum cumulus, et ultimum venientis judicii signum. Sed hæc, ut ad divinæ Apocalypseos mentem satis accedere videntur, tamen si ad omnes ipsius Joannis voces pressius exigantur, multas fortasse difficultates parient. Qui id tentaverit, veremur ne operam abutatur. Itaque melius hic consistendum putamus, monito iterum lectore, nihil horum in reliquis Sibyllinis occurrisse, ubi de Nerone redituro vulgaris sententia dominabatur; secundo demum libro, id est, tertio sæculo fere medio, totam hanc repente exsistere doctrinam de Belial

Antichristo, Eliaque cum eo prædicationibus decertante : quo pertinent quæ jam dicta sunt de mutata non semel circa eas res Sibyllina sententia, supra, cap. 16.

CAP. XVIII. *De mulieris imperio.*

Non statim post exstinctum Antichristum rerum finem esse venturum, sed aliquid insuper temporis pœnitentiæ relictum iri, quidam veterum crediderunt, atque in his pseudo-Augustinus de Antichristo. In hoc temporis intervallum cadit mulieris regnum, quod bis aut ter videmus in Sibyllinis prædictum. Ac primum, libro VIII, § 1, hæc leguntur, v. 199, sqq.:

Ἀλλ' ὅταν ἡ δεκάτη γενεὴ δόμον Ἄϊδος εἴσω,
Θηλυτέρης μετέπειτα μέγα κράτος, ᾗ κακὰ πολλὰ
Αὐξήσει Θεὸς αὐτός, ὅταν βασιληΐδα τιμὴν
Στεψαμένη τύχῃ.

Nec multum abest, ut eo quoque pertinere credamus locum paulo superiorem ejusdem libri, v. 194 :

Μή ποτ' ἐγὼ ζώην ὅτε ἡ ἱλαρὰ βασιλεύσῃ,

si recte illum versum intelligimus, et si lectio sana est.

Alter locus est, lib. III, v. 75, sqq., quo illum e secundo libro translatum esse suspicati sumus in Exc. V; isque talis est :

Καὶ τότε δὴ κόσμος ὑπὸ ταῖς παλάμῃσι γυναικὸς
Ἔσσεται ἀρχόμενος καὶ πειθόμενος περὶ παντός.
Ἔνθ' ὁπόταν κόσμου παντὸς χήρη βασιλεύσῃ,
Καὶ ῥίψῃ χρυσόν τε καὶ ἄργυρον εἰς ἅλα δῖαν,
Καὶ χαλκόν τε σίδηρον ἐφημερίων ἀνθρώπων
Εἰς πόντον ῥίψῃ, τότε δὴ στοιχεῖα πρόπαντα
Χηρεύσει κόσμου, κ. τ. λ.

Hæc sunt Sibyllina de ea re testimonia, e quibus inter se collatis lucem aliquam elicere conabimur. Quæ tamen non dissimulamus obscura admodum visa esse Malvendæ, scriptori non quidem acutissimo, tamen in Patrum ac Theologorum lectione versatissimo, qui in tractatu de Antichristo, lib. XI, sub fin., quum de fine mundi nullum pæne vetus testimonium intactum prætermiserit, et horum quoque locorum nostrorum meminerit, nusquam se quidquam alibi de illa muliere reperisse testatur: « Hæc nos, inquit, non intelligimus, et « forsan sunt vana et futilia commenta ab impostore aliquo fabricata. « An innuit, deleto Antichristo, nullam amplius in mundo futuram mo« narchiam, sed reipublicæ formam », etc.? Quod prorsus idem dixe-

rat, quum de Sibyllis ageret, lib. X, cap. 17 : « Sed magis adhuc « mirati sumus quod Sibylla cecinerit, post mortem Antichristi fore « orbis imperium penes mulierem quamdam viduam. Sic enim ait : « Tunc autem mundus manibus muliebribus, etc., Hæc quidem Si- « bylla, si libri tamen impostura non carent,.....quæ fatemur nos « non intelligere. Forsitan asseruit mundum tunc non monarchia, hoc « est unius viri principatu, sed aristocratia seu democratia regendum, « ac futuram unam rempublicam sine principe, ut quondam Romana « fuit. Forsan arcanum aliquod mysterium innuit, quod tunc ape- « rietur, nunc interim manet occultum. Forsitan ita revera erit ut « regina vidua toti imperitet orbi; vel intelligit penes Ecclesiam fu- « turam tunc monarchiam etiam civilem et temporalem ». Vides hæsitantiam hominis parum critici, docti tamen et de hoc omni argumento exercitatissimi : quo timidius in ea re sententiam nostram proponemus.

Primum notandum, posse tria illa Sibyllina testimonia pro uno pæne haberi, si liber tertius, cujus primam partem plagii sæpe ream fecimus, ut alia multa e ceteris libris, ita hoc quoque ex octavo deprompsit. Tamen insunt tertio libro quæ in octavo desideres, eaque gravia et singularia : primum viduitatis mentio, ὁπόταν χήρη βασιλεύσῃ, ac deinde auri, argenti, aliarumque divitiarum in mare conjectarum : quæ plagiarius de suo extundere et compilatis addere vix potuit. Vero igitur propius est ambo Sibyllistas vulgatam suo tempore traditionem de muliere quadam sub rerum finem regnatura secutos esse : cujus traditionis originem quoties inquirimus, toties adducimur ut credamus non aliunde repetendam esse, quam ex loco inter theologos quidem controverso, minime tamen per se obscuro, divinæ Apocalypseos, cap. 17, v. 3, sqq. : « Et vidi mulierem seden- « tem super bestiam coccineam...et mulier erat circumdata pur- « pura...habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione « et immunditia fornicationis ejus...». Item, cap. 18, v. 3 : « Quia de « vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes, et reges terræ « cum illa fornicati sunt; et mercatores terræ de virtute deliciarum « ejus divites facti sunt... Quia in corde suo dicit : Sedeo regina, « et vidua non sum, et luctum non videbo. Ideo in una die venient » plagæ ejus, etc. » Quæ omnia de Roma tunc rerum domina scripta esse ab Apostolo, cuivis simpliciter legenti satis apparet; olim tamen locum præbuisse videntur vulgari cuidam ineptoque commento de muliere in fine rerum regnatura : quam ob delicias ipsius et fornicationes τὴν ἱλαράν vocat unus Sibyllista, lib. VIII, v. 194; alter vero χήρην, lib. III, v. 77, propter insanam ejus in Apocalypsi jactantiam :

« Sedeo regina, et vidua non sum ». Illam vero de regina vidua traditionem eo magis credimus ex Apocalypsi ortam esse, quod Irenæus, auctor sane gravissimus, illam quoque tetigerit, sed viduam vocans ipsam terrestrem Hierosolymam, quæ Dei oblita ad Antichristum convolaverit, cumque ipso regnare, velut secundis juncta nuptiis, inceperit : confer ipsa verba, de Hæres., lib. V, cap. 25.

Offendit tamen quod uterque Sibyllista post cetera omnia venientis judicii signa ultimum posuerit hoc signum, imo, uti videtur, post ipsam decimam generationem, lib. VIII, v. 199, certe post Eliam et Antichristum, lib. III, v. 63, sqq., nullo deinde relicto intervallo inter mulieris regnum et mundi totius ruinam, lib. III, v. 80, sqq.; lib. VIII, v. 203, sqq. Ista rerum et temporum confusio minime ferri potest; neque ad eam defendendam satis valet id quod hujus capitis initio diximus, fuisse qui finem mundi non statim post Antichristum affore, sed aliquanto post, ut tempus pœnitentiæ restaret : id enim pugnat non modo cum veri specie, sed etiam cum Apocalypsi, ultimum statuente rerum finem continuo post Antichristum ejusque socios in abyssum detrusos, cap. 20, v. 9, sqq.

CAP. XIX. *De mundi fine et conflagratione universa.*

Egredimur nunc conjecturis et commentis, jamque Sibyllistas cum sanctis libris per omnia pæne concordes inveniemus. Consummatis nempe omnibus, sequitur ultima mundi pereuntis divulsio, qualis fere apud prophetas et in Evangeliis : stellæ cadunt, cælum convolvitur, etc. Quæ omnia crebro in Sibyllinis redeunt, quippe hunc præcipue finem habentibus ut hominibus venientem Dei præmonstrent iram, quod est ipsum libri octavi initium, v. 1, sq. :

Ἐρχομένης μεγάλης ὀργῆς ἐπὶ κόσμον ἀπειθῆ
Ὕστατον εἰς αἰῶνα, Θεοῦ μηνίματα φαίνω.

Ergo teterrima hæc vaticinia passim repetita legas, lib. IV, v. 170 (174), sqq., lib. VIII, v, 203, sqq., 217, sqq. (ubi totam fere acrostichidem implent), atque ibid., 337, sqq., lib. VII, v. 118, sqq., 141, sqq., lib. II, v. 194, sqq., lib. III, v. 80, sqq. Hæc e libris tantum christianis eruimus, quæ tamen notavimus jam et infra notabimus pæne eadem occurrere in libris etiam judaïcis, præsertim III et V, licet alio sensu de signis venientis Messiæ prænuntiis.

Maxime vero notandum dogma Sibyllistis omnibus commune universæ conflagrationis. Quam prædictam et exspectatam etiam apud

gentiles poetas græcos latinosque reperias, Sophoclem apud divum Justinum, de Monarch., § 3; Ovidium, Metam. I, v. 256, sqq.; alios. Atque eo pertinere patet celeberrimam illam (an ex Euripide?) imprecationem, quæ etiam in proverbium cessit:

Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί.

Imo veteris philosophiæ seu cosmologiæ non minima pars illa fuit, jam primum ab Heraclito deducenda, qui mundum ex igne natum rursus in ignem reversurum docuerat; deinde a Stoicis præcipue commendata sub proprio ἐκπυρώσεως nomine, de qua loci sunt Senecæ, Consol. ad Marciam extr. et Nat. quæst. III, cap. 28. Huc etiam pertinet Julii Capitolini narratiuncula in vita M. Aur. p. 182. Sed de hac re multo graviora sunt sacrorum librorum testimonia quum Veteris, tum Novi Testamenti, qui omnes in hac prædictione consentiunt. Nam in Veteri quidem mentio frequens est, adventante Deo, terræ in cineres redactæ, præsertim in Psalmis et apud Prophetas, Psalm. 96, v. 3, sqq.; Isai., cap. 51, v. 6; etc. Quin et Josephus ejus prædictionis originem Adamo ipsi, videlicet ex apocrypho libro, tribuere non dubitat, Antiq. I, cap. 3: Προειρηκότος ἀφανισμὸν Ἀδάμου τῶν ὅλων ἔσεσθαι, τὸν μὲν κατὰ ἰσχὺν πυρός, κ. τ. λ. In Novi autem Fœderis libris, præter imminentes stellarum casus apud Matth., cap. 24, v. 29; Marc., cap. 13, v. 25, omnino de hac re disertus est Petrus, epist. II, cap. 3, v. 7: « Cæli autem, qui nunc sunt, et terra eodem verbo repositi sunt, « igni reservati in diem judicii et perditionis impiorum hominum. » Quod et Sibylla apertissime prædicit, lib. IV, v. 154 (157), sqq.:

Καὶ τότε γινώσκειν Θεὸν οὐκέτι πρηῢν ἐόντα,
Ἀλλὰ χρόνῳ κραίνοντα, καὶ ἐξολέκοντά τε γένναν
Ἀνθρώπων μάλα πᾶσαν ὑπ' ἐμπρησμοῦ μεγάλοιο,

Et paulo infra, v. 168 (171), sqq.:

Πῦρ ἔσται κατὰ κόσμον...
Φλέξει δὲ χθόνα πᾶσαν· ἐπὰν δ' ὀλέσῃ γένος ἀνδρῶν,
Καὶ πάσας πόλιας, ποταμούς θ' ἅμα ἠδὲ θαλάσσας
Ἐκκαύσῃ, τάδε πάντα κόνις ἔσετ' αἰθαλόεσσα.

Confer lib. VIII, v. 225, 237, 243, 411, sq., lib. VII, v. 118, sqq., lib. II, v. 213; lib. III, v. 84, sqq. Confer et stellas cadentes, lib. V, v. 211, sqq., 530; lib. VIII, v. 190, sqq.; lib. II, v. 200, sqq. Verissime ergo, saltem de Sibylla, scriptum est apud Justinum, Apolog. I, § 20: Καὶ Σίβυλλα δὲ καὶ Ὑστάσπης γενήσεσθαι τῶν φθαρτῶν ἀνάλωσιν διὰ πυρὸς ἔφασαν. Confer Lactant. de ira Dei, cap. 23.

Sic vertetur mundus in cineres tanto, ut ait Sibylla, incendio, quantum non alius possit exstinguere, quam qui accenderit, Deus ipse, lib. IV, loc. cit.:

Ἀλλ' ὅταν ἤδη πάντα τέφρη σποδόεσσα γένηται,
Καὶ πῦρ κοιμίσσῃ Θεὸς ἄσπετον, ὥσπερ ἀνῆψε, κ. τ. λ.

Exstinguetur autem, ut excitari mortui possint e tumulis ad supremum judicium, de quo nunc denique est agendum.

CAP. XX. *De judicio supremo, et quot modis intelligatur in Sibyllinis.*

Judicium supremum in Sibyllinis non modo passim et sæpe prædicitur; sed is præcipue finis videtur iis libris esse propositus, ut illo metu homines ad meliora convertantur. Ita libro IV, omnium christianorum antiquissimo, bis redit illud vaticinium, et ipsum judicii nomen bis nostris auribus assonat, nempe, v. 40:

Ἀλλ' ὅταν ἤδη
Κόσμου καὶ θνητῶν ἔλθῃ κρίσις,

et infra, v. 178 (182):

Καὶ τότε δὴ κρίσις ἔσται, ἐφ' ᾗ δικάσει Θεὸς αὐτὸς,
Κρίνων ἔμπαλι κόσμον.

Sic et libro VIII, § 2, in acrostichide celeberrima, quæ tota est de illo argumento, v. 217, sqq.:

Ἱδρώσει δὲ χθὼν, κρίσεως σημεῖον ὅτ' ἔσται...
Σάρκα παρὼν πᾶσαν κρῖναι...
Σαρκοφόρων δ' ἀνδρῶν ψυχὰς ἐπὶ βήματι κρίνει.

Ibidemque, v. 415, sq.:

Καὶ ὕστερον εἰς κρίσιν ἥξω,
Κρίνων εὐσεβέων καὶ δυσσεβέων βίον ἀνδρῶν.

Pariter libro VIII, § 1, v. 82:

Αὐτὸς παντοκράτωρ ὅταν ἐλθὼν βήμασι κρίνῃ.

Et paulo infra, v. 91, sqq.:

Ἐγγὺς μὲν κόσμου τὸ τέλος καὶ ἔσχατον ἦμαρ,
Καὶ δοκίμοις κλητοῖς κρίσις ἀθανάτοιο Θεοῖο.

Et ibidem, v. 213:

Καὶ κρίσιν ἀθανάτοιο Θεοῦ...

Quod idem ac plenius recurrit libro III, v. 56:

Καὶ κρίσις ἀθανάτοιο Θεοῦ μεγάλου βασιλῆος.

Adde lib. I, v. 273, sq.:

Ἄχρις εἰς κρίσιν ἥξει
Πᾶν γένος ἀνθρώπων, ἐπεὶ κρίσις ἔσσεθ' ἅπασιν.

Et quid refert omnia recensere?

Illud vero τῆς κρίσεως nomen etiam in libris judaïcis, ut in Pro-

phetis sæpe, usurpatum reperitur alio sensu, de justa Dei ultione in terris sæviente, præsertim quum Messias adveniens regnum justorum, oppressis debellatisque impiis, auspicabitur; eoque sensu omnino capiendum est, lib. III, v. 670 :

Καὶ κρίσις αὐτοῖς
Ἔσσεται ἐκ μεγάλοιο Θεοῦ, καὶ πάντες ὀλοῦνται
Χειρὸς ἀπ' ἀθανάτοιο.

Item ibidem, v. 686, sqq. :

Ὅτι τὸν νόμον οὐκ ἔγνωσαν
Οὐδὲ κρίσιν μεγάλοιο Θεοῦ...
Καὶ κρίνει πάντας πολέμῳ Θεὸς, ἠδὲ μαχαίρῃ,
Καὶ πυρὶ καὶ ὑετῷ, κ. τ. λ.

Similiter et paulo infra, ubi nunc editum est, v. 741, sqq. :

Ὁππότε δὴ καὶ τοῦτο λάβῃ τέλος αἴσιμον ἦμαρ·
Ἥξει ἐπ' ἀνθρώπους ἀγαθοὺς μεγάλοιο κατ' ἀρχήν,

aliter legebat Lactantius :

Αὕτη γὰρ μεγάλοιο Θεοῦ κρίσις ἠδὲ καταρχή,

vel ἠδὲ καὶ ἀρχή. Quæ omnia de terrestri Messiæ adventu capi, adeo non est mirum, ut in eodem libro eadem de Cyri, tanquam Messiæ cujusdam, adventu scripta legantur, v. 286, sq. :

Καὶ τότε δὴ Θεὸς οὐρανόθεν πέμψει βασιλῆα,
Κρίνει δ' ἄνδρα ἕκαστον ἐν αἵματι καὶ πυρὸς αὐγῇ.

Ista apud Judæos et Christianos diversissima duo judicia, aliqua tamen ex parte similia, pæne iisdem apud utrosque coloribus depingebantur, ut diximus : tantaque fuit de utraque re similitudo sententiarum et verborum, ut hæc ipsa Sibyllina vaticinia e tertio libro desumpta et ad Judæorum mentem pertinentia, tuto potuerint orthodoxi Patres ad Christianos sensus deflectere. Eo magis Millenarii, multum de judaïsmo retinentes, miscebant et confundebant imagines utriusque judicii, seu potius unum e duobus conflabant, quo Christus Messias primum in terras delapsus judaïcam gentem erigebat, novique regni initium faciebat; deinde consurgentibus adversus se suosque impiis nationibus ac regibus, ultor demum sacræ gentis ad judicium extremum progrediebatur. Hanc opinionum confusionem præsertim libro VIII, § 1, dominantem ostendemus infra, cap. 22.

Tertia vero ejusdem verbi significatio apud Sibyllistas non semel occurrit, ac præsertim, lib. VIII, v. 256 :

Οὐδὲ γὰρ ἐν δόξῃ, ἀλλ' ὡς βροτὸς εἰς κρίσιν ἥξει,

et ibidem, v. 269 :

Γνώμης οὖν ταύτης μεμνημένος εἰς κρίσιν ἥξει,
Ἀντίτυπον μίμημα φέρων εἰς Παρθένον ἁγνήν,

ubi aperte de primo Christi adventu positum est, tanquam venientis in mundum ut electos ab improbis secernat, vel ut futuro judicio viam paret, vel ut malignum spiritum coarguat atque condemnet, sicut in Evangelio dicitur, Joann., cap. 16, v. 11 : « Quia princeps hujus « mundi jam judicatus est ». Quanquam id lato sensu accipiendum : nam in eodem Evangelio Christus aperte negat se ad judicium venisse, Joann. cap. 3, v. 17 : « Non enim misit Deus Filium suum in « mundum, ut judicet mundum ». Et cap. 12, v. 47 : « Non enim « veni ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum ». Sed quoniam de Messiæ in terris regnaturi adventu judicii nomen apud Prophetas sæpe usurpatur, id quoque Sibyllistæ, cum multis Patribus, ad Jesum Redemptorem, tanquam jus novum in terras afferentem, referri posse censuerunt; unde fit ut secundus Christi adventus Sibyllistis alterum sit judicium, ut libro IV, loco jam dicto :

Κρίνων ἔμπαλι κόσμον...

Et fortasse lib. VIII, loc. cit. :

Καὶ ὕστερον εἰς κρίσιν ἥξω.

Quod utrumque, ἔμπαλι et ὕστερον, cave de duplici futuro judicio accipias, aut de secunda mortuorum resurrectione, de qua nos supra, cap. 18, et infra cap. 22. Nihil enim in libris IV et VIII, § 2, chiliasmum sapere fatendum est.

Nunc ergo, ut rursus ad veram et catholicam judicii supremi notionem, unde sumus digressi, redeamus, nusquam, nisi in sanctis libris, descriptio novissimi illius omnium rerum eventus magis horrifica facta est quam in acrostichide libri VIII, v. 217, sqq.

Ἱδρώσει δὲ χθών, κ. τ. λ.

Eadem tamen plenior omnibusque partibus suis absolutior et meliorem in ordinem redacta proponitur libro II, v. 214, sqq., cujus nunc libri vestigiis potissimum insistemus.

CAP. XXI. *De mortuis ad judicium vocatis, obiterque de animarum statu ante judicium.*

Primum libro II, v. 214, sqq., angeli sive archangeli, qui numero quatuor designari videntur (cfr. infra, cap. 28), mortuos ad judicium evocant. Id tubarum sono fieri, ut apud Matth. cap. 24, v. 31, et Paul. ad Corinth. I, cap. 15, v. 52, nemo est qui dubitet, reticente licet Sibyllista libri II; sed libro VIII, § 2, in acrostichide, clare sonans tuba auditur, v. 239, sq. :

Σάλπιγξ δ' οὐρανόθεν φωνὴν πολύθρηνον ἀφήσει,
Ὠρύουσα μύσος μελέων καὶ πήματα κόσμου.

Quo sono commotæ inferni domus patescunt funditus, et inclusam suis latebris hominum multitudinem ad judicium emittunt, sicut ibidem statim additur, VIII, v. 241, sqq. :

Ταρτάρεον δὲ χάος τότε δείξει γαῖα χανοῦσα.
Ἥξουσι δ' ἐπὶ βῆμα Θεοῦ, κ. τ. λ.

Hæc tamen periculum est ne non satis Sibyllino sensu accipiantur, nisi quid prius de mortuorum ante judicium statu dictum fuerit. Sibyllinam de ea re mentem apte nobis videtur expressisse Lactantius, de div. Inst., lib. VII, cap. 21, jam citato : « Nec tamen quis« quam putet animas post mortem protinus judicari. Nam omnes in « una communique custodia detinentur, donec tempus adveniat, quo « maximus judex meritorum faciat examen ». Quam sententiam, si Sibyllistarum tantum aut si unius Lactantii auctoritate niteretur, haud magni faciendam fateremur. Sed auctores habuit, quam multos non dicemus, quia locus ille est a theologis sæpe tractatus : præcipuos tantum nominabimus, Justinum et Irenæum, quam sanctos viros! Origenem, quam doctum Scripturarum interpretem! Nec mirum, reticentibus sacris libris, diu in Ecclesia perseverasse istam doctrinam, quam fere eamdem ante nostræ religionis ortum in Pharisaïca schola floruisse constat Josephi testimonio, Antiq. lib. XVIII, cap. 2 : Ἀθάνατόν τε ἰσχὺν ταῖς ψυχαῖς πίστις αὐτοῖς εἶναι, καὶ ὑπὸ χθονὸς δικαιώσεις τε καὶ τιμὰς αἷς ἀρετῆς ἢ κακίας ἐπιτήδευσις ἐν τῷ βίῳ γέγονε, καὶ ταῖς μὲν εἱργμὸν ἀΐδιον προτίθεσθαι, ταῖς δὲ ῥαστώνην τοῦ ἀναβιοῦν. Quod ita intelligendum, animas omnes post mortem sub terra detineri communi in regione, discretis tamen sedibus : quippe impiorum animas in carcere duro detineri æternum ibi mansuras; justos in futuræ resurrectionis spem reservari, habentes, ut Josephi verbis utamur, ῥαστώνην τοῦ ἀναβιοῦν. Ab illa Pharisæorum sententia non multum discrepuerunt veteres illi, de quibus modo diximus, Christiani.

Cave tamen illam doctrinam, licet per duo fere sæcula a multis orthodoxis vel defensam vel toleratam, communem universis fuisse; alteram vero, quæ hodie sola nostra est, ignotam prorsus illorum temporum hominibus aut alienam fuisse putes. Damnat quidem Irenæus et prope Valentinianis annumerat, lib. V, cap. 31, eos qui justorum putant ab ipso vitæ hujus exitu continuam fore felicitatem : sed vel ideo sic sentire quosdam, et qui scit quam multos? agnoscit. Certe jam ab ipsis Ecclesiæ initiis vulgo creditum fuit, martyres saltem, exemptos communi lege, statim post mortem e terris in cælum aut paradisum evolare. Id ipse alias agnoscit Irenæus, lib. IV, cap. 33, § 9, a quo

non dubitamus inprimis atque ante omnes beatam Virginem Mariam hujus privilegii compotem esse factam : est enim Irenæi non minima laus, quod primus fere veterum sanctissimæ Virginis merita, consortio quodam divinæ redemptionis, humano generi salutaria prædicaverit; confer infra, cap. 27.

Sibyllistæ de beatorum ante judicium statu reticent, nisi quod, libro II, v. 246, sqq., sancti homines judicio supremo, tanquam judices ipsi, non tanquam rei, assistere dicuntur. Quinam vero illi? soli, quod mireris, Patriarchæ et Prophetæ, omissis novæ legis sanctis omnibus (confer infra, cap. 22). Unde conjicias ad nostri poetæ mentem eos solos in cælum aut paradisum adhuc censeri receptos, quos Christus resurgens ex inferis secum abduxerit, ceteris adhuc ibi commorantibus, secundum illam quam modo multorum exposuimus sententiam. Videtur ea fuisse Sibyllistis omnibus communis mens : quanquam in diversam partem traxit nos aliquando notandum in Procemio Sibyllino temporum verbalium discrimen, ubi impiis quidem futuræ intentantur pœnæ, v. 83, sqq. :

Λαμπάσι καυθήσεσθε, κ. τ. λ.,

justi vero statim videntur hæreditatem vitæ adire :

Ζωὴν κληρονομοῦσι, κ. τ. λ.

Sed in re tanta tam levi grammaticæ conjugationis argumento fortasse non decet immorari. Præsertim quum Sibyllistarum constantem de ea re doctrinam prodat frequens apud illos mentio communis mortuorum sedis, quam nunc ᾍδην, nunc Ἀΐδην, nunc etiam Ἀϊδωνέος οἶκον, aliquando Τάρταρον vel Ἔρεβος vocant. ᾍδην quinimo ita dictum somniant, quod eo primus Adam descenderit, secuturis omnibus viam monstrans, lib. I, v. 81, sqq. :

ᾍδην δ' αὖτ' ἐκάλεσσαν, ἐπεὶ πρῶτος μόλεν Ἀδάμ...
Τοὔνεκα δὴ πάντες οἱ ἐπιχθόνιοι γεγαῶτες
Ἀνέρες εἰν Ἀΐδαο δόμοις ἰέναι καλέονται.

Illuc igitur ante diluvium universum generationes omnes bonæ malæque compelluntur, lib. I, v. 80, sqq.; 101, sqq.; 116, sqq.; 302, sqq. Illuc etiam post diluvium : nam eo descendit ipse Christus, I, 377; VIII, 310; atque inde mortuos ab eo reduci, Sibylla licet reticente, non est dubium, solos nempe justos, relictis in sua nocte impiis. Eadem inferna sedes, idem ᾍδης usque ad extrema mundi permanere Sibyllistis visus est, quoniam libro VIII, ignis qui terram devorat, Orci quoque portas incendit, v. 226 :

Φλέξει δὲ πύλας εἱρκτῆς ἀΐδαο,

ita ut discissa terræ viscera Tartarum retegant, v. 241 :

Ταρτάρεον δὲ χάος τότε δείξει γαῖα χανοῦσα.

Quod ipsum Judæus quoque Sibyllista cecinerat, lib. III, v. 681 :

Κυάνεόν τ' Ἔρεβος πάντεσσι φανεῖται.

Ἅδην igitur illum Sibyllistarum ac veterum Patrum quorumdam tibi fingas necesse est non Paradiso aut Elysiis campis similem, quod ad justos attinet; non, quod ad impios, flammis acribus rutilantem; sed obscurum atque taciturnum, qualia pæne descripsit Virgilius, « loca senta situ noctemque profundam », vel quale sanctus propheta Isaias magnum illud mortuæ gentis repositorium, cap. 14, v. 9, sqq. : « Infernus, inquit, subter conturbatus est in occursum adventus « tui... Omnes principes terræ surrexerunt de soliis suis, etc. » Confer maxime de ea re Nicodemi apocryphum evangelium in quo, cap. 18, describuntur ad veri speciem illa, quæ ibi vocantur, tenebricosa loca, τὰ σκοτεινὰ ἐκεῖνα. Similis quoque est in Sibyllinis nostris, lib. VIII, § 1, infernæ sedis descriptio, v. 107, sqq. :

Πᾶσιν ὁμοῦ νὺξ ἐστιν ἴση, τοῖς πλοῦτον ἔχουσι
Καὶ πτωχοῖς· γυμνοὶ δ' ἀπὸ γῆς, γυμνοὶ πάλιν εἰς γῆν
Ἄξαντες, λήγουσι βίου χρόνον ἐκτελέσαντες.
Οὐδεὶς δοῦλος ἐκεῖ, οὐ κύριος...
Τύμπανον οὐκ ἠχεῖ, οὐ κύμβαλον...
Οὐκ ἔρις, οὐκ ὀργὴ πολυποίκιλος...
................Ἀλλ' αἰὼν κοινὸς ἅπασι
Κλειδοφύλαξ εἱρκτῆς μεγάλης ἐπὶ βῆμα Θεοῖο.

Nota illam communem omnibus noctem, uti supra diximus; nota communem omnibus exspectationem judicii, ad quod inclusi reservantur, ἐπὶ βῆμα Θεοῖο. Ne tamen credas, ut communem sedem, ita parem fuisse omnium conditionem : sed saltem illud discriminis interfuisse censeas, quod alii spe judicii sustentarentur, alii pœnarum æternarum metu contremiscerent. Imo, licet in eadem regione, distinctæ, ut diximus, agnoscendæ sunt sedes : nam impii ᾍδην quidem cum ceteris habitare dicuntur, sed interiorem ᾍδου partem, quam Tartarum seu Tartareum carcerem vocant Sibyllistæ, lib. I, v. 101, sqq. :

Ὑπὸ Ταρτάριον δόμον αἰνὸν
Δεσμοῖς ἀῤῥήκτοις πεφυλαγμένοι ἐξαποτῖσαι
Εἰς Γέεναν μαλεροῦ λάβρου πυρὸς ἀκαμάτοιο,

non, ut nos olim ex Castalionis fide verteramus, ardentes jam et ambusti, perinde ac si scriptum fuerit ἐν Γεένῃ, sed ignem illum futurum exspectantes, quod et de ipsis dæmonibus innuit divus Petrus, citandus infra, cap. 29.

CAP. XXII. *De resurrectione mortuorum.*

Ex iis ergo tenebris mortui ad novam vitam excitantur, omnes boni malive, secundum christianam doctrinam orthodoxam, rursus in se consistentibus corporum reliquiis, quod non semel in Sibyllinis prædicitur, ut lib. IV, v. 176 (180), sqq. :

Ὀστέα καὶ σποδιὴν αὐτὸς Θεὸς ἔμπαλιν ἄνδρα
Μορφώσει, στήσει δὲ βροτοὺς πάλιν ὡς πάρος ἦσαν,

nusquam autem magis diserte et poetice quam lib. II, ubi hæc leguntur, v. 221, sqq. :

Καὶ τότε νερτερίοις ψυχὰς, καὶ πνεῦμα, καὶ αὐδὴν
Δώσει ἐπουράνιος, καί τ' ὀστέα ἁρμοσθέντα
Ἁρμοῖς παντοίοις, κ. τ. λ.

Quæ omnia non dubium est præsertim desumpsisse Nostrum ex Ezechiele propheta, cap. 37.

Ad eamdem vero resurrectionem minime pertinere censemus id quod libro VIII, § 1, scriptum legitur, v. 170, sq. :

Ἀποφθιμένους ἀνεγείρας.

Ibi enim videtur reditus ad vitam intelligendus justorum tantum qui cum Messia regnaturi sunt, secundum illud Apocalypseos vaticinium, de quo nos supra, cap. 9. Nam in illud terrestre regnum Millenarii plerique, ut ibi diximus, non superstites tantum justos, sed etiam mortuos e sepulcris evocatos admittebant. Hoc ergo habuisse Nostrum in mente credimus, quum hæc scriberet.

Sed nihilominus exspectat ille quoque post terrestre regnum et in rerum omnium fine secundam resurrectionem, non jam sanctorum modo, sed cunctorum sine discrimine mortuorum, ad quam, nobis judicibus, pertinet istud in eodem carmine longe infra ac prope in ipso fine positum, v. 205 :

Νεκρῶν δὲ ἀνάστασις ἔσται,

sicut aperte illud quod antea prædictum erat, v. 82, sq. :

Αὐτὸς παντοκράτωρ ὅταν ἐλθὼν βήμασι κρίνῃ
Ζώντων καὶ νεκύων ψυχάς, κ. τ. λ.

Duæ igitur resurrectiones ab hoc poeta agnosci videntur, nec tamen duo judicia, quoniam hic judicium supremum, non una, ut vulgo solet, die includitur, sed in longius tempus producitur (confer Augustinum, de Civ. D. lib. XX, cap. 1), ita ut cum Messiæ regno terrestri ac pæne judaïco incipiat, et in illam novissimam communemque omnibus diem, solam nunc ab orthodoxis exspectatam, desinat, quam Millenariorum diximus esse mentem : unde non negamus magnam oriri rerum confusionem, quam in hoc libro ostendere, non excusare, nostrum fuit.

Omissis ergo millenariis allucinationibus, rursus cum libro II, qui propius ad verum Ecclesiæ sensum accedit, ordinem supremi judicii persequemur, ab unica illa mortuorum resurrectione procedentes, qua justi omnes injustique modo e sepulcris evocati sunt.

CAP. XXIII. *De foro et tribunali Dei.*

Tempus jam adest, quo Deus in judicio sedeat, sicut scriptum est lib. II, v. 240, sqq.:

Καὶ καθίσῃ Σαβαὼθ Ἀδωναῒ ὑψικέραυνος
Εἰς θρόνον οὐράνιον, κ. τ. λ.

Illud est Dei altissimi tribunal in cælo supra nubes constitutum, de quo sæpe in Sibyllinis legitur, ἐπὶ βήματι, VIII, v. 222, et II, v. 250; βήμασι, VIII, v. 82; ἐπὶ βῆμα Θεοῖο, VIII, v. 122.

Notandum autem, quod plerique apud Sibyllistam non satis observarunt, sedere in solio ac judicio præesse Deum Patrem, qui poetica dicendi licentia interdum in nostris libris Deus ipse dicitur, Θεὸς αὐτός, ut lib. IV, v. 178 (182):

Καὶ τότε δὴ κρίσις ἔσται, ἐφ' ᾗ δικάσει Θεὸς αὐτός,

et libro VIII, v. 82:

Αὐτὸς Παντοκράτωρ ὅταν ἐλθὼν βήμασι κρίνῃ,

et in hoc ipso, quem maxime sequimur, libro II, v. 220:

Αὐτὸς ὁ Παντοκράτωρ θνητῶν ὁ δικασπόλος.

Unde sæpe in Sibyllinis Deus judex nominatur κρίτης βίοιο, VIII, 441, δικαιοκρίτης, III, 704, nullo personarum facto discrimine, ut præcipue Deus Pater intelligendus videatur.

Sumpta est haud dubie ea doctrina ex evangeliis Matth., cap. 26, v. 64; Marc., cap. 14, v. 62: « Videbitis filium hominis sedentem a « dextris virtutis Dei (græce ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως, omissa voce Θεοῦ), « et venientem in (Marc. cum) nubibus cæli ». Illud ergo alterum divini Redemptoris effatum, apud Joann. evang. cap. 5, v. 22: « Neque enim « Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio », latius interpretabatur Sibyllista quam divus Augustinus de Civ. D., lib. XX, cap. 30, de Patre dicens: « Nam ipse per suæ præsentiæ manifesta- « tionem non judicat quemquam; sed omne judicium dedit Filio, « qui manifestabitur homo judicaturus, sicut homo est judicatus ». Noster, ut poeta, aliam interpretationem secutus est, quam et in apocrypho Enochi libro, ad Ecclesiam primi sæculi judæo-christianam pertinente, expressam reperimus his fere verbis, ex æthiopica

versione anglice, dein rursus latine translatis, cap. 68, v. 39 : « Sedit « Filius hominis super thronum gloriæ suæ, et præcipua pars judicii « attributa est ei. » Audis præcipuam provinciam Filio dari, non totam aut unicam. Quod tamen Augustinus non omnino negat, ac de sola manifestatione dissentit, Patrem quoque judicare statuens, sed per Filium; et sic Justinus, Dial. cum Tryph. § 58 : Ἐν ᾗπερ μέλλει κρίσει διὰ τοῦ Κυρίου μοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁ ποιητὴς τῶν ὅλων Θεὸς ποιεῖσθαι, « in « judicio, inquit, quod per Dominum meum Jesum Christum factu- « rus est creator rerum omnium Deus ».

Utique Dei filius inducitur Christus, secundum solemnem in Evangeliis doctrinam, judicandi partes assumens, et ad Patrem in tribunali sedentem accedens, judex ipse, cum gloria, lib. II, v. 242 :

Ἥξει δ' ἐν νεφέλῃ πρός τ' ἄφθιτον ἄφθιτος αὐτὸς
Ἐν δόξῃ Χριστός.

Incedit nubibus invectus, ἐν νεφέλῃ, sive, ut libro V, v. 66, ἐν νεφέεσσι; stipatus angelis, σὺν ἀμύμοσιν ἀγγελτῆρσι, lib. II, v. 243, etiam cum sanctis suis, μετὰ τῶν ἁγίων, lib, VIII, v. 221 (hæc quidem omnia ex evangeliis), Patrisque, sicut supra dictum est, ad dexteram consi dit, lib. II, v. 244 :

Καὶ καθίσει μεγάλῳ ἐπιδέξια βήματι.

Sistendum hic, et quærendum, quinam illi sancti judicio, tanquam pedanei, assistant. Omnes sane videntur intelligendi, qui ante judicium supremum in gloriam admissi fuerint, et sic interpretandum quod legitur in catholica Judæ epistola, v. 7, sq., ex Apocrypho Enochi libro, cap. 2 : « Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis « facere judicium contra omnes ». At Sibyllista libri II, v. 246, sqq., patriarchas tantum et prophetas et antiquæ legis sanctos viros huc adducit, videlicet quod a Christo redeunte ex inferis ad superas sedes translati fuerint; ubi mireris primum sanctorum novæ legis prorsus omitti mentionem, ac ne beatam quidem Mariam, nec apostolos nominari, nec martyres, quos tamen diximus unanimi Ecclesiæ consensu illis jam sæculis, velut statim in cælum aut paradisum receptos, coli cœpisse. Notandum hoc in auctore palam christiano. Mirum deinde ex ipso sanctorum veteris Testamenti numero palam excipi, quin et infernis suppliciis addici, quicumque post Jeremiam vixerint, id est, post captivitatem Babylonicam; quod tamen lato sensu accipiendum, quippe Habacuc et Daniel in sanctorum numero retinentur, qui ambo Jeremia juniores. Cave igitur et Zorobabel et Esdram et Nehemiam et Machabæos et tot justos viros salute exclusos putes. Voluit tantummodo Noster sacram veteris Testamenti historiam cum ipsa prophetarum serie in Jeremia aut sub illa tempora claudere.

Notari etiam velimus additos prophetis, tanquam veteris legis martyres, eos qui ab Hebræis occisi perierunt, καὶ οὓς ἔκταν Ἑβραῖοι, v. 249; intellige præsertim Zachariam filium Barachiæ occisum inter templum et altare (Matth., cap. 23, v. 35), et Isaïam jussu Manasse regis lignea serra dissectum (confer Anabaticon Isaiæ apocryphum, cap. 11, extr., et qui ad illam traditionem respexerunt, Justinum, Origenem, Tertullianum, ipsum fortasse divum Paulum ad Hebr., cap. 11, v. 37), ceterosque de quibus scriptum est in evangelio Matthæi, loc. supra cit. v. 37 : « Jerusalem, quæ occidis prophetas, et « lapidas eos qui ad te missi sunt ». Ultimum notandum, omnes illos qui Deo judicanti assistunt, prius licet divinæ gloriæ jam compotes, tamen, ut ceteros, e sepulcris corpora recipere tunc debuisse, quod quidem aperte de Mose declaratur a Sibyllista, v. 256, sq. :

Ἥξει καὶ Μωσῆς ὁ μέγας φίλος Ὑψίστοιο,
Σάρκας δυσάμενος.

Hic summi judicis comitatus erit, hic apparatus, antecedente et in cæli nubibus coruscante Crucis signo, quod et scriptum erat apud Matthæum, cap. 24, v. 30 : « Et tunc parebit signum Filii hominis ». Aperte etiam huc pertinet allocutio Sibyllina ad sanctam Crucem lib. VI, v. 27, sq. :

Οὐχ ἕξει σε χθὼν, ἀλλ' οὐρανὸν οἶκον ἐπόψει,
Ἡνίκ' ἂν ἀστράψῃ τὸ νέον Θεοῦ ἔμπυρον ὄμμα.

Qua de re rursus nos aliquid infra cap. 31; et diserte de eodem argumento Vincentius Bellovacensis, tanquam pictoribus et artificibus ævi sui materiem præbens, Spec. Nat. lib. XXXII, cap. 105 : « Dominus quidem in aere apparebit supra locum unde ascendit; et « erunt coram eo, tanquam triumphi vexilla, suæ mortis instrumenta, « videlicet crux et clavi et lancea; unde dicit Chrysostomus quod an- « geli signum crucis excelsis humeris portabunt, et regium nobis ad- « ventum tanquam vexillo et pompa regali præcedente nuntiabunt. »

Sed addendum, quod scriptoribus et pictoribus minus notum a Sibyllistis huc profertur, aliud supremi judicii instrumentum : columna nempe seu palus ingens, græce κίων, quem palum igneum sive ignibus cinctum superne in nubibus defigi et ad majorem incutiendum scelestis metum ostentari videmus, lib. VII, v. 25, sqq. :

Κρεμάσει δὲ δι' αἰθέρος ἄξονα μέσσον,
Στήσει δ' ἀνθρώποισι μέγαν φόβον ὑψόσ' ἰδέσθαι,
Κίονα μετρήσας μεγάλῳ πυρὶ, οὗ ῥαθάμιγγες
Ἀνθρώπων ὀλέσουσι γένη, κακὰ δηλησάντων.

Idem palus, et fortasse ex eodem libri septimi loco desumptus, item ante tribunal Dei defigitur, libro II, v. 241 :

Μέγαν δέ τε κίονα πήξῃ,

atque ad ipsum alligati plectuntur impii, ibidem infra, v. 284, sqq. :

Σὺν τοῖσι καὶ αὐτοὺς
'Οργὴ ἀπουρανίοιο καὶ ἀφθάρτοιο Θεοῖο
Κίονι προσπελάσειεν, ὅπου περὶ κύκλον ἅπαντα
Ἀκάματος ποταμός τε ῥέει πυρός, κ. τ. λ.

Sumpta itaque videtur hæc imago, sicut olim in notis diximus, ex horribili spectaculo infelicis pali quem magistratus Romanus ante tribunal defigendum curabat, ad quem alligatos virgisque cæsos martyres et confessores crebro spectabat Christiana plebs illo ipso tempore quo hæc in utroque libro VIII et II scribebantur, sæculo III fere medio, sævientibus adhuc adversus nova sacra priscis legibus, et cessante interdum, nunquam vero desinente, quæ ad illius pæne sæculi finem duravit, persecutione.

CAP. XXIV. *De igne probatorio.*

Constituto judicio, sedente in tribunali Patre cum Filio, mortales (exceptis forsitan iis qui tribunali astare dicti sunt), per ignem agentur omnes, seu macularum, si quæ supererant, eluendarum causa, seu dijudicandæ reorum vitæ, utri mercede digni, utri venia indigni sint; quo de igne Noster ipse audiendus, II, v. 253, sqq. :

Καὶ τότε δὴ πάντες διὰ αἰθομένου ποταμοῖο
Καὶ φλογὸς ἀσβέστου διελεύσονθ'· οἵ τε δίκαιοι
Πάντες σωθήσοντ'· ἀσεβεῖς δ' ἐπὶ τοῖσιν ὀλοῦνται
Εἰς αἰῶνας ὅλους.

Id etiam ab anteriore Sibyllista brevius, sed non obscure significatum erat, lib. VIII, v. 411 :

Ὅταν πυρὶ πάντας ἐλέγχω.

Et sic intelligendum quod in eodem libro statim additur, v. 412 :

Χωνεύσω γὰρ ἅπαντα, καὶ εἰς καθαρὸν διαλέξω.

Et huc fortasse referendum τὸ πῦρ τὸ ἰχνεῦον in ejusdem libri acrostichide, v. 225, sq. : quem locum Julius quoque Firmicus habuisse videtur ob oculos; confer supra, pag. 282.

Optimus vero hic, ut plerumque, Sibyllinorum interpres Lactantius, lib. VII, cap. 21 : « Sed et justos [Deus] cum judicaverit, etiam « in igni eos examinabit. Tum quorum peccata vel pondere vel nu« mero prævaluerint, perstringentur igni atque amburentur : quos « autem plena justitia et maturitas virtutis incoxerit, ignem illum

« non sentient; habent enim aliquid in se Dei, quod vim flammæ re-
« pellat ac respuat. Tanta vis est innocentiæ, ut ab ea ignis ille re-
« fugiat innoxius; qui accepit a Deo hanc potentiam, ut impios urat,
« justis obtemperet. »

Nunc si fontem quæris hujus opinionis, fortasse non aliunde vestigandus est quam ex epistola divi Pauli ad Corinth. I, cap. 3, v. 13, sqq.: « Uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini de-« clarabit, quia in igne revelabitur; et uniuscujusque opus quale sit, « ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mer-« cedem accipiet : si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse « autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem ». Cujus loci interpretatio, licet hodie parum vulgata, adeo non Sibyllistis aut Lactantio propria est, ut et olim a multis et fortasse plurimis utriusque Ecclesiæ Patribus recepta sit, Hilario, Basilio, Nazianzeno, Ambrosio, Hieronymo, Paulino, aliis. Origenem consulto omisimus, quanquam de ea re disertissimum, Homil. 3 in Psalm. 36, et lib. VIII in epist. ad Rom. extr. Maluimus enim auctores citare non doctiores, sed tutiores. Quorum Ambrosius, Origenem tacite secutus, ne divos quidem Petrum et Joannem ab eo igne excipit, Comment. ad Psalm. 16, v. 3. Hilarius vero ne beatam quidem virginem Mariam, ita scribens, in Psalm. 118, v. 20 : « Si ergo in judicii severitatem capax illa Dei « Virgo ventura est, desiderare quis audebit a Deo vindicari? »

Quid novum deinde si Josephus Mariæ conjux, in apocrypha ejus mortis historia, arabice et latine edita a Georgio Wallino, Lips. 1722, rursus a doctissimo Thilone, Lips. 1832 (latine eamdem habet Fabricius in Cod. pseudepigr. V. T.) moriens Deum invocat, tam sanctus vir, ut salvus per illum ignem evadere possit : « Neque prius, inquit, « submergant animam meam fluctus maris ignei : hoc enim omnis per-« transire debet anima ». Qui tamen metus deteriorem prodit istius libri originem : displicet enim in tali viro, quem ab hujusmodi terroribus tot causæ vindicabant. Et quidem veteres sancti Patres omnes profecto intellexerunt, illum per accensos ignes transitum sanctis Dei immaculatis aut prius ab omni labe purgatis, non opprobrium, sed triumphum, non incendium, sed potius refrigerium fore, ut aperte ait divus Paulinus, epist. ad Sever., § 3.

Quæ doctrina, sic emendata, ne hodie quidem catholicæ Ecclesiæ valde repugnat, in ritibus suis feralibus Deum hodieque sic invocanti, « per eum qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem ». Unde nec mirum receptam illam traditionem aut certe toleratam fuisse a recentioribus theologis etiam maxime orthodoxis. Confer multa de eo igne disserentem Bonaventuram,

Sentent., l. IV, dist. 47, art. 2, ubi postquam enixe quæsivit « an ignis « [quem conflagrationis vocat] præcedat vel sequatur judicium », veterem maxime glossam sequens ad Malach., cap. 3, v. 3, ita concludit : « Ignis aliquis præcedet judicium ad purgandos electos : alius sequetur « ad innovationem mundi, qui tandem cruciabit damnatos ». Confer etiam Sixtum Senensem, in Bibliotheca sua, pleraque de ea re Patrum testimonia proferentem, et Bellarminum, de Ætern. felic. lib. II, cap. 11. Ii omnes ignem illum, quocumque demum nomine dixerint (nos probatorium ad Sibyllinam mentem vocamus) ab inferno igne accurate distinxerunt; ab igne conflagrationis universæ sive τῆς ἐκπυρώσεως alii discreverunt, alii non ita. An vero eumdem aliquatenus cum igne purgatorio confundi liceat in iis saltem quos vel adhuc viventes vel nondum satis repurgatos hora judicii deprehenderit, et an aliquid inde lucis afferri possit ad historiam catholicæ de purgatorio doctrinæ, judicent theologi. Certe ad purgatorium ignem respicere videtur illud hemistichium libri VII, v. 157 :

Τοὔνεκα πῦρ μ' ἔφαγεν καὶ βρώσεται,

præsertim si cum ultimo versu comparetur ejusdem libri :

Οὕτω γὰρ ζήσω καὶ ἐς οὐρανὸν ὄμματα πήξω.

Unum addemus, divum Augustinum, quo nullum certiorem auctorem nostra sequitur Ecclesia, ignem probatorium nunc proprio sensu agnoscere videri, de Civ. D. lib. XX, cap. 25, nunc pro sua parte restinguere, dum allegorice explicare conatur, ibid. lib. XXI, cap. 26, adeo res est abstrusa et multis difficultatibus impedita. Quare suspensa tanta lite, satis sit monstrare, quid de ea re medio ævo senserit doctissimus vir et sane ὀρθοδοξότατος, Vincentius Bellovacensis, primum ab orbis conflagratione minime separans ignem probatorium, deinde diversas veterum omnium opiniones in unum corpus, qua potuit arte, conjungens, Spec. Nat. lib. XXXII, cap. 104 : « Venturum, « inquit, judicem ignis præcedet qui faciem hujus mundi comburet; « peribuntque cælum et terra non secundum substantiam, sed secun- « dum speciem, cælum dico aëreum, non æthereum. Tantum enim « ascendet ignis, præambulus judicii, scilicet quindecim cubitis super « cacumina montium, ut hanc mundi partem expurget a peccatis ho- « minum. Terram ergo et mare ex aeris crassitudine conflagrabit [id « est, exuret]. Electos purgabit quoque, secundum Apostolum, in « quibus aliquid purgandum exstiterit; unde et tamdiu durabit, do- « nec omnes purgaverit [nota spatium temporis indefinitum, quod « olim de eodem igne admiserat Origenes]. Purgatis autem nulla- « tenus nocebit. Malis itaque, qui tunc vivi reperti fuerint, erit con- « sumptio; bonis vero refrigeratio. Ut enim ait Augustinus [nempe

« de Civ. XX, 18, extr.], hoc erit incendium mundi sanctis, quod « fuit tribus pueris caminus Babylonis. »

CAP. XXV. *De hominum statu post judicium.*

Ut vero ad Sibyllinam doctrinam redeamus, probati illo igne homines, statim in duos greges separantur, prope ut apud Matth. cap. 25, v. 32, sqq., nominibus tamen ovium et hædorum nonnihil immutatis, lib. VIII, v. 417, sq. :

Καὶ κριὸν κριῷ, καὶ ποιμένα ποιμένι θήσω,

Καὶ μόσχον μόσχῳ, πέλας ἀλλήλων ἐς ἔλεγχον,

et inde statim (omissa judicis sententia, quæ apud Matthæum legitur, sed hic facile supplenda), transferuntur sive ad æternam felicitatem sive ad pœnam æternam, II, 254, sqq.; IV, 43, sqq., 179 (183), sqq.; VIII, 227, sqq., 416, sqq.; Procem. 81, sqq.

Quærendum nunc quodnam felicitatis et quodnam pœnarum genus post judicium hominibus proponatur a Sibyllistis, quanquam aliquid de hac re jam præmisimus. Diximus enim, cap. 9, multos olim Christianos, per duo saltem prima sæcula, etiam qui de millenario ante judicium regno nihil cogitabant, post judicium quamdam semijudaïcam sibi finxisse futuræ felicitatis imaginem, corporeas nempe delicias et omne legitimæ voluptatis genus sive in his ipsis terris, Messia cum sanctis suis regnante (id vero judaïzantibus proprium), sive in loco aliquo terris haud absimili, extra hunc mundum posito, quem Paradisum dixerunt.

Ad priorem sententiam, nempe de terrestri post judicium felicitate, pertinet aperte liber quartus, omnium christianorum antiquissimus, et in ceteris minime a vera fide discedens, hoc fortasse solum peccans, si tamen illis temporibus peccatum fuit, v. 45 :

Εὐσεβέες δὲ μενοῦσιν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν,

et sic infra, v. 181 (186):

Ὅσσοι δ' εὐσεβέουσι πάλιν ζήσοντ' ἐπὶ γαῖαν,

sive ut nov. rec. ἐπὶ κόσμον, quod prorsus idem est; non modo non improbante, sed citante et laudante ultimum hunc locum Clemente Romano, seu quisquis auctor fuit Constitutionum apostolicarum : confer Exc. IV, pag. 259.

Omittimus librum V, pæne judaïcum, qui nihil amplius justis spondet quam restauratam Judææ potentiam, v. 247, sqq., 259, sqq., 413, sqq. Liber vero VIII, § 1, omnino millenarius, terrenam justo-

rum felicitatem exhibet non solum post priorem resurrectionem in terrestri Messiæ regno, v. 169, sq., sed etiam post judicium supremum, v. 205, sqq., quantum quidem ex obscuro satis hujus libri textu colligi potest; confer supra, cap. 9.

Sed reliquos libros huic opinioni minus favere notandum est, præsertim Prooemium, cujus hæc verba sunt, v. 84, sqq. :

Οἱ δὲ Θεὸν τιμῶντες ἀληθινὸν ἀέναόν τε
Ζωὴν κληρονομοῦσι, τὸν αἰῶνος χρόνον αὐτοὶ
Οἰκοῦντες Παραδείσου ὁμῶς ἐριθηλέα κῆπον,
Δαινύμενοι γλυκὺν ἄρτον ἀπ' οὐρανοῦ ἀστερόεντος.

Vides Paradisum ipso nomine suo designatum, id est, positam extra hunc mundum sedem, animabus simul et corporibus justorum reservatam; quàm si hortum quoque vocat poeta, ἐριθηλέα κῆπον, et si manna ibi justis manducanda proponitur, vel figurate hæc omnia capienda sunt, vel certe extra has terras in mundo renovato ponenda. De manna quidem, angelorum cibo minime cum nostris alimoniis comparando, confer Justinum, Dial. cum Tryph. § 57. Confer etiam Rabbinorum de ea re somnia, a Buxtorfio docte collecta, apud Gallæum, not. ad lib. II, v. ult. Nec alia videtur esse sententia libri VII, ubi quum aperte dictum fuerit, v. 148 :

Κλήματα δ' οὐκ ἔσται, οὐδὲ στάχυς,

statim additur mannam cælestem horum omnium loco futuram :

Ἀλλ' ἅμα πάντες
Μάνναν τὴν δροσερὴν λευκοῖς ὑπ' ὀδοῦσι φάγονται.

Et sic aut similiter intelligenda, quæ libro VIII, § 2, de ea re scripta sunt, v. 409, sqq. :

Σπεῖρον ἐπ' εὐσεβίῃ, ἵνα σοι κἀγὼ τάδε δώσω·
Καρποὺς ἀθανάτους καὶ φῶς αἰώνιον ἕξεις
Καὶ ζωὴν ἀμάραντον, ὅταν πυρὶ πάντας ἐλέγχω.

Hæc enim omnia, nec minus fructus æterni quam æterna vita, sunt extra terram in Paradiso carpenda, figurato pleraque sensu. Si dubitas, memineris illam beatorum sedem apud Deum ipsum collocari libro VIII, v. 423 :

Καὶ δόκιμοι παρ' ἐμοὶ τότε χωρήσουσιν ἅπαντες,

et cetera ibidem vide non minus orthodoxa.

Pariter libro II, tam in plerisque orthodoxo, quum legitur, v. 319, sqq., tres fontes in illa justorum sede manaturos, vino, melle, lacte, et terram nullos agrorum fines habituram (quæ satis incogitanter huc adducta sunt e libro VIII, v. 209, sqq.), figurate hæc sunt accipienda de summa felicitate et libertate justorum in æterna sua sede constitutorum. Prius enim iidem dicti fuerant Angelorum transferri

manibus in locum quemdam lucis et vitæ, ubi Dei ipsius vestigia calcantur, v. 317, sqq. :

Εἰς φῶς... καὶ εἰς ζωὴν ἀμέριμνον,
Ἔνθα πέλει τρίβος ἀθάνατος μεγάλοιο Θεοῖο,
Καὶ τρισσαὶ πηγαὶ, κ. τ. λ.

Ergo præter libros IV, V, VIII, § 1, ceteri plerique libri in eo conspirant, ut justis post judicium probe distinctam ab his terris in Paradiso sedem assignent.

De impiorum vero futura sorte simile aliquid ac de justorum felicitate videtur errasse liber quartus, v. 179 (183), sqq.:

Ὅσοι δ' ὑπὸ δυσσεβίῃσιν,
Ἥμαρτον, τοὺς δ' αὖτε χυτὴ πάλι γαῖα καλύψει,

et sic antea, v. 43, sq. :

Καὶ τοὺς δυσσεβέας μὲν ὑπὸ ζόφον ἔμπαλι πέμψει,
Καὶ τότ' ἐπιγνώσονται ὅσην ἀσέβειαν ἔρεξαν.

Erravit scilicet quum impios non in ignem æternum, sed tantum in subterraneos unde exierant locos, ὑπὸ γαῖαν, et in tenebras, ὑπὸ ζόφον, præcipitavit. Quod quidem huc retractum videtur ex judaïca diuque vulgata apud Christianos ipsos opinione de mortuis in obscura sub terris sede judicium manentibus (confer supra cap. 21); sed male omnino : ut enim talem de mortuorum sede sententiam sancti quidam Patres ante judicium admiserint, id certe post judicium ferri non potest, quum æterni ignis comminatione pleni sint omnes novi fœderis libri. Id tamen admisit Noster, probante, uti diximus, auctore Constitutionum apostolicarum, et fortasse multis veterum annuentibus, seu quia judaïcam traditionem inscii sequebantur, seu quod in umbra illa focum æternum ardere crederent : et fortasse tales sibi fingebant illas non semel memoratas in evangeliis tenebras exteriores, σκότος τὸ ἐξώτερον, Matth. cap. 8, v. 12, et alibi. Nec tamen omittendum, paulo pleniorem simulque vero propiorem occurrere hujus loci lectionem in nova libri quarti recensione, ubi additum videmus illis tenebris horrorem Tartari et Gehennæ, v. 185 :

Τάρταρά τ' εὐρώεντα, μυχοὶ, στυγίη δέ τε Γέννα.

Sed illo versu nescimus quam tuto ad controversiam uti liceat, quum et a prioris cognati loci sententia prorsus differat, et auctori Constitutionum plane ignotus fuisse videatur.

Melius sane in Procemio, v. 81, sq. :

Τοὔνεκεν αἰθομένοιο πυρὸς σέλας ἔρχετ' ἐφ' ὑμᾶς,
Λαμπάσι καυθήσεσθε δι' αἰῶνος τὸ πανῆμαρ.

Recte etiam libro VIII, § 2, in acrostichide, v. 228 :

Ἀνόμους δὲ τὸ πῦρ αἰῶσιν ἐλέγξει.

Et quo nullus est de ea re disertior, liber secundus horribiles damnatorum pœnas ita describit, v. 291, sqq. :

Ἔπειτα δὲ νυκτὸς ἀμολγῷ
Ἐν Γεένῃ θηρσὶν ὑπὸ ταρταρίοισι βαλοῦνται,
Πολλοῖς, δειμαλέοισιν, ὅπου σκότος ἐστὶν ἄμετρον.
........................Ἀτὰρ ὕστερον αὖτε
Ἐκ ποταμοῦ μεγάλου πύρινος τροχὸς ἀμφικατέρξει...
Τειρόμενοι βώσονται· ἐπ' οὐχ ὁσίοισι δὲ χώροις
Τίσουσι τρὶς τόσσον ὅσον κακὸν ἤλιτον ἔργον,
Δαιόμενοι πυρὶ πολλῷ...

Hæc omnia non jam in Ἅδῃ fient, communi illa mortuorum sede, sed in Γεένῃ sive, ut alias apud Sibyll., Γέννῃ, loco suppliciis post judicium subeundis reservato, qui a Justino martyre ita definitur, Apol. I, § 19 : Τόπος ἔνθα κολάζεσθαι μέλλουσιν οἱ ἀδίκως βιώσαντες. Nota futuri signum μέλλουσιν, ut intelligas a tempore demum novissimo pœnas Gehennæ (sic ille quidem) incepturas.

Illam vero post judicium piorum impiorumque novam vitam, qualemcumque demum et quibuscumque in locis agendam, fine carituram atque æternam fore, ut diximus, Sibyllistæ plerique omnes cum theologis consentiunt. Idque vel e locis supra allatis abunde discere est, ut Procem. v. 82 : Καυθήσεσθε δι' αἰῶνος, ibidemque v. 85, sq. : Τὸν αἰῶνος χρόνον οἰκοῦντες Παραδείσου κῆπον, et lib. VIII, v. 169, sq. : Ἁγνὸς ἄναξ σκῆπτρα κρατήσει εἰς αἰῶνας ἅπαντας, et infra, v. 218 : Βασιλεὺς αἰῶσιν ὁ μέλλων, ibidemque v. 228 : Ἀνόμους δὲ τὸ πῦρ αἰῶσιν ἐλέγξει, et infra v. 410, sqq. : Καρποὺς ἀθανάτους, καὶ φῶς αἰώνιον, καὶ ζωὴν ἀμάραντον, et lib. II, v. 255, sq. : Ἀσεβεῖς δ' ὀλοῦνται εἰς αἰῶνας ὅλους. Mirum igitur in hoc ipso libro II singularem occurrere doctrinam de damnatis post judicium ex inferno igne redimendis, qua de re nonnulla dicere jam cogimur.

CAP. XXVI. *De damnatis post judicium liberandis.*

Singularem hanc diximus esse doctrinam; estque in Sibyllinis ipsis singularis, uni quippe libro propria. Locus est sub libri secundi finem, v. 331, sqq. :

Τοῖς καὶ ὁ παντοκράτωρ Θεὸς ἄφθιτος ἄλλο παρέξει
Εὐσεβέσιν, ὁπόταν Θεὸν ἄφθιτον αἰτήσωνται·
Ἐκ μαλεροῖο πυρὸς μακραιώνων τ' ἀπὸ βρυγμῶν
Ἀνθρώπους σῶσαι δώσει· καὶ τοῦτο ποιήσει.

Λεξάμενος γὰρ [ἕκαστον] ἀπὸ φλογὸς ἀκαμάτοιο,
Ἄλλοσ' ἀποστήσας πέμψει διὰ λαὸν ἑαυτοῦ
Εἰς ζωὴν ἑτέραν καὶ αἰώνιον ἀθανάτοισιν,
Ἠλυσίῳ πεδίῳ, κ. τ. λ.

Quo in loco statim quivis agnoscat unum ex erroribus non paucis qui olim viventi adhuc doctissimo viro Origeni vitio versi sunt; quorumdam tamen sanctorum Patrum suffragiis, etiam quarto sæculo, vel comprobati vel tolerati; sed postea communi Ecclesiarum consensu reprobati. Origenes enim ne divinæ misericordiæ modum ullum statueret, homines etiam extremo judicio damnatos ab infernis ignibus aliquando liberandos excogitaverat (confer adv. Cels. lib. IV, § 10, 69; V, §16; VIII, § 29, 30; VIII, § 48, 72, et de tota re Huetium in Origenianis); nec homines modo, sed ipsos dæmones, etsi hoc ultimum non tam propriis apud ipsum verbis expressum reperitur, quam conjectando ex ejus scriptis, præsertim περὶ ἀρχῶν, lib. I, cap. 6, induci potest : nam ipse de dæmonibus quidem diserte negavit in epistola ad Alexandrinos amicos suos (ex interpretatione Rufini, quam male carpsisse videtur Hieronymus), Origen. ed. 1733, t. I, pag. 5, not. Acerrime tamen hoc utroque crimine adversus eum invehuntur multis locis Epiphanius, Hieronymus, Augustinus, quanquam hic magis æque, et de dæmonibus quidem subdubitans an vere ita senserit Origenes; ait enim, de Civ. D. lib. XXI, cap. 17 : « Quæ « sententia si propterea bona et vera, quia misericors est, tanto « erit melior et verior quanto misericordior fuerit. Extendatur ergo « ac profundatur fons hujus misericordiæ usque ad damnatos an« gelos..... Non audent tamen se ulterius miserando porrigere et « ad liberationem ipsius quoque diaboli pervenire. Verum si aliquis « audet, vincit nempe istos; et tamen tanto invenitur errare de« formius et contra recta Dei verba perversius, quanto sibi videtur « sentire clementius. » Notandum quam prudenter vir sanctus Origenem innuat quidem, non tamen aperte designet. Confer eosdem errores Origeni tribuentem Sulpicium Severum, dial. I, § 3, et notabile de diabolo divi Martini judicium, apud eumdem in ejus sancti vita, § 24. Utique, rejectis quæ dubia sunt, certum est de impiis ex inferno supplicio liberandis perperam sensisse Origenem, inductum videlicet in errorem vel nimia divinæ charitatis præsumptione, vel quod magis credimus, Platonicis et Philonicis commentis de animarum futuris post mortem vicibus, quas ipse, præ nimia doctrinæ intemperantia, cum christiana philosophia conciliare frustra conabatur. Multos ille ac nimis multos eruditione et fama sua in eosdem errores traxit, quorum numero accensere non dubitamus auctorem prima-

rium Sibyllinorum librorum I et II, Origeni supparem ætate ac, nisi multum fallimur, ex ejus schola profectum.

Isti tamen errores, licet per se graves minimeque ferendi, sopiti fortasse jacuissent cum tot aliis primævorum Patrum, præsertim Græcorum, privatis opinionibus, imputandis suorum temporum libertati, ignoscendisque sane, quandiu de gravissimis plerisque controversiis nondum quidquam ab Ecclesia statutum erat. Male autem cum Origene actum est quod bis recruduerunt ejus errores, bisque damnandi fuerunt, primum, ut diximus, sub quarti sæculi finem, tum quum in Alexandrina synodo reprobati sunt; deinde sexto sæculo, tum quum Justinianus imperator, arrepta cupidius fortasse quam decuit theologici certaminis occasione, concilium II Constantinopolitanum adversus Origenem ejusque asseclas concitavit severissima epistola, legenda, si cui vacat, apud Cedrenum, pag. 660, sqq., ed. Bonn., cujus extrema sunt : Διὰ ταῦτα γοῦν... προτρέπομεν τοὺς ὁσιωτάτους ὑμᾶς... ἐπιμελῶς ἐντυχεῖν τῇ ὑποτεταγμένῃ ἐκθέσει, καὶ ἕκαστον τῶν αὐτοῦ κεφαλαίων κατακρῖναί τε καὶ ἀναθεματίσαι μετὰ τοῦ δυσσεβοῦς Ὠριγένους καὶ πάντων τῶν τοιαῦτα φρονούντων ἢ φρονησόντων εἰς τέλος. Ἔκθεσιν vocat errorum syntagma quos Origeni ascribit, quosque omnes enumeratos reperias in ejusdem principis epistola ad Menam patriarcham, ubi post alios anathematismos hic extremus additus est: Εἴ τις λέγει ἢ ἔχει πρόσκαιρον εἶναι τὴν τῶν δαιμόνων καὶ ἀσεβῶν ἀνθρώπων κόλασιν, καὶ τέλος κατά τινα χρόνον αὐτὴν ἕξειν, ἤγουν ἀποκατάστασιν γενέσθαι δαιμόνων ἢ ἀσεβῶν ἀνθρώπων, ἀνάθεμα ἔστω. Unde mirari subit epitomatorem Sibyllinorum librorum I et II sub Justiniano viventem, quum multa e secundo libro recideret, hoc de damnatis liberandis intactum reliquisse, nisi ipse quoque immunis non fuit ab Origenianis opinionibus tum temporis reviviscentibus.

Posterior vero librarius aliquis, magis orthodoxa sentiens, adeo doctrinam illam perhorruit, ut post librum II, ἀντίῤῥησιν ad hunc locum appinxerit, cujus verba primum ab Opsopœo ex codice regio eruta lucem viderunt in Sibyllina ejus collectione; edita deinde a Cotelerio ad Clem. Rom.; item a Fabricio, Bibl. gr. lib. I, cap. 32, aliisque passim, et nobis ipsis sub finem libri II, in hunc modum :

Ψευδῆ προφανῶς· οὐδὲ γὰρ λήξει ποτὲ
Τὸ πῦρ κολάζον τοὺς κατακεκριμένους.
Κἀγὼ γὰρ ἂν εὔξαιμι τοῦθ' οὕτως ἔχειν,
Οὐλαῖς μεγίσταις σφαλμάτων ἐστιγμένος,
Αἳ μείζονος χρῄζουσι φιλανθρωπίας.
Ἀλλ' αἰσχυνέσθω φληναφῶν Ὠριγένης,
Πέρας γενέσθαι τῶν κολάσεων λέγων.

Quorum versuum metaphrasim Fabricii dedimus in cur. post. ad h. l.:

Hæc falsa perspicue : nec unquam desinet
Ille impiorum terror ignis fervidus.
Optarem et ipse equidem ista sic contingerent,
Qui maximis maculis inustis criminum
Deformor ipse, queis plus gratia est opus.
Verum erubesce, nugigerule Origenes,
Qui desituras esse pœnas dictitas.

Quando hæc vel a quo græce scripta? Imo, pæne interrogare ausimus, græcene an barbare? quippe quum εὔξαιμι vel rudes aures ac minime delicatas offendat. Cetera tamen magis ferenda. Nam quantitas aperte neglecta in vocalibus ancipitibus juxta receptum medio ævo morem, ætatis potius quam ignorantiæ indicium est. Iambus autem oxytonus in fine primi versus minus nos offendit quam clariss. Boissonadium ad Philostr. epist. pag. 72, quia versus hi sunt iambici, non politici, et tales nonnullos, tali clausula, quamvis rariores, occurrere apud Pisidem, Tzetzen, Philen, aliosque, ne ipse quidem negaverit summus vir. Imo libentius inde colligeremus scriptum hoc esse scholion antequam politici metri prosodiæ aures omnino assuevissent, VII puta vel VIII sæculo. Sed et fortasse multo serius. Certe non scripsit hæc epitomator librorum Sibyllinorum, qui potius locum suspectum omisisset quam Sibyllas suas, tantum in præfatione laudatas, ultro mendacii et stoliditatis, ψευδοῦς καὶ φληναφίας, incusasset. Quisquis vero scripsit, is profecto vel auctorem vel lectorem habuit Theophylactum, iisdem pæne syllabis hæc habentem : Ἄσβεστόν ἐστι τὸ πῦρ ἐκεῖνο, ὥστε φλυαρεῖ ὁ Ὠριγένης λέγων ὅτι ἔσται τέλος τῆς κολάσεως, ad Matth. c. 3, v. 12.

CAP. XXVII. *De intercessione sanctorum ac præsertim beatæ Mariæ Virginis.*

Modo, quum libro II Origenianum errorem notaremus de damnatis aliquando liberandis, omisimus quod in ea re Sibyllistæ proprium fuit (neque enim hoc saltem videtur poeta a magistro suo didicisse), fore ut sanctorum precibus ea venia concederetur. Sanctos ergo pro impiis intercedentes plus valituros agnoscit quam impios pro se ipsos, quorum preces aversaturum Deum judicem dixerat supra, v. 311 :

Καὶ τότ' ἀποστρέψει φανερῶς τὸ πρόσωπον ἀπ' αὐτῶν.

In quo videtur aliquatenus Origenis errorem levasse, ipse tamen

in luto hærens, quoniam recte monet Augustinus, de Civ. D. lib. XXI, cap. 24, sanctorum preces nihil impiis profuturas in judicio : quanto minus post judicium! Et sane diligentior Nostro fuerat auctor anonymus Esdræ libri IV apocryphi, cap. 7, v. 41, sqq., ubi Deus interrogatus cur non sanctis liceat in judicio, sicut quondam prophetis aliisque justis viris, orare pro impiis, ita respondere fingitur : « Præ- « sens sæculum non est finis;... propter hoc oraverunt [justi] pro in- « validis. Dies [vero] judicii erit finis temporis hujus... Tunc enim « nemo poterit salvare eum qui periit. » Lætamur tamen, quod, infectus licet illa corruptela, Sibyllinus hic locus integer ad nos pervenerit. Habemus enim ejus beneficio testimonium antiquissimum certissimumque fidei jam apud primævam Ecclesiam vulgatæ de intercessione sanctorum, v. 331, sqq. :

Τοῖς καὶ ὁ Παντοκράτωρ Θεὸς ἄφθιτος ἄλλο παρέξει
Εὐσεβέσιν, ὁπόταν Θεὸν ἄφθιτον αἰτήσωνται, κ. τ. λ.

Antiquissimum dicimus, quod hic liber scriptus fuerit sæculo tertio fere medio; certissimum, vel ideo quod servatum ad nos usque sit invitis ipsis librariis, sicut ex apposita ad h. l. et supra discussa antirrhesi constat. Confer supra pag. 538, sq.

Porro fatendum est illam sanctorum intercessionem in Sibyllino nostro libro post judicium tantum fieri, tum quum in Paradisum admissi æterna gloria fruituri sunt. Diximus enim supra, cap. 21, recepta tum apud multos Christianos et inprimis apud Sibyllistas opinione, justis ante judicium supremum nondum patuisse ad exeundum Orci portas, unde sequebatur illorum intercessioni locum nondum esse, nisi qui ex inferis vel a Christo resurgente extracti vel singulari gratia indemnes exempti fuissent. Sed quantumvis vulgata tum fuerit ea doctrina, tamen exceptos fuisse communi lege sanctos martyres, ipso testante Irenæo, notavimus supra, pag. 523, sq. Nec dubium est quin ad alios quoque pertinuerit illud anteceptæ felicitatis privilegium, simulque pro nobis intercedendi copia : videlicet ad sanctos Apostolos, si qui eorum pauci martyrii palma caruerunt, ut de divo Joanne fertur; præcipue vero et ante alios omnes ad beatam virginem Mariam, ad quam nunc est cum debita veneratione accedendum.

Est de ejus intercessione singulare testimonium bis obvium in Sibyllinis, ubi finis ultimus mundi dilatus in septem sæcula dicitur Virginis sanctæ precibus, lib. VIII, v. 357, sqq., et II, v. 312, sq. :

Ἑπτὰ γὰρ αἰώνων μετανοίας ἤματ' ἔδωκεν
Ἀνδράσι πλαζομένοις διὰ χειρὸς Παρθένου ἁγνῆς.

Quod tamen nimis urgendum non putamus, quia serius intercalatum

utroque loco videtur, uti jam alias annotavimus. Causa nobis sic opinandi non una est : 1° quod ad illam sæculorum prolationem nemo veterum Patrum alluserit; 2° quod ea plane adversetur communi ac per omnes libros constanti Sibyllistarum consilio, ut homines a pravis moribus ac præsertim a falsorum deorum cultu deterreant venientis iræ metu, ἐρχομένης μεγάλης ὀργῆς; 3° quod ipsa vox διὰ χειρός, figurato isto sensu adhibita (διὰ χειρὸς Παρθένου pro διὰ Παρθένου), ætatem recentiorem sapiat; 4° quod similis interpolationis item in beatæ Virginis honorem admissæ exemplum alterum habeamus lib. I, v. 358, sq. ubi post quinque panes et duo pisces in deserto multiplices factos, fragmenta ciborum reservantur in divinæ matris usum :

Τὰ δὲ λείψανα τούτων
Δώδεκα πληρώσει κοφίνους εἰς Παρθένον ἁγνήν,

quemnam, rogamus, in usum, nisi ut illas reliquias ceteris mortalibus distribuat sancta Virgo, nati nempe beneficiorum administra et quasi dispensatrix? Optime sane, nisi vera lectio libro VIII, unde hæc ducta sunt, integra remansisset; ibi enim legitur, v. 277, sq. :

Καὶ τὰ περισσεύσαντα λαβὼν ἅμα κλάσματα πάντα,
Δώδεκα πληρώσει κοφίνους εἰς ἐλπίδα λαῶν,

et sic fere legerat Lactantius, hos ipse versus e Sibyllinis afferens, nisi quod eodem sensu εἰς ἐλπίδα πολλῶν habet. Mutatum igitur hoc hemistichium ab aliquo Virginis eximio cultore certum est; quem etiam eumdem esse duorum supra versuum confictorem, vix ac ne vix quidem dubitamus : et quoniam Sibyllinos libros, hos præsertim I et II, retractatos ab epitomatore scimus, is nobis maxime suspectus est interpolatæ tribus illis, quos diximus, locis, lib. I, II et VIII, honorificæ de beata Virgine mentionis.

Quanquam ante se, dicet aliquis, interpolatam reperire potuerat. Et profecto fieri potuit ut jam quarto sæculo, Constantini fortasse temporibus, quum necessarium videretur mundi nova fata auspicantis fatalem differre diem, veniret in mentem alicui distichon hoc Sibyllinis inserere de septem sæculorum diebus ad pœnitentiam concessis, sicut olim septem dies ante diluvium hominibus condonati fuerant, Gen. cap. 7, v. 10. Quumque tum maxime cultus divinæ Matris per omnes Ecclesias invalescere cœpisset, nihil valde mirum si novum illud Dei optimi beneficium ad beatæ Virginis preces relatum fuit. Et sic olim putavimus scripsimusque; neque id male convenire videbatur cum iis quæ alibi observata fuerant de interpolatione libri VIII, v. 133-136, quam iisdem Constantini temporibus factam suspicati sumus. Nunc vero, attentius perpensa re, interpolationes de sancta Virgine malumus ab editore sive epitomatore sexto sæculo vivente

profectas esse. Quid ita? Quia, ut modo innuebamus, supremum Dei judicium in tam remotum differre tempus, difficile ac temerarium fuisset; nec causa erat cur quarto sæculo de septimo cogitaretur. Contra sexto sæculo facile cuivis succurrere potuit ut fatalem illam horam in proximum ævum rejiceret. Si quis tamen aliter sentit, esto; nec de interpolationis tempore acrius contendere velimus, modo ne de interpolatione ipsa dubitetur.

Quamvis autem de speciali ac præcipua sanctæ Mariæ Virginis intercessione non tam fortasse antiqua sint hæc testimonia quam illud supra de sanctorum omnium precibus, nihilo tamen minus certum est beatæ Virginis laudibus ita interspersos esse Sibyllinos libros, ut inde pateat quanta Sibyllistis fuerit nominis illius veneratio. Facile hoc agnoscitur quoties Παρθένου ἁγνῆς mentio fit, lib. I, v. 359; II, v. 313; VIII, § 2, v. 270, 358; sed præsertim toto fere libro VIII, § 3, quem pæne hymnum esse dixeris in divinæ Virginis laudem, adeo ibi Παρθένος illa, v. 458, 462, 473, et Κούρη, v. 461, 468, et Ἀειχούρη, v. 463, suavissimis coloribus depingitur divinum ab Angelo nuntium auribus et præcordiis excipiens v. 460, sqq.; cujus cogitatione non ad illum insolitum sibi artis gradum evectus esset poeta, nisi admodum argumenti sui religione plenus fuisset.

CAP. XXVIII. *De angelis.*

Post beatam Deiparam angelis locum damus, de quibus pauca dicenda erunt, quia in Sibyllinis libris munera iis prorsus eadem, quæ passim in scripturis sacris, assignantur. Ac generalis quidem de iis doctrina exponitur lib. VII, esse iis singulas rerum partes distributas, ut alii ignibus præsint, alii fluviis, alii ventis, alii civitatibus, v. 33:

Οἱ δὲ διαγγελτῆρες ὑπαὶ ποσὶ κοιμήσονται,
Οἵ τε πυρὰς φαίνουσι, καὶ οἱ ποταμοὺς φαίνουσιν,
Οἵ τ' ἄστη σώζουσι, καὶ οἱ πέμπουσιν ἀήτας.

Quam doctrinam multis sanctæ scripturæ ac præsertim Apocalypseos exemplis firmari posse, diximus in notis ad h. l. Adde Justinum, Apol. II, § 5; Athenagoram, Legat., § 24; et Patres pæne omnes cum theologis antiquis recentibusque.

Præterea stipare dicuntur Christi thronum, ejusque subesse pedibus, Sibyll. lib. VII, loc. cit. et lib. III, v. 1, sq. Iidem in fine rerum mortuos e sepulcris excitabunt, lib. II, v. 214, sqq. Iidem Dei judicio assistent, ibid. v. 243. Post judicium damnatos virgis ferient,

verberatosque Orco tradent, ibid. v. 287, sqq.; justos autem manibus sublatos in æternæ vitæ sedem transferent, v. 316, sq.

Notari possent plures in Sibyllinis ordines spirituum angelis affinium, quia lib. III, v. 1, citantur nomine suo Χερουβίμ, nisi hoc exordium interpolationis crimine laboraret : confer Exc. V, cap. 12.

Notanda vero inter angelos ipsos hierarchia quædam; non quod lib. VIII, v. 461, ἀρχάγγελος e quorumdam exemplarium fide reponendum putemus, ubi αὐτάγγελος, licet impropria, vera est lectio; sed in judicio Dei, lib. II, v. 215, aperte præcipuas gerunt partes angeli quatuor Michaël, Gabriel, Raphaël, Uriel. Etsi primus ex iis Michaël, qui etiam apud Danielem et in Apocalypsi principatum tenet angelorum, in Sibyllino versu honore fruitur minus certo, vacillante circa ejus nomen lectione. Secundus Gabriel rursus prodibit libro VIII, § 3, divini nuntii munere, prorsus ut in evangelio Lucæ, defungens. Tertius Raphaël semel apparet hoc loco, notus e Tobiæ historia. Quartus Uriel huc inexspectatus adest, nusquam obvius in sanctis libris, sed repetendus, si cui vacat, ex Esdræ libro IV, c. 4, sqq., apocrypho sæpe jam a nobis citato. Quanquam multi ea nomina repetere malunt ex Enochi libro pariter apocrypho. Hic quidem paulo antiquior pseudo-Esdra, scriptus nempe primo post Christum sæculo, ab uno e Christianis judaïzantibus, multa, imo plura quam quisquam, nomina habet angelorum bonorum malorumve; neque ea tamen, ut multi crediderunt, ex se ipse profert, sed ex antiquis judaïcæ ac præsertim pharisaïcæ scholæ traditionibus, post captivitatem Babylonicam e chaldaïca disciplina retentis. Taxat Augustinus, de Hæres. cap. 6, Valentinianos aliosque Gnosticos, « quod dogmata « tradiderint fabulosissimis plena figmentis, et principum vel angelo« rum nominibus terribilibus infirmos animos ceperint». Idque constat ex innumeris eorum tesseris seu diagrammatis hodieque superstitibus. Verum ista tamen nomina hebraïcum sonant omnia; neque istis hæreticis propria fuisse, sed pleraque ex antiquis Judæorum apocryphis atque ex intima cabbalistica penu desumpta prodiisse, neminem opinamur esse qui dubitet.

Quod si quis ex Enocho malit, saltem fateatur necesse est libere Nostrum cum auctore suo egisse. Nam apud Enochum, qualis in æthiopica versione legitur, cap. 39, 52, 54, 70, quatuor angelorum principes sunt Michaël, Raphaël, Gabriel et Phanuel, qui et sub mundi finem dæmonum exercitum in inferos præcipitem acturi prædicuntur ibidem, cap. 52. Porro in Sibyllinis duæ sunt unius versus lectiones, neutra cum Enocho bene constans; quarum una est, lib. II, v. 215 :

Ἥξουσι Μιχαὴλ, Γαβριὴλ, Ῥαφαὴλ τ' Οὐριὴλ,

sic quidem R. L. F. optimi codices, sed passim recentiore manu retractati; contra codd. A. B. S. cum edit. pr., minus illi quidem boni, sed non semel ad antiquam scripturam propius accedentes :

Ἤκαρ'... Ἐρομιήλ, Οὐριήλ, Σανιήλ, Ἀζαήλ τε,

unde cavendum ne vetus lectio fuerit :

Ἥξουσ' Ἱρεμιήλ, Ὀριήλ, Σανιήλ, Ἀζαήλ.

Notus est Hiremiel seu Jeremiel ex Esdræ libro IV. Saniel vide an cum Enochi Phanuele idem sit. Oriel idem aperte Nostro fuerit, qui vulgo Uriel. Sed Azaël, alias Azalzel, stare vix potest, quia dæmonum, non angelorum principibus vulgo accenseri solet; et sic in ipso Enochi libro, cap. 42 et 68. Ceterum nec dissimulamus, apud ipsum Enochum variasse olim archangelorum nomina, si fides Syncello, t. I, pag. 22, ed. Bonn., citanti tanquam ex Enocho quatuor illos non ad æthiopicum morem, sed prorsus eosdem, qui in Sibyllino textu hodierno leguntur : Οἱ τέσσαρες, inquit, μεγάλοι ἀρχάγγελοι Μιχαὴλ καὶ Οὐριὴλ καὶ Ῥαφαὴλ καὶ Γαβριήλ. Iidem Christo periclitanti succurrunt in falso Barnabæ evangelio a Mahumetanis composito. Uriel quoque citabatur, tanquam pœnitentium fatis præpositus, in alio perantiquo et jam supra memorato apocrypho, cui nomen Pœnitentia Adami, apud Syncell. loc. cit. pag. 18, unde apparet magnam fuisse illius angeli famam. Sed de hac tota controversia confer omnino Fabricium in codice pseudepigr. Vet. Test., et doctissimam de angelorum nominibus dissertationem Joannis Croï, ad calcem Irenæi, ed. Grab. De Sibyllino loco plura nos in curis post. ad h. l.

CAP. XXIX. *De dæmonibus.*

Restat, si dogmata Sibyllina omnia recensere voluerimus, ut etiam de dæmonibus aliquid dicamus. Ii ab ethnicis coli non uno loco traduntur, Prooem. 22. VIII, 47, 386, 393, secundum illud effatum, Psalm. 95, v. 5 : « Omnes dii gentium dæmonia » : sed ita ut communem doctrinam de eorum natura, tanquam angelorum e cælo depulsorum, Sibyllistæ nusquam aperte proponant. Nec vero alteram eorum originem tanquam ab angelis e mulierum commercio prognatorum (Justin. Apol. II, § 5, Lactant. Div. Inst. II, cap. 1) usquam memorant : etsi semel Egregoros nuncupant, lib. I, v. 98, sed ne minimum quidem ad istam fabulam alludentes, ortam primum e Genesi male intellecta, cap. 6, v. 4, nec semel in apocryphis repetitam, Enoch. cap. 7; Test. XII patriarch. in Ruben (confer et Chronicon

Syncelli pag. 19, et Cedreni, pag. 18, ed. Bonn.). Contra videntur plerumque Sibyllistæ hoc dæmonum seu dæmoniorum nomine animas potius indicare defunctorum, non omnium, sed quorumdam præ ceteris insignium, regum puta olim potentium, Saturni, Jovis, etc. Quod quia singulare nimis videtur, ipsis Sibyllinis testimoniis firmandum est. Præcipue libro VIII, v. 45, sqq. :

Ποῦ Ῥείης, ἠὲ Κρόνοιο,
Ἠὲ Διὸς γενεὴ, καὶ πάντων, ὧν ἐσεβάσθης
Δαίμονας ἀψύχους, νεκρῶν εἴδωλα καμόντων,
Ὧν Κρήτη καύχημα τάφου ἡ δύσμορος ἕξει;

Item in secunda ejusdem libri parte, quæ omnium maxime orthodoxa et inter antiquissimas habetur, v. 392, sq. :

Ταῦτα γὰρ, εἰς μνήμην βασιλήων ἠὲ τυράννων,
Δαίμοσι ποιήσουσι νεκροῖς, ὡς οὐρανίοισι.

Atque eodem referri potest illud etiam in Sibyllino Proœmio, v. 22 :

Δαίμοσι τὰς θυσίας ἐποιήσατε τοῖσιν ἐν Ἅδῃ.

Sed multo antiquior fuit ea doctrina, jam quippe apud Judæos recepta ante Christum sæc. II, quoniam occurrit etiam libro III, v. 547, sq. :

Πρὸς τί τε δῶρα μάταια καταφθιμένοισι πορίζεις,
Θύεις τ' εἰδώλοις;

Quibus omnibus locis, si nostram de angelis traditionem secuti essent Sibyllistæ, aliter sane sermonem de iis instituissent; neque ipsos in Orco, Ἅδῃ, communi omnibus mortuis sede, detinuissent (confer supra, cap. 21): sed vel præcipites in Tartarum egissent; vel liberos per terras vagari sivissent hominibus insidiantes; vel ipsos potius in duo quasi genera distribuissent, vagantes alteros in terris, quorum sæpe in evangeliis mentio; alteros in Tartaro vinctos usque ad diem judicii, secundum illud divi Petri, ep. II, cap. 2, v. 4 : « Si enim « Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni de- « tractos in Tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari », cujus loci sensum si quis recte assequi voluerit, græca potius legat : Εἰ γὰρ ὁ Θεὸς ἀγγέλων ἁμαρτησάντων οὐκ ἐφείσατο, ἀλλὰ σειραῖς ζόφου ταρταρώσας παρέδωκεν εἰς κρίσιν κολαζομένους τηρεῖσθαι. Varias multumque discordes veterum sententias de dæmonum conditione confer apud theologos omnes, præsertim in Sixti Senensis Bibliotheca, et apud interpretes Justini, Apol. II, § 5; Athenagoræ, Leg. § 25; Irenæi, lib. IV, § 40. Itaque tertium quasi genus dæmonum in Sibyllinis agnoscendæ sunt impiorum animæ modo dictæ, quæ in Orco quidem, ἐν Ἅδῃ, cum ceteris animis detinentur, ultimo judicio reservatæ; in terris tamen hominum malesano cultu adorantur; et fortasse simulacra sua nonnunquam incolunt ac per oracula loquuntur, etsi nihil est de hac re

satis apertum apud Nostros, sed potius apud Athenag. loc. cit. De animis mortuorum falso creditis aliquam in homines retinere potentiam, Tatianus contra Græcos, § 16 : Δαίμονες δὲ οἱ τοῖς ἀνθρώποις ἐπιτάττοντες, οὐκ εἰσὶν αἱ τῶν ἀνθρώπων ψυχαί. Πῶς γὰρ ἂν γένοιντο δραστικαὶ καὶ μετὰ τὸ ἀποθανεῖν; Alteram vero supra dictæ opinionis partem, qua idolorum cultus ab antiquorum regum sive heroum memoria deducebatur, multis antiquorum Patrum placuisse monuimus supra, cap. 2. Nec mirum isti sententiæ adhæsisse, qui viderent Romanos Cæsares atque ex iis deterrimum quemque in divorum numerum post mortem ascisci, templis, donariis, sacrificiis coli, ut Antinoüm sileamus aliaque istorum temporum portenta. Utique Sibyllinos libros recentiores I et II a recepta de dæmonibus doctrina minus discedere notandum est, quum ex evangelica fide Christum inducunt dæmones corporibus ejicientem, lib. I, v. 355 :

Δαίμονας ἐξελάσει,

aut quum illos damnatis post supremum judicium comites simul et tortores adjungunt, lib. II, v. 291, sqq. :

Ἔπειτα δὲ νυκτὸς ἀμολγῷ,
Ἐν γεένῃ θηρσὶν ὑπὸ ταρταρίοισι βαλοῦνται,
Πολλοῖς, δειμαλέοισιν.

CAP. XXX. *De ritibus sacramentisque christianis.*

Nunc vero, quoniam præcipua christianæ fidei dogmata, prout apud Sibyllistas exposita sunt, recensuimus, de ritibus quoque est agendum, quos arcta cum dogmatibus cognatione devinctos esse, neminem fallit. Porro inter ritus christianos sunt qui religionis ipsius pars necessaria habeantur, minimeque ab ea revelli possint, quos primos in Sibyllinis perquiremus.

E sacramentis, unius baptismi mentio fit, lib. IV, v. 160 (164) :

Ἐν ποταμοῖς λούσασθε ὅλον δέμας ἀενάοισιν,

et lib. VIII, v. 271, de Christo per apostolos baptizante :

Ὕδατι φωτίζων διὰ πρεσβυτέρων ἅμα χειρῶν,

et ibid. v. 315, sqq. :

Ἀθανάτου πηγῆς ἵνα λουσάμενοι ὑδάτεσσι
Τὰς πρότερον κακίας, ἀναγεννηθέντες ἄνωθεν,
Μηκέτι δουλεύωσιν ἀθέσμοις ἤθεσι κόσμου,

et lib. I, v. 339, sqq. de Joannis baptismo :

Καὶ ὕδασι φωτίζεσθαι
Πᾶν δέμας ἀνθρώπων, ἵνα γεννηθέντες ἄνωθεν

Μηκέτι μηδὲν ὅλως γε παρεκβαίνωσι δικαίων.

Vides libris VIII et I, præter efficacem baptismi vim ad ingenitam labem eluendam, fructum quoque accedere non mediocrem, ut homines illo lavacro regenerati a pravis sæculi moribus abalienentur.

Vix notandus mos vetus Ecclesiæ, ut in baptismo totum corpus immergeretur, ὅλον δέμας, lib. IV, loc. cit. Sed alibi de infusione tantum agi videtur, lib. VII, 87 sq. :

Ἀλλὰ λαβὼν κεφαλὴν τοῦδ' ἀνέρος, ὕδατι ῥάνας,
Εὖξαι τρίς.

Ita sane, nisi hic ipse locus aliunde suspectus esset, quippe nova quædam et insolita continens. Non enim hic de catechumenis rite baptizandis agitur : sed vir advena, pauper, opem quærens, domo Christiani cujusdam excipitur, et antequam hospitali beneficio donetur, volens nolens aqua in caput infusa tingitur. Ipsæ, quæ adduntur, preces a solemni in tali re verborum formula remotæ sunt. Consonant autem cum iis quæ paulo ante præcesserant de aqua in ignem libanda ad commemorandum Christi baptismum per ignem, ibid. v. 81; item de avibus in cælum emittendis ad imitandam Verbi generationem, ibid. v. 79, sq. : quæ omnia non tam ritus in Ecclesia receptos quam hæretici novas res molientis deliria prodere videntur. Sed de libro septimo et jam in Excursu priore diximus, et rursus infra dicendum erit, ubi de Sibyllinis hæresibus agetur.

De ceteris sacramentis nihil in nostris libris. Nequaquam enim ad sanctam divinamque Eucharistiam pertinere putamus illud libro VIII, v. 403, sq. :

Τούτῳ θὲς καθαρὰν σὺ ἀναίμακτόν τε τράπεζαν
Πληρώσας ἀγαθῶν,

quum statim sequatur :

Καὶ δὸς πεινῶντι τὸν ἄρτον,
Καὶ διψῶντι ποτὸν, καὶ εἵματα σώματι γυμνῷ.

Quare non de cælesti cibo τράπεζαν illam interpretamur, sed de fraterna mensa pauperibus oblata; estque merum fraternæ caritatis præceptum. Nec obstat quod deinde sequitur, v. 408 :

Καὶ ζῶσαν θυσίαν ταύτην τῷ ζῶντι πόριζε.

Dicit enim mutuæ caritatis officium, quod in anima vivente exerceatur, Christianis esse quasi vivum quoddam sacrificium. Figurate hoc dictum, ut in psalmo notissimo : « Sacrificium Domino spiritus contribulatus, etc. » Etsi veremur ne hoc loco, nobis invitis, abutantur qui sacrificii nomen, saltem eo quo solet usurpari sensu, a nostris mysteriis amovere volunt, illudque, quoties apud antiquos Patres usurpatum de ea re reperitur, omnibus modis trahunt, vexant. Sed istos

35.

sibi complacere sinamus, satis redarguente Justino, Dial. cum Tryph. § 41, 117, etc. Nos interim veterum Christianorum mores hic agnoscamus hospitales et cum frugalitate ac sobrietate munificos. Quod si incruentæ dapes commendantur, id imputandum est austeriori quorumdam tunc viventium disciplinæ, qualis fuit Therapeutarum, qui in Ægypto monasticæ vitæ fundamenta jecerunt, a quibus initium duxisse Sibyllinam apud Christianos vaticinationem, sunt qui nec sine causa crediderint; sed nos de ea re paulo infra.

Ceteri christiani ritus, qui rari in Sibyllinis memorantur, sunt, ut quivis ultro sperasset, simplicissimi, et quales in primæva Ecclesia esse decuit. Qui omnes fere his versibus continentur, lib. VIII, v. 497, sqq.:

Ἀλλ' ἁγναῖς πραπίδεσσι γεγηθότες εὔφρονι θυμῷ,
Ἀφνειαῖς τ' ἀγάπῃσι, καὶ εὐδώροις παλάμῃσι,
Μειλιχίοις ψαλμοῖσι, θεοπρεπέεσσί τε μολπαῖς
Ἄφθιτον ἐξυμνεῖν σε καὶ ἄψευστον κελόμεσθα,
Παγγενετῆρα Θεόν, κ. τ. λ.

Quatuor hic religionis officia commendantur: 1° agapæ, quibus Christiani conventus suos celebrabant; 2° eleemosynæ larga manu conferendæ, et quidem inter ipsa agaparum sodalitia; 3° psalmorum cantus jam ab ipsis Apostolis, Christo præcipiente ac præsidente, post cœnam inchoari solitos, Matth. cap. 26, v. 30; 4° cantica (ea vero a psalmis diversa, nisi fallimur) modis decantata jucundis quidem et suavibus, μειλιχίοις, sed simul gravibus et religiosis, θεοπρεπέεσσι.

Ceterum liber etiam V, judaicus aut fere judaïcus, hymnorum meminit in sacrificiis circa sacram mensam usitatorum, v. 266:

Καὶ μούσαις ἁγίαισιν ἐπιστήσουσι τράπεζαν.

Sed ibi de psalmis solis agi credimus, Davidicis nempe aliisve sacra Scriptura inclusis, quæ sola Judæorum literatura fuit. Christianos vero nova cantica atque carmina veteribus addidisse ideo credimus, quia non Deo tantum Patri, sed etiam Christo decantata fuisse testantur ipsi gentiles, Plinius inprimis lib. X, epist. 97, ad Trajanum: « Stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo, « dicere secum invicem. » Id plane confirmat Eusebius, Hist. eccl. lib. V, cap. 28: Ψαλμοὶ δὲ ὅσοι καὶ ᾠδαὶ ἀδελφῶν ἀπ' ἀρχῆς ὑπὸ πιστῶν γραφεῖσαι τὸν Λόγον τοῦ Θεοῦ τὸν Χριστὸν ὑμνοῦσι θεολογοῦντες. Vides hic antiquissimam illorum carminum originem repetitam ab ipsis nostræ religionis incunabulis, ἀπ' ἀρχῆς. Vides et solemnem illorum materiam, Christi laudes, tanquam Verbi et Dei. Unde et Paulus Samosatenus, Christi divinitati infensus, tollere illum usum conatus erat, damnatus ob hoc in synodo Antiochena, anno 264. Horum

nobis antiquissimum superest exemplum apud Clementem Alex. in fine Pædagogi, Anacreontico metro conscriptum; et quis scit an huc quoque pertineat totus epilogus Sibyllini libri VIII, § 3, 4, quem nos non vaticinium, sed potius hymnum esse diximus in Exc. V, cap. 14.

Viderit lector, talesne cantus in publicis agaparum conviviis celebratos, an privatim et submissa voce preces quasdam ante cibum dictas intelligere velit libro IV, v. 25, sq.:

Ὅσσοι δὴ στέρξουσι Θεὸν μέγαν εὐλογέοντες
Πρὶν πιέειν φαγέειν τε, πεποιθότες εὐσεβίῃσιν.

Nos quidem de privatis precibus hoc dictum malumus accipere, sicut illud de Judæorum matutina supplicatione, lib. III, v. 591, sqq.:

Ἀλλὰ μὲν ἀείρουσι πρὸς οὐρανὸν ὠλένας ἁγνὰς
Ὄρθριοι ἐξ εὐνῆς, κ. τ. λ.

Ut vero ad publica redeamus, notandum omnino quantum in sacris suis ab omni superfluo apparatu veteres abstinuerint Christiani, qui flores et thus et donaria (ἀναθήματα), ac vel ipsum cerarum accensarum usum ad ethnicas superstitiones amandare non dubitant in Sibyllinis, lib. VIII, § 4, v. 488, sqq.:

Οὐδέποτε πρὸς νεῶν ἀδύτοις ἐώμεσθα πελάζειν,
Οὐ ξοάνοις σπένδειν, οὔτ' εὐχωλῆσι γεραίρειν,
Οὐδ' ὀδμαῖς ἀνθῶν πολυτερπέσιν, οὐδὲ μὲν αὐγαῖς
Λαμπτήρων, ἀτὰρ οὐδ' ἄρα τοὺς ἀναθήμασι κοσμεῖν,
Οὐ λιβάνου ἀτμοῖσιν ἀνιεῖσι φλόγα βωμῶν, κ. τ. λ.

Quemadmodum et alio loco lampadum usus gentilibus exprobratur, lib. VIII, § 2, v. 387:

Καὶ λύχνους ἅπτουσιν ἐμοὶ τῷ φῶτα διδόντι.

Par erat etiam quarto sæculo incipiente adversus illam gentilem pompam Lactantii indignatio, Div. Inst. lib. VI, cap. 2: « Num igitur « mentis suæ compos putandus est, qui auctori et datori luminis can- « delarum ac cerarum usum offert pro munere? » Et cetera a nobis citata in notis ad hunc libri octavi locum. Quæ quidem, ut multa alia, desumpta sunt e Sibyllinis a Lactantio; usum tamen indicant etiam tum in multis ecclesiis superstitem simplicis admodum austerique cultus. Tempus mox aderat quo victrix et præpotens Ecclesia novos mores ac præsenti fortunæ suæ magis accommodatos indueret. Quod si quis illos veteres desiderat, laudari potest; sin hos recentiores damnat, durioris videtur esse ingenii, imo, ut plane dicamus quod sentimus, inconsiderate agit, dum in tantis rebus circa leviora litigat, nec satis, ut aiunt, corticem a ligno discernit.

CAP. XXXI. *De sanctæ Crucis veneratione.*

Ritibus quoque annumerari potest cultus antiquissimus sanctæ Crucis, cujus ipsum nomen inter Christianos religione quadam sacratum fuisse constat vel ideo quod in acrostichide celeberrima, lib. VIII, v. 217, sqq. ipsi Redemptoris nomini ac divinis ejus attributis statim subjungatur :

ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΕΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΣΩΤΗΡ ΣΤΑΥΡΟΣ,

et quod summis laudibus bis in nostris libris efferatur clarum illud salutis instrumentum, primum in ipsa acrostichide, v. 244, sqq. :

Σῆμα δέ τοι τότε πᾶσι βροτοῖς σφρηγὶς ἐπίσημος,
Τὸ ξύλον ἐν πιστοῖς, τὸ κέρας τὸ ποθούμενον ἔσται,
Ἀνδρῶν εὐσεβέων ζωὴ, πρόσκομμά τε κόσμου,
Ὕδασι φωτίζον κλητοὺς ἐν δώδεκα πηγαῖς,
Ῥάβδος ποιμαίνουσα σιδηρείη τε κρατήσει.

Deinde lib. VI, v. 26, sqq. :

Ὦ ξύλον ὦ μακαριστὸν, ἐφ' ᾧ Θεὸς ἐξετανύσθη,
Οὐχ ἕξει σε χθὼν, ἀλλ' οὐρανὸν εὐρὺν ἐσόψει,
Ἡνίκα ἀστράψῃ τὸ νέον Θεοῦ ἔμπυρον ὄμμα.

Quem ultimum locum, ac præsertim versum 26 : Ὦ ξύλον ὦ μακαριστόν, κ. τ. λ., non dubitamus Gregorio Nazianzeno fuisse in mente quum scriberet, citatus jam a nobis in Exc. IV, pag. 280 :

Σταυρὸν δὲ σέβοι μέτροισι Σίβυλλα.

Hunc enim Sibyllæ versum celeberrimum atque ipsis gentilibus cognitum fuisse testatur laudatus ibidem Sozomenus, Hist. Eccl. II, § 1 : Καὶ θαυμαστὸν οὔπω τοσοῦτον, ὅπου γε καὶ πρὸς αὐτῶν τῶν Ἑλλήνων συνωμολόγηται Σιβύλλης εἶναι τοῦτο.

Alluditur quoque ad Crucis lignum libro V Sibyllinorum, v. 256 :

Ὃς παλάμας ἥπλωσεν ἐπὶ ξύλου πολυκάρπου.

Moses enim extensis manibus in monte orans fuit semper apud Christianos crucifixi Dei figura, unde lib. VIII, paulo post locum supra cit., v. 251, sqq. :

Ὃν Μωσῆς ἐτύπωσε προτείνας ὠλένας ἁγνάς,
Νικῶν τὸν Ἀμαλὲκ πίστει, κ. τ. λ.

Atque illam Crucis imaginem semper Christianorum mentibus et oculis obversatam fuisse, testes sunt non modo tot veteres sepulcrorum inscriptiones, verum ipsius inimici declaratio, Celsi nempe apud Origenem, lib. VI, § 31, secundo jam sæculo ironice illis objicientis obvium ubique vitæ lignum : Πανταχοῦ δ' ἐκεῖ τῆς ζωῆς ξύλον, κ. τ. λ.

Ex illa sancti ligni veneratione prodiisse scias etiam Crucis signum τὴν σφραγῖδα, apud Græcos admodum jam quarto sæculo usitatum,

teste Epiphanio, Hæres. 19, antiquiusque multo, si eo respicere censeatur quod in Sibyllinis, lib. VIII, v. 244, Crux ipsa σφρηγὶς ἐπίσημος vocatur, incerta tamen et forsan adulterata lectione.

At illud quoque notandum est hemistichium, lib. VI, v. 27 :

Οὐχ ἕξει σε χθών,

quod inde appareat speratum nulli tunc fuisse miraculum Crucis ipsius aliquot post annis Constantini matris Helenæ pietate, si qua fides, reperiendæ. Imo videtur tunc temporis vulgari traditione receptum fuisse, lignum illud venerabile non in terris mansisse, sed translatum esse in cælum :

Οὐχ ἕξει σε χθών, ἀλλ' οὐρανὸν εὐρὺν ἐσόψει,

ubi nempe in judicio supremo olim sperabatur effulsurum; confer supra, cap. 23, extr.

Hæc autem, quæ hactenus diximus, de sola Crucis figura, non de Crucifixi etiam effigie, accipienda memineris, quum ne quarto quidem sæculo publice concessus fuerit imaginum usus in Ecclesiis, etsi tum pietate hominum sensim introduci cœperat, testante id utrumque divi Epiphanii indignatione, quum in quadam monachorum ecclesia obtentum foribus velum reperisset sive pictam sive intextam habens « imaginem quasi Christi vel sancti cujusdam, » ut ipse narrat in epistola, latine tantum servata, ad Hieronym. episc. Jerus. Quoniam, uti putamus, quandiu stetit pagana superstitio, et adversus falsorum deorum imagines assidue invehebantur presbyteri concionantes, non poterant sine infirmi vulgi detrimento ejusmodi simulacra proponi; quæ postea, amoto periculo, utiliter recepta sunt, frustra reclamantibus iconoclastis quum antiquis, tum recentioribus.

CAP. XXXII. *De ciborum quorumdam abstinentia, obiterque de cruentis sacrificiis.*

Restat ut aliquid dicamus de ciborum quorumdam abstinentia in Sibyllinis alicubi commendata. Quo primum referemus illam jam notatam supra, cap. 30, ex libro Sibyllino VIII, v. 403, καθαρὰν ἀναίμακτόν τε τράπεζαν, quam ibi interpretati sumus de carnis abstinentia, eamque diximus videri e Therapeutarum cœnaculis in hunc locum translatam; nec multum hic de ea re, quippe infra recursura quum de Therapeutis agetur.

Redire nunc malumus ad alium versum, Phocylideis gnomis insertum, de quo nos in Exc. V, cap. 11, nempe lib. II, v. 96 :

Αἷμα δὲ μὴ φαγέειν, εἰδωλοθύτων δ' ἀπέχεσθαι.

Hic vel judaicus esse potest vel christianus : sed christianus magis, quia duplicem in uno versu legem exhibet Apostolorum decreto consecratam in Hierosolymitano conventu, Act. cap. 15, v. 29: « Ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum et sanguine », vel ut infra legitur, cap. 21, v. 25 : « ab idolis immolato et sanguine », græce, ἀπ' εἰδωλοθύτων καὶ αἵματος. Idem tamen utrumque præceptum jam antiquitus a Judæis observatum fuit, unum nempe de sanguine non comedendo, Levit. cap. 17, v. 10, sqq.; alterum de immolatis, etsi non tam diserte scriptum invenitur, sponte tamen manat ab idolorum et sacrificiorum ipsis oblatorum detestatione apud Judæos pæne nascentes insita, quorum sacrorum necessario participes fiebant qui de ara carnes sumebant. Porro certum est eam gentem de religione sua nihil tam obstinate retinuisse quam horrorem illum τοῦ μιεροφαγῆσαι, quod nefas etiam vitæ impendio sæpe detrectaverunt : confer maxime Machab. lib. IV apocryph., cap. 8, sqq. Verum ut a sacrificiis idolorum Judæi constanter abhorruerunt, ita nulla erat causa cur sacrificia etiam cruenta, modo vero Deo oblata, aversarentur, unde ipsa reperimus apud Sibyllam commendata non semel, in libri III parte, § 4, mere, ut diximus, judaica, v. 565, 570, 575, sqq., 626, sqq. Sed et libro V semi-judaico, Hebræi, quum a Messia restituti fuerint, sacrificiis, ut olim, vacaturi finguntur, v. 267 :

Παντοίαις θυσίαισι καὶ εὐχαῖς ἐνθεοτίμοις.

Item, postquam in Ægypto ædes veri Dei exstructa fuerit, victimæ eo canuntur adducendæ, ibid. v. 501 :

Κεὶς αὐτὸν θυσίας οἴσει λαὸς θεότευκτος.

Non solum enim Judæi, sed et pars Christianorum judaïzantium (Euseb. Hist. Eccl. lib. III, cap. 28), in futuro Messiæ regno novum templum, novum altare, in eoque prisca sacrificia somniabant.

At veri Christiani non modo falsorum numinum templa et aras et sacra aversabantur, lib. IV, v. 27, sqq. :

Οἳ νηοὺς μὲν ἅπαντας ἀποστρέψουσιν ἰδόντες,
Καὶ βωμούς, εἰκαῖα λίθων ἱδρύματα κωφῶν,
Αἵμασιν ἐμψύχων μεμιασμένα καὶ θυσίῃσι,

sed ne ipsi quidem Deo vero sanguinem victimarum offerri patiebantur, lib. VIII, v. 493, sqq. :

Οὐδ' ἐπὶ ταυροθύτοις μηλοσφαγίας μετὰ λώβης
Αὐθροχαρεῖς πέμπειν, κ. τ. λ.

et huc referendum quod libro VII, quanquam ab hæretico homine, scriptum est, v. 77, sq. :

Οὐδὲ μαχαίρῃ
Ἀρνειὸν κόψεις λασιότριχα.

Ubicumque igitur in Sibyllinis sacrificia cruenta commendari videris, statim vel Judæi manum agnoscas, vel certe Christiani a Judæis oriundi et doctrina judaïzantis. Procœmii tamen cave decipiaris ambiguo loco, qui unus plurimos doctissimosque interpretes in errorem traxit. Ibi enim increpantur gentiles, v. 20, sqq.:

Ὅττι Θεὸν προλιπόντες ἀληθινὸν ἀέναόν τε
Δοξάζειν, αὐτῷ τε θύειν ἱερὰς ἑκατόμβας,
Δαίμοσι τὰς θυσίας ἐποιήσατε.

Increpantur vero, quod sacrificia, si qua erant offerenda, non, ut olim Judæi, vero Deo, sed dæmoniis obtulerint. Hoc, nobis quidem judicibus, non est victimarum cædem imperare; neque id nobis obstitit, quominus Procœmii scriptorem inter Christianos orthodoxos reputaremus; confer Excurs. V, cap. 3.

CAP. XXXIII. *De sanctorum librorum obiterque de apocryphorum usu Sibyllino.*

Nunc exhausta pæne Sibyllina theologia, revertendum est ad ejus originem, librorumque sacrorum ratio est habenda quibus Sibyllistæ usi sunt. Qui quidem libri pro cujusque scriptoris tempore et secta numero diversi fuerunt, iis præcipue sæculis quibus nondum sanctæ Scripturæ canon decretus et constitutus erat.

Liber III Sibyllinus, in iis quidem partibus quæ a Judæo sub Philometore conscriptæ sunt, utitur non Pentateucho solo, sed etiam libris Regum (confer v. 265, sqq.), et Esdræ libro I (confer v. 286, sqq.), et prophetiis, præsertim Isaiæ (confer, v. 616, sqq., 652, sqq., 787, sqq.), Ezechielis (confer v. 512, 649, sqq., 728, sqq.), Zachariæ (confer v. 784, sqq.). Omnes igitur illos libros græce versos habuit Judæus noster hellenista, quod non annotaremus nisi quidam contenderint prophetarum interpretationem græcam, quæ sub LXX virorum nomine fertur, non modo Philadelphi, sed etiam Epiphanis temporibus esse posteriorem.

Sicut vero judaïci libri lectionem imitationemque Veteris Testamenti ubique produnt, ita christiani multa ex utroque Testamento decerpta versibus suis includunt. Quod de libris plerisque sub Antonino Pio vel post illum scriptis ne dictu quidem dignum esset. At liber IV, christianorum Sibyllinorum antiquissimus, scriptus nempe sub Tito vel Domitiano, quid e nostris sanctis libris aut a quibus potissimum hauserit, inquirere forsan operæ pretium sit. Videtur ille nobis vix ad alia Novi Testamenti volumina respicere quam ad Matthæi evan-

gelium, de signis finem mundi præcursuris, v. 168 (172), sqq., et fortasse ad sanctam Joannis Apocalypsim, ubi de Neronis reditu agitur, v. 135 (138), sqq., id vero satis dubie. Unde tamen cave properantius inducas, reliquas sacri instrumenti partes, quæ quidem tunc temporis in manibus hominum versabantur, ignotas Nostro fuisse. Aliud est enim librum ignorare, aliud non citare. Solum Joannis evangelium cognoscere nullo modo potuit, nondum quippe tunc editum, siquidem ultimo demum illius sæculi anno, Trajano rerum potiente, in lucem venturum. De Apocalypsi non tam fidenter idem negare ausimus.

Non quod nos lateat recepta vulgo sententia, et gravissimis Patrum plerorumque testimoniis firmata (quid enim dissimulemus id quod palam est?), ævo supparem habendam esse illam prophetiam ejusdem sancti Apostoli evangelio, scriptam nempe, ut divo Hieronymo placuit, Domitiani anno pæne ultimo. Verum id minime stare potest, si cum ipso Apocalypseos textu conferatur, quia visionem illam propheticam in Patmo insula exsuli sibi oblatam paulo post eversum Neronem sanctus ipse profitetur Apostolus, cap. 17, v. 10 : « Quinque ceciderunt [totidem nempe Romani imperatores « cum quinto eorum Nerone], unus est [Galba haud dubie], et alius « nondum venit [Otho scilicet]; et quum venerit, oportet illum breve « tempus manere. Et bestia quæ erat et non est, et ipsa octava est », Vespasianus nempe, qui, tanquam Nero redivivus, quintus simul et octavus dicitur imperator, sub quo Romanum imperium, sub Nerone prope exstinctum, quasi revixerit. Nota Vitellium ab Apostolo in Asia vivente non debuisse in catalogum referri, quia princeps ille paucorum mensium nunquam in Oriente salutatus fuit.

Porro si hæc sub Galba visa erant, quomodo tanto post sub Domitiani finem narrari intelliguntur? Et si triginta ante annos monita Joanni cælitus missa fuerant de septem Asiæ Ecclesiis septemque eorum angelis sive episcopis, cap. 2, sq., quomodo ea post tantum temporis intervallum ipsis episcopis renuntiabantur? Quod si octavus princeps non Vespasianus, sed aliquis recentior est, dicat aliquis quomodo vel ante ipsum septem numerentur, vel post ipsum decem, quos nos commodissime, a Vespasiano numeratos, in ultimo Antoninorum desinere jubemus.

Adde quod alii jam notaverunt, de Hierosolymis captis ac de templo incenso nullam in hoc libro mentionem fieri; contra ibi, cap. 11, v. 8, sq., de illa urbe sic agi, tanquam adhuc stante et suis civibus habitata : ut hæc scripta fortasse videri possint Vespasiano recens ad imperium profecto, et obsessa jam, sed nondum capta urbe.

Quo tamen argumento nimium abuti nolimus, quia fortasse de Hierosolymis sub finem mundi restitutis agitur.

Sed magis nos movet fervor ille atque impetus mentis, quem in hoc libro persentimus vel in homine quinquagenario mirandum, non vero tam facile admittendum in decrepito ac prope centenario sene; cujus ardorem longo senio temperatum, tepescentem jam et solo divinæ caritatis igne refocillatum, multo sane leniorem invenimus quum in hujus Apostoli evangelio, præter illud vere divinum ac nulli comparandum exordium, tum in ejusdem epistolis, quas senex admodum composuisse fertur.

Scimus quid objici possit : ac primum Nicolaïtarum nomen expressum, cap. 2, v. 6; sed quid mirum eam tum hæresim innotuisse (licet aliter tradentibus Irenæo et Eusebio ceterisque post ipsos), quæ ab uno e primis Christi discipulis Nicolao nomen, et quidni originem? traxerat. Alii objiciunt mentionem ibi factam Thyatirenæ ecclesiæ, cap. 2, v. 18, sqq., quæ ne Trajani quidem temporibus ulla fuisse dicitur. Id vero nobis potius favet, qui de hac re sequimur Epiphanii sententiam, tradentis illam ecclesiam, ab Apostolis conditam, postea defecisse atque episcopo caruisse, rursus tertio sæculo revicturam.

Nihil igitur obstare nobis videtur, quominus ex Apocalypsi male intellecta desumpta esse putemus, quæ libro IV Sibyllino leguntur de Neronis Antichristi reditu.

De quinto libro pauca sunt dicenda, qui pæne judaïcus, ut diximus, de christiana traditione nihil fere retinuit præter Antichristi venturi prædictionem et quasdam ex Apocalypsi malorum imminentium minas, quas in ipso carmine videsis, v. 154, sqq. 161, sqq. 270, sqq. 300, sqq. 343, sqq. 374, sqq. 433, sqq.

Pariter e libris III, § 3, XI-XIV, fere judaïcis, Apocalypseos tantum vestigia nonnulla relegi possunt.

Liber VIII, § 1, christianus ille, sed millenarius, Apocalypsi præsertim utitur (confer v. 37, sqq. 81, sqq. 88, sqq. 95, sqq. 107, sqq. 114, sqq. 151, sqq. 194, sqq. 200, sqq.), quia ejus libri auctoritate falso se muniebat Chiliastarum obstinata persuasio.

At ceteri libri, VIII, § 2, 3, 4 ; I, II, III, § 1, atque ipsi VI et VII, quamvis hi quidem hæretica nota non carentes, scripturis omnibus canonicis uti videntur, atque ipso, quamvis omnium recentissimo, divi Joannis evangelio, ex quo suam de Christi divinitate doctrinam atque ipsum Verbi nomen hauserunt. Plenus est ea doctrina præcipue liber VIII, § 2, eximius, sub Trajano vel Hadriano scriptus, paulo post ipsum illud evangelium; sicut eidem libro affine cognatumque

Proœmium haud dubie respicit ad ejusdem evangelii initia, quando de divina cunctis innata luce sic loquitur, v. 5, sq.:

Ὅστις γλυκὺ Πνεῦμ' ἐν ἅπασι
Κάτθετο, χηγητῆρα βροτῶν πάντων ἐποίησεν.

Veteris etiam Testamenti libros non Mosaïcos modo, sed et historicos et propheticos, Sibyllistis non minus christianis quam judæis innotuisse ac sæpe eorum menti obversatos fuisse diximus, quod plane verum est. Etiam libro I tota fere sacrarum historiarum series e Bibliis sanctis deducitur. Quanquam ab aliis ante nos, sed præsertim a Fabricio et Bleekio, observatum est, nonnihil in eo libro a canonicæ Scripturæ veritate passim discrepare, ut quum in diluvii narratione, v. 242, sqq., columbam primam, deinde corvum emittit poeta, contra Geneseos indicium; item quum deinde, v. 281, sq., Noemum fingit in arca mansisse dies tantum XLI : imo annum plus quam integrum dicere debuisset. Sed hæc levia sunt, in quibus facile memoriter citans errare potuit Noster.

Verum quod illis temporibus necessarium pæne fuit, nondum constituto canone, apocryphas quoque scripturas legitimis admixtas in usum suæ vaticinationis admisere non uno loco Sibyllistæ. Ita quædam desumpta notavimus ex evangelio secundum Ægyptios, lib. II, v. 163, sqq.; lib. VI, v. 6, et VII, v. 84. Quædam ex apocrypha Noemi prædicatione, lib. I, v. 150, sqq. Quædam ex Enochi visione, lib. I, v. 98, sqq. Quædam etiam fortassis ex Hermæ Pastore, lib. VII, v. 71, sqq.

Et quod notandum, in ipsis canonicis libris hoc sibi passim indulgent Sibyllistæ, ut sacram Scripturam cum profanis traditionibus conciliare nitantur: quo referendi sunt duo jam a nobis designati loci, lib. II, v. 232, sqq., et III, v. 97, sqq., et quæcumque lib. I de primis mundi generationibus ex Hesiodea poesi cum Mosaïca historia confusa traduntur; sive id putabant in Sibylla semi-gentili facile excusari posse, sive ita lectoribus approbare studebant ambiguam ejus feminæ naturam ex sacra profanaque mixtam.

PARS TERTIA SIVE ETHICA.

Transimus ad partem Sibyllinæ doctrinæ ultimam et fere optimam, quæ ad morum præcepta pertinet, quam ita dividemus, ut primum Sibyllinos mores, qua merentur parte, commendemus, deinde objecta Sibyllistis crimina vel diluere vel saltem attenuare conemur.

CAP. I. *De moribus Sibyllinis.*

Hic pæne nobis editoribus exsultare et triumphare licet. Nam hactenus quidem circa res historicas summam Sibyllistarum ignorantiam; in theologiæ autem dogmatibus exponendis, falsam interdum aut suspectam eorum doctrinam deprehendimus : jam vero circa mores constantem ipsorum disciplinam inveniemus, nempe ut ab omni malo ad omne bonum invitentur et convertantur homines; idque non in christianis modo, sed etiam in judaïcis libris, ut satis mirari nemo possit, in tot illis versuum millibus diverso tempore et consilio et ingenio scriptis, nullum versum deprehendi qui non sit ad purissimæ vitæ exemplar accommodatus. Et a judaïco quidem libro III initium ducemus, in quo dignum est observatu quanta morum innocentia floruerit illa gens plerisque derisa atque invisa, et quanto populis circumjacentibus hac saltem ratione præstaret, non modo prosperis suis temporibus, sed inversis jam fatis, post longa variæ servitutis mala, quum partim in solo patrio sub importuna Syrorum dominatione degeret, partim exsul in Ægypto inter profanas impurasque nationes, digna tamen quæ tale de se elogium profiteretur, lib. III, v. 220, sqq. :

Οἷσιν ἀεὶ βουλή τ' ἀγαθὴ, καλά τ' ἔργα μέμηλεν.
Οὔτε γὰρ ἠελίου κύκλιον δρόμον, οὐδὲ σελήνης,
Οὔτε πελώρια ἔργα μεριμνῶσι κατὰ γαίης...
Οὐ μάντεις, οὐ φαρμακέας, οὐ μὴν ἐπαοιδούς...
Οὐδὲ τὰ Χαλδαίων τὰ προμάντια ἀστρολογοῦσιν...
Οἱ δὲ μεριμνῶσί τε δικαιοσύνην τ' ἀρετήν τε,
Κοὐ φιλοχρημοσύνη τοῖς γ' ἣ κακὰ μυρία τίκτει...
Τοῖσι δὲ μέτρα δίκαια πέλει κατ' ἀγρούς τε πόλεις τε,
Οὐδὲ κατ' ἀλλήλων νυκτοκλοπίας τελέουσιν,
Οὐδ' ἀγέλας ἐλάουσι βοῶν, οἰῶν τε καὶ αἰγῶν,
Οὐδὲ ὅρους γαίης γείτων τοῦ γείτονος αἴρει,
Οὐδὲ πολύπλουτός τις ἀνὴρ τὸν ἐλάττονα λυπεῖ,
Οὐδέ γε χήρας θλίβει, μᾶλλον δ' αὖτε βοηθεῖ
Αἰεὶ ἐπαρκείων σίτῳ, οἴνῳ καὶ ἐλαίῳ.
Αἰεὶ δ' ὄλβιος ἐν δήμῳ τοῖς μηδὲν ἔχουσιν,
Ἀλλὰ πενιχρομένοισι, θέρους ἀπόμοιραν ἰάλλει,
Πληροῦντες μεγάλοιο Θεοῦ φάτιν, ἔννομον ὕμνον.

In his non omittendum laudari Judæorum abstinentiam a divinationibus et incantationibus et astrologiæ somniis, quæ postea, nempe jam a primo post Christum sæculo et per totum fere medium ævum, huic genti pæne propria fuerunt, licet antiquis eorum legibus plane

vetita, Levit. cap. 20, v. 6, 27; Num., cap. 23, v. 23; Isaï., cap. 44, v. 25; etc., etc.; unde et harum libri tertii partium vetus ætas æraque nostra anterior argui potest. Conf. vero in eodem lib. III, tanquam ad ejus gentis imaginem absolvendam, similes de ea laudes, v. 584, sqq.:

Μούνοις γάρ σφιν δῶκε Θεὸς μέγας εὔφρονα βουλήν,
Καὶ πίστιν, καὶ ἄριστον ἐνὶ στήθεσσι νόημα.
Οἵτινες οὐκ ἀπάτῃσι κεναῖς οὐδ' ἔργ' ἀνθρώπων
Χρύσεα καὶ χάλκεια καὶ ἀργύρου ἠδ' ἐλέφαντος
Τιμῶντες, ὅσα κέν τε βροτοί...
Ἀλλὰ μὲν ἀείρουσι πρὸς οὐρανὸν ὠλένας ἁγνάς,
Ὄρθριοι ἐξ εὐνῆς αἰεὶ χέρας ἁγνίζοντες
Ὕδατι, καὶ τιμῶσι Θεὸν τὸν ἀεὶ μέγαν ὄντα
Ἀθάνατον, καὶ ἔπειτα γονεῖς· μετὰ δ' ἔξοχα πάντων
Ἀνθρώπων οσίης εὐνῆς μεμνημένοι εἰσί.
Κοὐδὲ πρὸς ἀρσενικοὺς παῖδας μίγνυνται ἀνάγνως,
Ὅσσα τε Φοίνικες, Αἰγύπτιοι, ἠδὲ Λατῖνοι,
Ἑλλάς τ' εὐρύχορος, καὶ ἄλλων ἔθνεα πολλά,
Περσῶν καὶ Γαλατῶν, πάσης δ' Ἀσίης...

Dicet aliquis : At enim hæc sunt testimonia Judæorum de se ipsis. Ita sane : sed hæc vel laudare honestum est; hæc adversariis exponere et opponere, conscientiam arguit melioris vitæ; qui hæc de suis gloriatur, de se confirmat.

Dicet alius : Spectant hæc ad Judæos tantum in patria sua viventes, non ad eos qui tum in Ægypto aut in aliis terrarum partibus versabantur. Esto, fuerint paulo laxiores Judæorum Alexandriam incolentium mores : at nos non privatam uniuscujusque, sed communem totius gentis et quasi publicam morum disciplinam intuemur. Ex hac autem Alexandrina laudatione satis patet, quid de suis civibus, quid de receptis apud suos vitæ præceptis senserit etiam, si cui ita placet, deterior pars Judæorum.

Nec tamen negamus multum postea detrimenti passos illos mores, præsertim post ultimam sub Romanis miseræ proscriptæque gentis dispersionem. Itaque libris V et III, § 3, et XI-XIV, fere, ut diximus, judaïcis, vix se dissimulat impostura falsorum prophetarum quæstus causa vaticinantium, etsi ne in talibus quidem scriptoribus quidquam reperias vel a pietate erga Deum, vel a morum castitate, vel a justitiæ præceptis alienum. Imo patriæ gentis ac patriæ religionis amorem ubique constantem et exsertum vel in istis agnoscas.

At in christianis libris quinto libro vel ætate supparibus vel paulo anterioribus rursus elucet judaïcæ disciplinæ vetus sanctitas novæ legis præceptis instaurata atque in melius aucta. Sic enim descri-

buntur Christianorum mores sub Tito vel Domitiano viventium libro IV (seu vet. seu nov. rec.), v. 24, sqq. :

Ὄλβιοι ἀνθρώπων κεῖνοι κατὰ γαῖαν ἔσονται,
Ὅσσοι δὴ στέρξουσι Θεὸν μέγαν, εὐλογέοντες
Πρὶν πιέειν φαγέειν τε, πεποιθότες εὐσεβίῃσιν·
Οἳ νηοὺς μὲν ἅπαντας ἀπαρνήσονται ἰδόντες...
...Βλέψουσι δ' ἑνὸς Θεοῦ εἰς μέγα κῦδος,
Οὔτε φόνον ῥέξαντες ἀτάσθαλον, οὔτε κλοπαῖον
Κέρδος ἄπειρον ἑλόντες (ἃ δὴ ῥίγιστα τέτυκται),
Οὐδ' ἀρ' ἐπ' ἀλλοτρίης κοίτης πόθον αἰσχρὸν ἔχοντες,
Οὔτ' ἐπὶ ἄρσενος ὕβριν ἀπεχθέα τε στυγερήν τε.
Ὧν τρόπον εὐσεβίην τε καὶ ἤθεα ἀνέρες ἄλλοι
Οὔποτε μιμήσονται, ἀναιδείην ποθέοντες·
Ἀλλ' αὐτοὺς χλεύῃ τε γέλωτί τε μυχθίζοντες,
Νήπιοι ἀφροσύνῃσιν, ἐπιψεύσονται ἐκείνοις,
Ὅσσ' αὐτοὶ ῥέζουσιν, ἀτάσθαλα καὶ κακὰ ἔργα.

Ita Christiani morum suorum innocentiam audent palam persecutorum vitiis opponere. Atque in eodem libro redit eadem pietatis professio, v. 148 (152), sqq.

Velimus etiam relegat aliquis octavi libri initium et illam facundam satis et tanquam e pectore sonantem scriptoris imprecationem adversus avaritiam omnium vitiorum causam, v. 17, sqq. Confer et ibidem v. 182, sqq. ubi hominum corrupti mores deplorantur. Confer et in altera ejusdem libri parte humanitatis præcepta tanquam ex ipsius ore Dei prolata, v. 402, sq. :

Εἰκὼν ἐστ' ἄνθρωπος ἐμὴ, λόγον ὀρθὸν ἔχουσα.
Τούτῳ θὲς καθαρὰν σὺ ἀναίμακτόν τε τράπεζαν,
Πληρώσας ἀγαθῶν, κ. τ. λ.

Huc etiam addi velimus e libro II, non omnium antiquissimo neque optimo, virtutum enumerationem, quarum palmæ in cælo paratæ athletis christianis ostenduntur, v. 48, sqq. :

Παρθενικοῖς δὲ δραμοῦσι καλῶς ἄφθαρτον ἄεθλον
Δώσει τοῦ θέματος, καὶ τοῖς τὰ δίκαια νέμουσιν
Ἀνθρώποις πᾶσί τε καὶ ἔθνεσιν ἀλλοδαποῖσι,
Τοῖς ὁσίως ζώουσι, Θεὸν δ' ἕνα γινώσκουσιν.
Οἳ δ' ἀγαπῶσι γάμον τε, γαμοκλοπιῶν δ' ἀπέχονται,
Δώσει πλούσια δῶρ', αἰώνιον ἐλπίδα καὶ τοῖς, κ. τ. λ.

Quibus versibus statim subjicitur, v. 56, sqq., longa illa Phocylidea rhapsodia e scholarum christianarum judaïcarumve dictatis, ut videtur, servata, multo autem plenior exstans in ipso, quod Phocylidi vulgo ascribitur, νουθετικῷ carmine : ubi mireris quam caute et

diligenter excerpta sint, electa, repurgata, atque in usum juventutis accommodata veteris poetæ præcepta, sive labor ille Judæis primum Alexandrinis, sive Christianis tribuendus est, utique a christiano Sibyllista retractatus et in usum sui carminis versus. Quam laudem etiamsi ei demere velis, at vide postea, v. 256, sqq., quot et quibus a vitiis lectores suos deterreat proposito pœnarum æternarum metu; quam carminis partem Phocylideis præceptis supra citatis tanquam ex opposito respondere jure dixeris, et Sibyllinam morum complere disciplinam.

Simul tamen ex his carminibus disci potest, quid jam illis temporibus, tertio nempe sæculo, infringi ac vitium sonare cœpisset in Christianorum et, quod magis mireris, ipsius cleri moribus, quos alicubi taxari videmus versutiæ, injustitiæ et turpissimæ ὑποκρίσεως, nempe in eo ipso libro II, v. 264, sqq.:

Ἠδ' ὁπόσοι δολίοις καὶ ἀναιδέσιν ἀμφιπροσώποις
Πρεσβύτεροι, γεραροί τε διήκονες εἰσορόωσιν,
Αἰδόμενοι κρίνουσ', ἀδίκως ἑτέροισι ποιοῦντες,
Ψευδαπάται, φήμησι πεπειθμένοι, αὐτὰρ ἐόντες
Παρδαλίων τε λύκων τ' ὀλοώτεροι, ἠδὲ κάκιστοι.

Quam effigiem coloribus æquo tetrioribus si quis adumbratam esse putat, aut paucorum vitia incaute vel maligne ad plures traduci; conferatur id, nobis jam olim suadentibus, in dolorem aliquem occultum ac vivacem hominis christiani quidem et bene morati, fortasse tamen non de omnibus fidei dogmatis recte omnino sentientis, qui ideo a clero orthodoxo reprehensus castigatusque fuisset. Origenistam libri hujus auctorem fuisse monstravimus supra, cap. 26: notandumque eodem fere modo easdemque videlicet ob causas Origenem in Zephyrini et Callisti pontificum mores acerbius invectum esse, Philosophumen., lib. IX. Nec Origeni igitur nec Sibyllistæ de istis rebus nimia fides tribuenda est. Sic erret profecto et multum erret qui pastorum christianorum mores primo sæculo desinente vel secundo incipiente dijudicare velit ex nimiis obtrectationibus apocryphi libri sub illa tempora scripti, cujus nomen jam a nobis citatum est, Isaiæ Anabaticon, cap. 3, v. 21, sqq.; aut si quid in iis, quæ jam tum clero imputabantur, verum infuisse fatendum est, memineris labem hanc esse non christianæ disciplinæ, sed humanæ naturæ, prævisam jampridem sapientissimisque cautam præceptis a divo Petro, epist. I, c. 5, v. 2, sq.: « Pascite qui in vobis est gregem « Dei, neque turpis lucri gratia... neque ut dominantes in cleris, etc. »

Non minus caute accipienda censemus quæ leguntur, pariter, sed obliquius, in clerum orthodoxum conjecta, lib. VII, v. 132, sqq.:

Κεῖνοι δὲ πλήσονται ἄγαν πόθον, οἳ διὰ κέρδους
Αἰσχρὰ προφητεύσουσι, κακὸν χρόνον ἀλδαίνοντες.
Οἱ μὲν δυσάμενοι προβάτων λασιότριχα ῥινὰ
Ἑβραῖοι ψεύσονται, ὃ μὴ γένος ἔλλαβον αὐτοί,
Ἀλλὰ λόγους λαλέοντες, ἐπ' ἄλγεσι κερδαντῆρες,
Οἳ βίον ἀλλάξουσι, καὶ οὐ πείσουσι δικαίους.

Ii sunt pseudo-prophetæ de quibus in sacris libris scriptum est, Matth., cap. 7, v. 15 : « Attendite a falsis prophetis qui veniunt ad vos « in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces », quos male Noster de christiano suorum temporum clero intellexit. Ad hunc enim Evangelii locum respexisse se fatetur his verbis :

Οἱ μὲν δυσάμενοι προβάτων λασιότριχα ῥινά,

cum quo fortasse loco conjungendus alter e libro II modo citatus :

Παρδαλίων τε λύκων τ' ὀλούτεροι.

Sed videndum quid nunc falsis illis ovibus, seu potius falsis pastoribus, vitio vertatur; nempe quod, lucri causa, διὰ κέρδους seu διὰ κέρδος (agnoscis et hoc ex epistola divi Petri supra citata), fictis prophetiis animos hominum circumveniant :

Αἰσχρὰ προφητεύσουσι,

dum rerum finem extremumque judicium differre conantur :

Κακὸν χρόνον ἀλδαίνοντες,

si tamen vera hæc est sententia loci difficilis sane et obscuri, de quo suis locis annotata sunt quæ huc referre abstinemus. Meminerit tantum lector minime occultam hic subesse invidiam Sibyllistæ adversus eos qui Sibyllina oracula vel detrectant vel in sensum alienum detorquent. Verum alia sequitur eaque gravior invidiæ causa, quod iidem priscos mores immutare studeant, et justos, id est, Christianos judaïzantes, a patria vivendi consuetudine dehortentur :

Οἳ βίον ἀλλάξουσι, καὶ οὐ πείσουσι δικαίους.

En multo maximum crimen, si quis Nostro judaïzanti assentiri velit; sin minus, confiteatur necesse est, ab adversario profectas accusationes, orthodoxo clero parum nocere. Simul autem fatendum erit, duos istos duorum librorum locos non multum Sibyllinis moribus detrahere, cetera optimis et integerrimis.

CAP. II. *De imposturæ crimine Sibyllinis objecto libris.*

Sed quosdam fore scimus, quibus omnia Sibyllistarum merita vel una labe corrumpi videantur, quod falsorum vaticiniorum auctores, quacumque demum styli temperantia in scribendo usi, mendaces et impostores habendi sint. Quod crimen ut omnino amovere non pos-

sumus, an tamen aliquatenus excusare et attenuare liceat, æquo animo quærendum arbitramur; quoniam nos piget eos homines qui suum qualecumque ingenium ad religionis et morum præcepta lectoribus inculcanda pæne unice contulerint, tanquam falsarios infames, palo et virgis addicere.

Primum igitur fatendum est pseudonymorum librorum scriptionem apud antiquos multo crebriorem fuisse quam apud nos, eoque tolerabiliorem visam. Quippe manuscriptorum exemplarium raritas et ex ea pretium; summa insuper difficultas investigandæ singulorum codicum originis; præterea criticæ artis inopia, quæ falsa a veris raro tum discernere callebat; tot sane causæ falsarios multos ad quæstum facile atque impune faciendum invitare potuerunt. Et isti quidem omnino reprobandi. Magis tamen excusatione seu venia digni sunt homines, quorum magnus fuit numerus, qui non lucri causa, sed lectorum inveniendorum spe atque cupidine, novos libros sub antiquis nominibus vel tanquam antiquos de rebus antiquis scriptos protulerunt. Memineris scribenti cuique primum ante omnia propositum esse ut legatur. Porro ea fuit quorumdam vel temporum vel locorum conditio, ut libri vix legi possent qui non aliquod insigne tunc aut sanctum nomen in fronte præferrent.

Id præsertim de Judæis dictum velimus, ad quos maxime nos respicere æquum est, quia nostræ pseudo-Sibyllinæ vaticinationis viam a Judæis primum tentatam atque apertam fuisse monstravimus in Exc. V, cap. I. Ii ergo vel qui saltem ex iis patriam indolem retinuerant, nulla unquam literatura gavisi sunt nisi sacra, aut a sanctis viris eorumve nomine scripta, ad sacras res sanctosve viros pertinente. Inde necessario evenit ut extra divini canonis libros nullus fere apud eos nisi pseudonymus aut pseudepigraphus in lucem prodierit. Neque recens is mos seu verius ea lex fuit. Nam paulo post Babylonicam captivitatem, Esdras, Judaïcæ civitatis restitutor, quum titulos omnes suæ gentis dispersos temporum calamitate colligeret, libros comparasse fertur XCIV, authenticos nempe XXII, apocryphos vero LXXII, quos omnes ad Ptolemæum Philadelphum missos a Judæis fuisse ait Epiphanius, de Mens. et Pond., § 10. Ex istis LXXII, vel qui postea iis adjecti sunt, quos multos fuisse non dubitamus, pauci ad nos pervenerunt ante Christi natales compositi; plerique titulis tantum superstites manent, ut videlicet Adami Vita, seu quæ fortasse eadem est, Pœnitentia Adami, Prædicatio Noëmi, Testamentum trium patriarcharum, Precatio Josephi, Mosis assumptio, etc., etc. Illud vero circa apocrypha studium, quum nunquam refrixisset, primo et secundo post Christum sæculis maxime incaluit apud eos præcipue

viros qui e judaïsmo orti ad novam religionem accesserant. Inde apocryphorum nova stirps in duos dividenda surculos : pars quippe sub patriarcharum aut prophetarum aliorumve priscæ legis sanctorum nominibus, sicut mos antiquior fuerat, composita (liber Enoch., Testamentum XII patriarcharum, Anabaticon Isaïæ, quartus Esdræ liber, etc., etc.); pars vel falsa evangelia, vel acta, epistolas, apocalypses continens apostolorum virorumve apostolicorum, eorum præcipue qui judaïcis partibus magis favisse putabantur (acta Petri, Petri prædicatio, pseudo-Clementinas recognitiones, etc., etc.). Qui plura de iis voluerit, adeat præcipue Fabricium, Cod. pseudepigr. V. T. et Cod. apocryph. N. T.; Thilonem in doctissima, sed malo fato interrupta collectione apocryphorum N. T. Lips. 1832; Tischendorfium, act. Apost. apocryph. Lips. 1851.

Qui ergo ob eam rem seu Judæis antiquioribus seu Christianis adhuc e synagoga recentibus irasci voluerit, is melius relici jusserit ipsius gentis indolem et mores, non sane damnantis aut contemnentis, sed probantis potius et sectantis eos libros qui ad illud literarum genus pertinerent.

Et hactenus quidem de iis tantum Judæis, quos Hebraïzantes vulgo vocant. Ceteros vero, qui Hellenistæ vocantur, domicilio plerosque Alexandrinos, nihil e patria consuetudine aut ex apocryphorum studio retinuisse, nimis durus sit qui postulet. Ii vero aliam viam inierunt. Quippe cum Græcis viventes, neque omnino ab eorum literis et studiis alieni, etiam quotidianis eorum controversiis exerciti vel conviciis agitati, dum sanctos suos scriptores defendere, imo adversariis opponere ac supra ipsorum doctores evehere conantur, facile eo inducti sunt, ut quidquid apud profanos philosophos poetasve bonum et laudabile occurreret, sibi suisque vindicarent, tanquam ex antiquioribus Hebræorum libris decerptum ac furtiva æmulatione translatum in græcam linguam. Inde adversus Homerum et Hesiodum et Phocylidem et Platonem crebræ recentiorum calumniæ, tanquam multa ex hebraïcis thesauris tacite suffuratos. Quantulum hinc aberat ut alicui Judæo in mentem veniret adversus fures illos et plagiarios repetundarum sibi actionem dari, et sicut illi multum e judaïcis libris impune detraxerant, ita sibi licere græcorum non jam libros tantum, sed et nomen et famam sui juris facere atque in suas partes trahere, id est, sub gentilibus titulis novos libros Mosaïcæ religioni faventes componere! Laudamus hoc? minime : sed factum declaramus et, quantum salvo jure licet, excusamus.

Hujusmodi primum exemplum ab Aristobulo, Ptolemæi Physconis et fortasse Philometoris præceptore, datum, multi sunt qui putent,

quoniam ex ejus tractatu quem regi Ptolemæo inscripserat, affert Eusebius, Præpar. lib. XIII, cap. 12, multos pseudo-Orphicos versus passim judaïcam originem prodentes. Id vero cur nobis minus probetur, diximus jam in Exc. V, cap. 2. Ista potius insequentibus ficta temporibus, primo puta ante Christum sæculo, Judæus aliquis sub Aristobuli nomine, viri fama potius quam scriptis noti, composuerit: sicut apud gentiles quoque sub idem tempus philosophi Neopythagorici Orphicos quosdam hymnos et Orphicas τελετὰς comminiscebantur, aliaque falsa falsi vatis opera, quorum fragmenta partim ethnicis, partim judaïcis aut etiam christianis mixta laciniis, doctissimus Hermannus colligenda, recensenda, ad metri leges redigenda magis fortasse quam ad fontes suos reducenda et ad philosophicum sensum exponenda curavit.

Nam primis ante et post Christum sæculis verum est æmulatione quadam certasse hinc gentiles, præcipue qui mysticis philosophiæ sectis adhæserant, illinc Judæos et postea etiam Christianos judaïzantes, ut antiquissimorum seu vatum seu philosophorum nominibus sua quisque dogmata tueretur. Inde falsa Zoroastris oracula, λόγια, sæpe a Neoplatonicis citata, profecta autem a Neopythagoricis, quæ plurima ad nos pervenerunt, Pselli quondam et Psellum secuti Plethonis, Opsopœi postea, ac diligentioribus Francisci Patricii et Joannis Clerici curis in unum collecta corpus. Inde etiam libri a Justino, Clemente, Lactantio sæpe laudati, Hermetis, Hystaspis atque Osthanis, quos minime dubium est a Christianis primi sæculi vel secundi incipientis esse confictos.

Et Hystaspis quidem Osthanisque scripta, in quibus multa consona Sibyllinæ vaticinationi tradebantur, vix aliter quam ex illorum Patrum testimoniis cognovimus. Hermes vero integer fere ad nos pervenit, non, ut Orpheus et Zoroastres, poetico, sed philosophico, ut decebat, habitu, gravis et doctus et religiosus, inter platonismum et christianismum mediam quasi viam secans, arduus ideoque sæpe obscurus, nunc ad serena christianæ sapientiæ templa perveniens, nunc (fatendum enim) aerem et nebulas captans; Neoplatonicorum præcursor idem atque æmulus; dignus qui editorem reperiat Ficino minus tenebricosum, Turnebo minus taciturnum, Rosselo minus intemperanter effusum, magis vero philosophum quam philologum, quia textus plerumque sanus est, interpretatio latina plerumque recta et fida, mens igitur rerum sæpius quam verborum assequenda est: ad quem laborem utinam nobis vel otii satis vel doctrinæ suppeteret!

Tot inter apocryphorum librorum illustria, sed falsa nomina, cur Sibyllas hactenus omiserimus, nemo non videt. Voluimus enim Si-

byllistas nostros exemplorum similium multitudine excusare, auctoritate defendere ac tueri. Quanquam uni ex iis oberit forsitan, quod non tam exemplum ab aliis acceperit quam ipse dederit. Videtur enim auctor Sibyllini libri III, § 2 et 4, primus novam viam ingressus, signum secuturis extulisse, seu Judæis, seu Christianis, imitandæ vel potius ementiendæ gentilitatis, ut ipsa in se converti seque suis manibus jugulare videretur; vel, si magis placet, fraus illa fuit Trojanorum Græcas exuvias induentium, quo tutius in confertos hostium cuneos irrumperent :

Mutemus clypeos, Danaumque insignia nobis
Aptemus. Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?
Arma dabunt ipsi.

Nos tamen, quibus virtus magis quam dolus placet, irasceremur isti falsariorum duci, nisi ei singulares quædam causæ patrocinarentur.

Omnium enim qui apocryphos libros falsis nominibus decoraverunt, is maxime veniam meritus est, qui non verum aliquod nomen usurpavit, sed falsum, ac nulli proprium, sive ex proprio commune factum, sicut illud fuit Sibyllæ, de quo monet Varro apud Lact. I, cap. 6, loc. sæpe cit. : « quod omnes [feminæ] vates Sibyllæ sint a ve-« teribus nuncupatæ. » Imo non omnes fortasse, sed quotquot antiquitati visæ sunt eo nomine dignæ, levibus sæpe de causis aut inanibus. Quumque jam ante Sibyllistæ nostri tempora multas Græci finxissent Sibyllas suas, Phrygiam, Erythræam, Cumanam, Samiam, alias; jam nescimus quantum illud crimen Judæis fuerit, Sibyllam aliam Erythræam veterum Erythrææ, falsam falsæ opponere. Præsertim quum in fine carminis ficta illa Sibylla nomen sibi Erythrææ falso datum ipsa detrectaret, originemque diversam agnosceret, tanquam Babylone orta seu profecta, III, v. 808, sqq. :

Ταῦτά σοι Ἀσσυρίης Βαβυλώνια τείχεα μακρὰ
Οἰστρομανὴς προλιποῦσα...
Καὶ καλέουσι βροτοί με καθ' Ἑλλάδα πατρίδος ἄλλης
Ἐξ Ἐρυθρῆς γεγαυῖαν.

Chaldæam ergo se potius quam Erythræam aut Græcam profitebatur. Imo Judaïcam originem minime dissimulabat, ex Abrahami patria ortam se monens, ib. v. 218, sqq. :

Ἔστι πόλις...κατὰ χθονὸς Οὖρ Χαλδαίων,
Ἐξ ἧς μοι γένος ἐστί.

Unde apud ipsos profanos Chaldaïcæ sive Judaïcæ Sibyllæ fama, quæ nulla antea fuerat, ex hoc carmine oriri ac diffundi cœpit; utque sibi plures paucioresve, ita Judæis unam fuisse Sibyllam agnovere gentiles, Pausanias inprimis, Phoc., cap. 12, loc. sæpe cit. : Παρὰ

Ἑβραίοις, inquit, τοῖς ὑπὲρ τῆς Παλαιστίνης, γυνὴ χρησμολόγος· οἱ δὲ αὐτὴν Βαβυλωνίαν καλοῦσιν.

Alia succurrit excusationis causa, quod hæc pseudo-Sibyllina eo tempore scribebantur, quo deleta pæne ab Antiocho Epiphane Judæorum civitate, insurgentibus adversus fœdissimam servitutem paucorum fortium virorum animis, reliquos, quacumque demum vi possent, patriæ succurrere oportebat, ut qui armis non valerent, adhortationibus saltem, et, si aliud deesset, carminibus vaticiniisque communem causam adjuvarent. Neque vanæ aut gratuitæ erant prædictiones, sed antiquorum prophetarum ac Dei ipsius fide firmatæ, de Judææ novis fatis, de futuro veræ religionis triumpho, de idololatriæ fine; in quibus prænuntiandis, rara vaticinantium conditione, non de rebus ipsis, sed de tempore ac de modo dubitari aut deerrari poterat. Itaque non tam, ut opinamur, ad decipiendos suisque armis impugnandos gentiles tertius hic liber scriptus est, quam ad refocillandos Judæorum Hellenistarum animos, si qua possent ad ferendum Judææ laboranti auxilium evocari atque exciri. Confer lib. III, v. 734, sqq., et quæ sunt ibi notata. Absit igitur ut de illo tertii libri Sibyllista, erga Sibyllam incognitam vix falsi reo, pio certe poeta et patriæ amante, quidquam nimis asperum decernamus.

Nunc qui post duo fere sæcula ejus exemplum secuti sunt Christiani, quorum antiquissimum designavimus libri quarti auctorem, illo falsi crimine non magis damnandi nobis videntur, eoque minus, quo tum et sæpius Sibyllæ nomen ab ipsis gentilibus gratuito assumptum erat, et vulgatior increbuerat opinio, commune illud esse nomen et in medio positum. Quod si docti sanctique Patres, commissa adversus gentiles pugna, ductis aliquando ex armario Sibyllino telis usi sunt; si ipsi illi venerabiles viri fucum sibi fecerunt, dum ceteris facere conantur; ac si ab iis profectus error per duo fere sæcula in Græcia Asiaque, per totum vero medium ævum in Occidente convaluit; magis id fortasse partium studio primum, deinde temporum ignorantiæ, quam Sibyllistarum fraudi imputandum est. Eos enim genere poeseos sæpe ante se usitato, gentilibusque prius quam Judæis aut Christianis cognito, abutentes, non magis ideo falsarios aut impostores vocaverimus, quam qui nuper Anacharsidis aut Antenoris peregrinationes quasdam scripserunt, aut quicumque, recepto apud nos more, commentarios edunt hominum qui vel nunquam fuerunt vel nihil unquam tale cogitaverunt, idque non sane cujusquam decipiendi causa, sed ut notis et claris nominibus prætereuntium mentes ad se convertant, auditores convocent, populum sibi faciant. Illos tantum hac defensione excipimus, quos id fecisse

suspicamur vel lucri causa, ut auctores librorum V, III, § 3, XI-XIV, vel erroris propagandi studio, ut qui libros VI et VII conscripsit; homines venales aut contumaces, quos a ceterorum Sibyllistarum causa separari æquum est.

CAP. III. *De heterodoxia Sibyllina.*

Error per se crimine caret : voluntarius autem et pervicax et Ecclesiæ jura sponte detrectans in rebus plerumque obscuris et ambiguis, nec sola ratione discernendis, præsertim si alios homines secum abducere tentat, superbiæ potius quam ignorantiæ imputandus est. Itaque ab hac etiam nota Sibyllistarum mores purgare conabimur.

Multis illos diversarum hæreseon nominibus impugnari audivimus, quorum hæc molestissime nobis obstrepuerunt; judaïsmi, ebionismi, millenarismi, montanismi, origenismi.

Judaïsmi quidem notam e plerisque nostris libris deleri non posse ultro fatemur. Sed ea non æque Sibyllistis omnibus vitio vertenda est; imo laudi potius iis qui Judæi ante Christum scripserunt, ut auctor certe libri III, § 2 et 4. Recentiorum vero discrimen magnum faciendum est. Quidam enim Judæi potius habendi quam Christiani, sacris quippe nostris vix initiati, veniam hac ex parte merentur, ut auctores librorum V et XI-XIV, satis ob alias causas plectendi. In ceteris vero libris apertius christianis vestigia judaïsmi, si qua passim occurrunt, non sunt continuo severius damnanda.

Ortam scilicet judaïco fonte christianam religionem diu multum ex origine sua retinuisse, non est quod quisquam valde miretur. Imo judaïca Ecclesia, Hierosolymis post Christi necem ab ipsis Apostolis instituta, per aliquot annos caput et metropolis ecclesiarum habita est. Per totum fere primum sæculum, maxima pars Christianorum, in Oriente præsertim, a synagoga prodierat : unde magnus ipse gentium Apostolus, quum ad ecclesias a se conditas mandata scribit, aperte discipulos alloquitur plures e Judæis quam e gentibus allectos. Romanos ipsos non pæne alios compellat quam Hebræos Romæ degentes. Quanto magis putamus in Ægypto et in Asia Judæorum numerum diu in ecclesiis prævaluisse! Ii omnes ad instar primævæ Ecclesiæ circumcisionem, sabbatum, ritus et festa majorum suorum retinuerant, mixti proselytis gentium, id est, Græcis vel Romanis ad nostra sacra conversis, invicemque tolerantes et tolerati; ipsi quippe inter orthodoxos habendi, modo legibus parerent Ecclesiæ, neque suos mores alienigenis imponerent contra Petri et Aposto-

lorum sententiam, Act. cap. 15, v. 10 et 28. Multum vero illis nocuit quod ecclesia Hierosolymitana, cujus exemplo se tuebantur, bis dispersa fuit, primum sponte sua, obsessa urbe a Vespasiano; deinde sub Hadriano, vi Romanorum et edictis sævissimis. Hinc in alienas ecclesias transfusi, ubi suos plures invenerant, trahebant ceteros in suas partes; ubi numero minores erant, ceteris suspecti habebantur. Insuper temporis progressu pluribus in dies pluribusque accedentibus novis a gentilitate Christianis, sensim qui judaïcos mores ac ritus retinuerant contemni cœperunt, ac denique reprobari, damnari, ecclesiis ejici. Inde accidit, quod necesse erat, ut ecclesiæ quædam mere judaïzantes sponte a ceteris desciscerent, unde merito vel hæreseos vel certe schismatis notam acceperunt. Ii vulgo Nazaræi vel Ebionæi nullo pæne discrimine dicebantur; inique tamen : nam videntur Nazaræi, nisi quod ritus judaïcos retinebant, pæne orthodoxi fuisse; Ebionæi autem, præter alios errores, falsa ista de Christi incarnatione doctrina, quam supra part. 2, cap. 5, suggillavimus, imbuti erant, ideoque jure inter hæreticos relegari potuerunt. Cerinthii pæne cum Ebionæis conveniebant, nisi quod terrenis voluptatibus magis addicti erant, iisque deliciis plenam terrestrem vitam justis pollicebantur. Hujusmodi non paucæ ecclesiæ in Palæstina et Phœnice et Syria, quædam etiam in Asia minore et in Ægypto coaluerunt, nec omnino contemnendæ, siquidem sub secundi sæculi finem, vel tertio incipiente, Symmachum et Theodotionem, doctos Bibliorum interpretes, ne ab orthodoxis quidem fastiditos, gremio suo protulerunt. Confer de iis præter Irenæum, Eusebium et Epiphanium, locis cit., etiam Justinum, Dial. § 45; Origenem, adv. Cels., lib. II, § 1; Hieronymum, in Isaï., cap. 1, qui et testatur operum suorum non uno loco, quasdam illarum sectarum reliquias adhuc suo tempore in Palæstina et Syria manere, nec semel a se nec sine emolumento esse consultas. Multa quoque de iis recentiores theologi, et præclare inter alios doctissimus Lequien, diss. de Nazar. ad Joannem Damascenum.

Qui vero sub eadem tempora ac secundo maxime sæculo, Judæi origine, in ecclesiis catholicis orthodoxiam profitebantur, etsi ritus avitos repudiaverant, plerique tamen e vetere suorum traditione opiniones quasdam retinuerunt, præsertim de reparandis aliquando Judæorum rebus, de constituendo in Judæa Messiæ regno, ac de terrestri ante judicium supremum felicitate justorum, quo nomine præsertim intelligebant Hebræorum posteros ad nostra sacra conversos, admixtis tamen et proselytis e gentilitate Christianis. Millenaria hæc diximus esse somnia e judaïsmo prognata, diu tamen ab orthodoxis plerisque,

etiam hellenistis, recepta; a sanctis autem Patribus Justino, Irenæo, aliisque defensa ac propugnata; quæ licet falsa et aliquando cunctis deserenda, sero vel fortasse nunquam solennibus Ecclesiæ decretis hæreseos damnata sunt (confer supra part. 2, cap. 9).

Quum igitur de judaïsmo Sibyllistarum agitur, multum refert utrum judaïsmi genus intelligatur, legitimumne ab orthodoxis toleratum, an schismaticum et ebionicum. Hoc vero posterius vitium vix usquam in Sibyllinis reperias, nisi, ut sæpe jam monuimus, libro VII, ubi et ebionica de Christo doctrina palam prædicatur, et aperte invehitur auctor in eos (orthodoxos, ut opinamur), qui, dum se falso Hebræos jactant, nec origine scilicet nec doctrina hunc titulum promeritos, vitæ mores immutare contendunt, id est, judaïcos mores ab Ecclesia prohibere, lib. VII, v. 135, sqq. :

Ἑβραῖοι ψεύσονται, ὃ μὴ γένος ἔλλαβον αὐτοί,

. . . .

Οἳ βίον ἀλλάξουσι, καὶ οὐ πείσουσι δικαίους.

Justos illos, δικαίους, sicut paulo ante, cap. 1, interpretati sumus, judaïzantes intellige, quos tum sæculo III prævalens atque dominans Ecclesia a veteris disciplinæ semitis retrahere conabatur: cujus præceptis dum aperte contraria suadet Noster, addit sibi non erroris modo, sed etiam pervicaciæ notam.

Hoc excepto libro, qui secum librum VI, ut pote cognatum, in partem vitii trahit; amotis etiam iis libris quos vix pro christianis accipimus, V nempe et XI-XIV; quæcumque ceteris in Sibyllinis judaïsmum redolent, levia sunt judaïcæ originis, non ebionici schismatis, indicia. Ita libro IV, v. 124 (127), Judæorum deploratur exitium, iidemque, v. 133 (136), vocantur εὐσεβέων φῦλον ἀναίτιον, aperte cum Christianis confusi. Item libro VIII, § 1, v. 141, vocatur Nero Ἑβραίων ἐχθρός vel ὄλεθρος: nam veterem lectionem Ἑβραίων τε γένος minime ferendam esse monstravimus. Hæc autem utroque in libro videntur nobis patriæ desiderium magis prodere quam judaïsmi studium. Liber VIII, § 1, millenarius haud dubie, eatenus tantum judaïcus est. Procemium eique affinis liber VIII, § 2, nihil judaïcum sonant; aut si quid hujusmodi sonare viderentur, id heterodoxiæ suspectum sane non esset in eo libro, in quo mores et ritus hebraïci palam damnantur, v. 333, sqq.? Liber VIII, § 3, 4, pariter isto crimine vacat. Libro autem I, v. 395, sqq., nolimus vitio vertere comploratione judaïcæ calamitatis; imo ne satis quidem inde patet hujus libri origo, quam judaïcam denegare videntur alii loci in eodem carmine vel ab eodem auctore scripti, I, v. 360, sqq. II, v. 250, sqq.

De ebionismo et chiliasmo nihil fere addendum est iis quæ modo

de judaïsmo diximus. Cerinthiis certe nullum e nostris libris, ne ex iis quidem qui minus orthodoxi sunt, ascribere velimus, quia corruptæ morum disciplinæ, quæ Cerinthiis objicitur, nusquam in Sibyllinis vestigium occurrere patet e supra dictis, cap. 1.

Pæne obliti eramus id quod diximus in hoc ipso Exc., cap. 29 et 30, videri libro VIII, § 2, locum illum de carnis abstinentia, v. 403 :

Τούτῳ θὲς καθαρὰν σὺ ἀναίμακτόν τε τράπεζαν,

a Therapeutarum schola esse profectum. Id vero heterodoxiæ, nobis quidem judicibus, indicium nullum est. Non quod Eusebio astipulemur opinanti, Hist. eccl. lib. II, cap. 17, Therapeutas illos de quibus multa leguntur apud Philonem, de Vit. contempl., posteriores nostræ religionis initiis ortos esse ex divi Marci in Ægypto prædicatione. Obstat enim temporis ratio; nec Philo tam graviter errasset, qui Judæis illos accensuit vir ipse Judæus, quum, ut videtur, diligenter de ipsis inquisivisset. Sed videntur Therapeutæ, Judæi ex Essenorum secta, quum prima apud suos monasticæ vitæ fundamenta posuissent, deinde ob doctrinæ et morum similitudinem facile ad nostra sacra transiisse, unde judaïsmi fortasse, non tamen schismatis hæreseosve suspecti essent. Quod si liber VIII, § 2, in Ægypto scriptus sub initia secundi sæculi, aliquid a Therapeutis, Christianis factis, accepisset, minime hoc mirum esset. Imo satis id conveniret cum iis quæ traduntur a Philone de Therapeutis, ipsos adhuc Judæos, carminibus pangendis vacare solitos esse : Ὥστ' οὐ θεωροῦσι μόνον, ἀλλὰ καὶ ποιοῦσιν ᾄσματα καὶ ὕμνους εἰς τὸν Θεὸν διὰ παντοίων μελῶν καὶ μέτρων. Ubi etiam notandum mentionem fieri non modo μελῶν, id est, lyricorum, sed etiam μέτρων, quæ proprie sunt epica sive hexametra carmina, cujusmodi Sibyllina nostra sunt. Sit igitur hæc pars libri III a Therapeutis, si quis volet, modo orthodoxis, scripta.

Transimus ad sectas recentiores, inter quas montanismi præcipua ratio habenda est, quia non ignoramus doctissimos viros, Blondellum, Dodwellum, Longaruæum, Fabricium, aliosque, Sibyllinorum originem ad hanc sectam retulisse : id vero quam ob causam non satis scimus, nisi quod libro I, v. 196, sqq., 261, sqq., et libro VII, v. 12, sqq., et alibi fortasse, Phrygiæ cum aliqua laude mentio fit : tanquam necessario montanismi suspectus sit quicumque illis temporibus vel in Phrygia vixit, vel, data occasione, Phrygiam laudavit. Imo potius apud nostros quærendæ fuissent absurdæ atque impiæ Montanistarum opiniones de revelatione per Christum Jesum nondum absoluta, de Paracleto olim carnem induturo et opus Christi impleturo, quarum rerum ne umbra quidem in Sibyllinis reperitur; multo minus muliercularum pro vatibus habitarum ac pæne pro Spi-

ritu sancto cultarum; quibus ineptiis deceptum esse virum magnum Tertullianum nunquam satis quisquam mirabitur. Præterea ne nostri libri contaminati ista labe censeantur, temporis etiam ratio obstat, in plerisque saltem libris, qui regnantibus Antoninis, ante sæculi secundi mediam partem, ideoque ante diffusam Montani doctrinam scripti fuere.

Juniores Montano sunt libri VI et VII, sed montanismi, uti diximus, indicia nulla vel non idonea præferunt; ad ebionismum potius pertinent. Cur autem de iis in Exc. V, cap. 9, extr., ad Encratitas respiceremus, id fuit causæ. Tatianus, egregius quondam nostræ fidei defensor, quum ab Ecclesia catholica defecisset, videtur non Ebionæis, non Cerinthiis adhæsisse, sed propriam sibi finxisse theologiam ex judaïca christianaque mixtam, imo novum Dei colendi morem invexisse, novos ritus, novaque mysteria, in quibus aqua sola utebatur, teste Epiphanio, hæres. 46. Hos errores qui sequebantur, ob eximiam vitæ continentiam Encratitæ seu potius Encratetæ vocati sunt; nec in Syria tantum aut Palæstina, ubi primum falsa docuit Tatianus, sed et in Asiæ minoris haud modica parte pullulasse illam sectam ipse fatetur Epiphanius. Porro novas sacrorum formas atque insolitas preces, admixto frequenti aquæ usu, libro VI passim inspersas notavimus in Exc. V, cap. cit. Quod si constaret falsam Ebionæorum doctrinam de Christi per baptismum incarnatione Tatiano ejusque discipulis placuisse, libenter ad hanc sectam referremus hos quoque libros : id autem propter auctorum penuriam suspicari tutius est quam affirmare.

Nunc, ut omnia sectarum indicia scrutemur in Sibyllinis, restat origenismi nota, quam in solum librum II cadere diximus, et uno in loco paucisque versibus deprehendi, et temporum ratione excusari posse, quandiu nondum Origenes ejusve doctrina publicum Ecclesiæ judicium incurrerat. Quantulum igitur causæ est, cur huic libro præ ceteris, hæreseos causa, litem moveamus?

Exceptis ergo paucis libris quos supra a ceteris separandos diximus, nullus Sibyllinus est liber christianæ originis, qui non ab hæreseos crimine, modo res ex æquo et bono judicetur, absolvi possit. Atque in summa, ut controversiæ finem faciamus, hortamur omnes qui ad æstimandas Sibyllinorum librorum opiniones accedent, ut recordari velint scriptos hos esse libros ab hominibus in re theologica fortasse non satis exercitatis, scriptos autem sub ipsa nostræ religionis incunabula, secundo plerosque, reliquos tertio post Christum sæculo, tum quum gravissimæ controversiæ de Trinitate, de Incarnatione, de judicio Dei, de chiliasmo, nondum ullis Ecclesiæ

decretis definitæ, libero pæne hominum arbitrio permittebantur. Amplior autem errori campus patebat, quod plerique Christiani a judaïsmo vel gentilitate recens ad nostras partes transgressi, sæpius incauti atque inviti priscarum opinionum reliquias secum afferebant. Ipsos Patres ecclesiasticos, præsertim græcos, circa fidem sæpe vacillantes deprehendimus. Et tum maxime apocryphi pullulabant libri, nec satis a canonicis distingui poterant, in magno Ecclesiæ silentio. Synodi de rebus ecclesiasticis paucæ admodum, needum generalis ulla celebrata fuerat. Deerat ergo fidei regula; deerat etiam commune jus, quum episcopi suam quisque ecclesiam suo pæne arbitratu regentes, nulli extra provinciam suam auctoritati ac vix provincialium raro et difficile coeuntium judicio obnoxii essent. Ac ne optimi quidem episcoporum presbyteris suis et laïcis satis invigilare, satisve tuendæ fidei consulere poterant, circumventi plerumque persecutionibus, ac sæpe vel fuga vel carcere vel martyrio a suorum fidelium cura distracti, etiamsi omnes judicio et doctrina æque præditi fuissent, non, ut sæpe accidere necesse fuit, pietatis sæpius quam ingenii fama ad illud munus evecti. Quod si omnes tum Christiani ad veram vivendi et sentiendi normam informati fuissent docto severoque magisterio Clementis alicujus Romani, aut Ignatii, aut Polycarpi, aut Irenæi, rarius profecto ad pravas opiniones deflexissent; sed et, nisi fallimur, a scribendis Sibyllinis dissuasi, huic controversiæ locum non dedissent.

CAP. IV. *De democratico Sibyllistarum ingenio.*

Aliud Sibyllistis objici quondam audivimus a viro gravi et docto, quod democratiæ, et quidem illi democratiæ generi quo et humanarum conditionum et ipsorum patrimoniorum tollitur omne discrimen, nimium favere viderentur. Cujus rei testem hunc præcipue locum afferebat, lib. VIII, v. 209, sqq. :

Γαῖα δ' ἴση πάντων, οὐ τείχεσιν, οὐ περιφραγμοῖς
Οὐδὲ μεριζομένη, καρποὺς τότε πλείονας οἴσει.

Qui locus etiam auctus recurrit, lib. II, v. 320, sqq. :

Γαῖα δ' ἴση πάντων, οὐ τείχεσιν, οὐ περιφραγμοῖς
Οὐδὲ μεριζομένη, καρποὺς τότε πλείονας οἴσει
Αὐτομάτη, κοινοί τε βίοι, καὶ πλοῦτος ἄμοιρος.
Οὐ γὰρ πτωχὸς ἐκεῖ, οὐ πλούσιος, οὐδὲ τύραννος,
Οὐ δοῦλος, οὔτ' αὖ μέγας, οὐ μικρός τις ἔτ' ἔσται,
Οὐ βασιλεῖς, οὐχ ἡγεμόνες, κοινῇ δ' ἅμα πάντες.

Eodem nomine taxabat idem vir egregius poetas nostros, quod viderentur querelis suis invidiam pauperum adversus divites concitare, lib. VIII, v. 17, sqq. :

Ἀρχὴ πᾶσι κακῶν φιλοχρημοσύνη καὶ ἄνοια.
Χρυσοῦ γὰρ δολίοιο καὶ ἀργυρίου πόθος ἔσται...,
Γαῖά θ' ὅρους ἕξει, καὶ φρουροὺς πᾶσα θάλασσα,
Πᾶσι μεριζομένη δολίως τοῖς χρυσὸν ἔχουσιν...
Πορθήσουσι πένητας, ἵν' αὐτοὶ πλείονα χῶρον
Προσπορίσαντες ἀλαζονίῃ καταδουλώσωσι.
Κεἰ μὴ γαῖα πέλωρος ἀπ' οὐρανοῦ ἀστερόεντος
Τὸν θρόνον εἶχε μακρὰν, οὐκ ἦν ἴσον ἀνδράσι φέγγος,
Ἀλλ' ἀγοραζόμενον χρυσῷ πλουτοῦσιν ὑπῆρχε,
Καὶ πτωχοῖς αἰῶν' ἕτερον Θεὸς ἡτοίμαζεν.

Ubi notanda præcipue sententia de luce pauperibus venali futura, si per divites stetisset, quod quidem ingeniosa fisci nostratis solertia, contra quam fieri posse videbatur, ad effectum perduxit. Nec dubium est in hos versus, ut in multos nostrorum carminum locos, aliquid penetrasse de communi et in dies crescente populorum querimonia adversus inexpletam et effrenatam Romanorum cupiditatem.

Verum hæc et si qua sunt alia apud Sibyllam his similia, modo recto sensu et bona fide accipiantur, minime carpi possunt. Nam de avaritiæ improbitate ac de divitum superbia locus est communis apud rhetoras et poetas notissimus, etsi a nullo acrius fortasse quam a nostro vehementiusve tractatus. Haud multum diversa, frigidiora tamen, Phocylides habet, v. 35, sqq. :

Ἡ φιλοχρημοσύνη μήτηρ κακότητος ἁπάσης, κ. τ. λ.,

unde et superiorum quædam desumpta sunt.

Quæ vero alibi prædicuntur de communi terræ usu ac de fortunis in medium conferendis, non ad nostra tempora spectant, sed vel ad Messiæ terrestre regnum, vel ad promissam justis post judicium in Paradiso terrestri felicitatem. Ætatis aureæ communes hæ sunt apud poetas imagines, quas nemo sanus ad proprium verumque sensum exigat. Et sunt talia multa vaticinia apud sanctos ipsos prophetas de futura Judæorum felicitate post reditum a captivitate Babylonia, longe profecto ultra verum modulum poetica et prophetica libertate dicendi amplificata, ut apud Isaïam, cap. 11, v. 6, et cap. 60, v. 1, sqq. et alibi, quæ partim etiam sunt a Sibyllistis expressa lib. III, v. 743, sqq. 787, sqq.

Quod denique additur de futura conditionum æqualitate lib. II, loc. supra cit. :

Οὐ γὰρ πτωχὸς ἐκεῖ, οὐ πλούσιος, οὐδὲ τύραννος,

Οὐ δοῦλος, οὔτ' αὖ μέγας, οὐ μικρός τις ἔτ' ἔσται,
Οὐ βασιλεῖς, οὐχ ἡγεμόνες, ...

etiamsi videtur id primo aspectu favere hominum quorumdam studiis, novas res et omnia ex æquo cupientium, nihil tamen inde colligi velimus, nisi hominum in futura vita æquandam sortem. Hoc ipsum, οὐδὲ τύραννος, οὐ δοῦλος, cave credas ideo scriptum esse quo servi herile jugum impatientius ferrent, non plus sane quam illud in epistola Pauli ad Galatas, cap. 3, v. 28 : Οὐκ ἔνι δοῦλος, οὐδὲ ἐλεύθερος, quod de libertate Dei filiorum intelligit. Nusquam enim efficacius quam in divi Apostoli scriptis servorum erga dominos fides et obsequium commendatur, notabili loco et a nemine non de hac re citato, ad Coloss. cap. 3, v. 22.

CAP. V. *De Sibyllina adversus Romanos invidia.*

Sed aliud nec immerito Sibyllistis objici potest, etsi fortasse rarius ob eam causam vapulaverunt, nimia nempe adversus Romanos, dominos suos, invidia, quorum frequens redit apud ipsos obtrectatio. Quanquam liquet hujus criminis immunem sane esse debere scriptorem libri III, § 2 et 4, minime quippe sub Romanorum ditione viventem, Judæum Ægyptium, Ptolemæis coævum. Et tamen is primus istius adversus Romanos insectationis signum sustulit. Recens enim apud ejus temporis homines memoria tepebat bellorum cruentorum atque rapacium a Romanis illatorum in Græciam, Macedoniam, Asiam, nuperrimæque Macedonici regni eversionis, unde magnus illorum timor usque in Ægyptum propagari debuerat. Itaque effigiem ejus populi sane teterrimam exhibet Sibyllista Alexandrinus, v. 175, sqq. :

Αὐτὰρ ἔπειτ' ἄλλης βασιληΐδος ἔσσεται ἀρχή,
Λευκὴ καὶ πολύκρανος.....
Πολλῶν δ' αὖ χρυσόν τε καὶ ἄργυρον ἐξαλαπάξει
Ἐκ πόλεων πολλῶν...
Πάντα δὲ συγκόψει, καὶ πάντα κακῶν ἀναπλήσει,
Αἰσχροβίῳ φιλοχρημοσύνῃ, κακοκερδέϊ πλούτῳ,
Ἐν πολλαῖς χώρῃσι, Μακηδονίῃ δὲ μάλιστα,
Μῖσος δ' ἐξεγερεῖ.....

Nec dubitamus nunc, quidquid olim contra senserimus, eodem referri oportere locos alios ejusdem libri, v. 520, sqq. :

Ἕλλησι δ' ὁπόταν πολυβάρβαρον ἔθνος ἐπέλθῃ, κ. τ. λ.,

et pariter v. 537 :

Δούλειος δ' ἄρα ζυγὸς ἔσσεται Ἑλλάδι πάσῃ,

et v. 638, sqq. :

Καὶ βαρβάρος ἀρχὴ
Ἑλλάδα πορθήσῃ πᾶσαν, κ. τ. λ.

Hæc vero, ut modo diximus, in Alexandrino istorum temporum poeta minime reprehendi potuere; neque fortasse notanda essent, nisi postea sub imperatoribus Romanis Christianos, dominis suis male subditos, imitatores invenissent.

Jam primum liber IV, omnium post æram nostram antiquissimus, non semel ad Romanos respicit, neque unquam sine acerba insectatione, præcipue ob incensum Hierosolymorum templum eversamque Judæorum civitatem, v. 115 (nov. rec.), et sqq. :

Ἥξει καὶ Σολύμοισι κακὴ πολέμοιο θύελλα
Ἰταλόθεν· νηὸν δὲ Θεοῦ μέγαν ἐξαλαπάξει.
Ἡνίκα δ' ἀφροσύνῃσι πεποιθότες, εὐσεβίην μὲν
Ῥίψουσι, στυγεροὺς δὲ τελοῦσι φόνους περὶ νηόν,
Καὶ τότ' ἀπ' Ἰταλίης, κ. τ. λ.

et v. 132 (135), sq. :

Γινώσκειν τότε μῆνιν ἐπουρανίοιο Θεοῖο,
Εὐσεβέων ὅτι φῦλον ἀναίτιον ἐξολέκουσιν.

Alibi vero propter opes ex Asia raptas, v. 142 (145), sqq. :

Ἥξει δ' εἰς Ἀσίην πλοῦτος μέγας, ὅν ποτε Ῥώμη
Αὐτὴ συλήσασα πολυκτέανον κατὰ δῶμα
Θήκατο, κ. τ. λ.

Ergo omnes poeta calamitates Romanis vel imprecatur vel lætus portendit, quanquam haud dubie christianus homo, sed, ut diximus, patria Judæus, moribusque, si non et doctrina, judaïzans, quales multos tum fuisse notavimus. Atque ipsi Christiani crudeliter tunc a Romanis vexabantur, recrudescente sub Domitiano persecutione, cujus auctor Nero fuerat; unde in hoc ipso libro justorum miserrima oppressio significatur, v. 35, sqq. :

Ὧν τρόπον εὐσεβίην τε καὶ ἤθεα ἀνέρες ἄλλοι
Οὔποτε μιμήσονται ἀναιδείην ποθέοντες,
Ἀλλ' αὐτοὺς χλεύῃ τε γέλωτί τε μυχθίζοντες,
Νήπιοι ἀφροσύνῃσιν, ἐπιψεύσονται ἐκείνοις
Ὅσσ' αὐτοῖς ῥέζουσιν, ἀτάσθαλα καὶ κακὰ ἔργα.
Δύσπιστον γὰρ ἅπαν μερόπων γένος.

At in iis libris qui sub Antonino Pio scripti sunt, quamvis tunc persecutio principum humanitate deferbuerat, tamen exasperati malorum memoria nostri poetæ nihilo minus, quin et acerbius in Romanam potentiam invehuntur. Initium faciemus a libro quinto, fere illo quidem judaïco, sed tamen, ut diximus, a novis sacris non prorsus alieno, in quo hæc leguntur, v. 157, sqq. :

Ἥξει δ' οὐρανόθεν τ' ἀστὴρ μέγας εἰς ἅλα δεινήν,

Καὶ φλέξει πόντον βαθὺν, αὐτήν τε Βαβυλῶνα,
Ἰταλίης γαῖάν θ', ἧς εἵνεκα πολλοὶ ὄλοντο
Ἑβραίων ἅγιοι πιστοὶ καὶ ναὸς ἀληθής.
Ἔσσεαι ἐν θνητοῖσι κακοῖς κακὰ μοχθήσασα,
Ἀλλὰ μενεῖς πανέρημος ὅλους αἰῶνας ἐπ' αὐτῆς,
Σὸν στυγέουσ' ἔδαφος...
Θηλυγενὴς, ἄδικός τε, κακὴ πόλι, δύσμορε πασῶν,
Αἶ αἶ πάντ' ἀκάθαρτε πόλι Λατινίδος αἴης,
Μαινὰς ἐχιδνοχαρὴς, χήρη καθέδοιο παρ' ὄχθας,
Καὶ ποταμὸς Τίβερίς σε κλαύσεται.....
Μεῖνον, ἄθεσμε, μόνη, πυρὶ δὲ φλεγέθοντι μιγεῖσα,
Ταρτάρεον οἴκησον ἐς Ἅδου χῶρον ἄθεσμον.

Et infra, v. 341:

Ἰταλίη τριτάλαινα, μενεῖς πανέρημος, ἄκλαυστος,
Ἐν γαίῃ θαλερῇ, ὀλοὸν δάκος ἐξαπολέσθαι.

Et infra, v. 385, sqq.:

Μητρολέται, παύσασθε θράσους, τόλμης τε κακουργοῦ.
....
Σίγησον, πανόδυρτε κακὴ πόλι, κῶμον ἔχουσα.
Οὐκέτι γὰρ παρὰ σεῖο τὸ τῆς φιλοθρέμμονος ὕλης
Παρθενικαὶ κοῦραι πῦρ ἔνθεον εὑρήσουσιν.

Nec multo mitiora sunt hæc, lib. III, § 3, nempe in ea libri tertii parte quam interpolatam credimus ab auctore libri V. Nam ibi quoque palam prædicitur Romanæ gentis excidium, v. 324, sqq.;

Θυγατέρες δυσμῶν, ὡς ἥξετε πικρὸν ἐς ἦμαρ,
Ἥξετε καὶ χαλεποῖο διωκόμεναι ὑπ' ἀγῶνος,
Δεινοῦ καὶ χαλεποῦ, δεινὴ κρίσις ἔσσεται αὖθις,
Καὶ κατ' ἀνάγκην πάντες ἐλεύσεσθε πρὸς ὄλεθρον.
....
Τοὔνεκα δὴ νεκρῶν πλήρη σὴν γαῖαν ἐπόψει...
Γαῖα ἔρημος ἅπασα σέθεν, καὶ ἔρημα πόληος.

Et infra, v. 356, sqq.:

Ὦ χλιδανὴ ζάχρυσε, Λατινίδος ἔκγονε Ῥώμης,
Παρθένε, πολλάκι σοῖσι πολυμνήστοισι γάμοισιν
Οἰνωθεῖσα λάτρις νυμφεύσεαι οὐκ ἐνὶ κόσμῳ·
Πολλάκι δ' ἁβρὴν σεῖο κόμην δέσποινά τε κείρει.
....
Καὶ Ῥώμη ῥύμη.

Et infra, v. 464, sqq.:

Ἰταλίη, σοὶ δ' οὔτις ἄρης ἀλλότριος ἥξει,
Ἀλλ' ἐμφύλιον αἷμα πολύστονον.....

Ἔσσῃ δ' οὐκ ἀγαθῶν μήτηρ, θηρῶν δὲ τιθήνη.

Sed hæc fortasse homini natione Judæo condonanda, qui nuper ultimas patriæ suæ reliquias ab Hadriano deletas ipsasque urbis ruinas e fundamentis emotas atque dispersas viderat audieratve. Quid si transeamus ad libros plenius christianos, ut VIII, § 1, in quo hæc insunt, et quidem statim ab exordio carminis, v. 9, sqq.:

Πέμπομαι εἰς Ἰταλῶν κλεινὴν βασιλείαν ἄθεσμον.
Ὑστάτιον πᾶσι δείξει κακὰ πολλὰ βροτοῖσι,
Καὶ πάσης γαίης ἀνδρῶν μόχθους δαπανήσει.
. . . .
Ὀψὲ Θεοῦ μύλοι ἀλέουσι τὸ λεπτὸν ἄλευρον·
Πῦρ τότε πάντ' ὀλέσει.

Et infra, v. 37, sqq.:

Ἥξει σοί ποτ' ἄνωθεν ἴση, ὑψαύχενε Ῥώμη,
Οὐράνιος πληγή, καὶ κάμψεις αὐχένα πρώτη,
Κἀξεδαφισθήσῃ, καὶ πῦρ σε ὅλην δαπανήσει,
Κεκλιμένην ἐδάφεσσιν ἑοῖς, καὶ πλοῦτος ὀλεῖται·
Καὶ σὰ θέμεθλα λύκοι καὶ ἀλώπεκες οἰκήσουσι.
Καὶ τότ' ἔσῃ πανέρημος ὅλως, ὡς μὴ γεγονυῖα.
Ποῦ τότε Παλλάδιον; ποῖός σε θεὸς διασώσει,
Χρυσοῦς ἢ λίθινος ἢ χάλκεος;

Et infra, v. 75, sqq.:

Ὦ βασιλὶς μεγάλαυχε, Λατινίδος ἔκγονε Ῥώμης,
Οὐκέτι σοι τῆς σῆς μεγαλαυχενίης κλέος ἔσται.
. . . .
Ποῦ τότε σοι τὸ κράτος; ποία γῆ σύμμαχος ἔσται,
Δουλωθεῖσα τεοῖς ματαιοφροσύνῃσιν ἀθέσμως;

Et infra, v. 95, sqq.:

Αἲ αἴ σοι, Ἰταλὴ χώρη, μέγα βάρβαρον ἔθνος
. . . .
Ἐξ ὕψους ἐλθοῦσα κατοικήσεις ὑπὸ γαῖαν.
. . . .
Ἐξαφανισθήσῃ, καὶ ἔσῃ κόνις αἰώνεσσιν
Αἰθομένη, καὶ πᾶς ὁ βλέπων μυκηθμὸν ἀκούσει
Πένθιμον ἐξ Ἀΐδαο μέγαν, καὶ βρυγμὸν ὀδόντων,
Καὶ ταῖς σαῖς παλάμαις ἄθεα στήθη παταγοῦσαν.

Et infra, v. 143, sqq.:

Ὤλετο τῆς Ῥώμης ἀρχὴ τότε τηλεθόωσα,
Ἀρχαίη πολέεσσι περικτιόνεσσιν ἄνασσα.
Οὐκέτι νικήσειε πέδον Ῥώμης ἐριθήλου.
. . . .

Τρὶς δὲ τριηκοσίους καὶ τεσσαράκοντα καὶ ὀκτὼ
Πληριώσεις λυκάβαντας, ὅταν σοὶ δύσμορος ἥξῃ
Μοῖρα βιαζομένη, τεὸν οὔνομα πληρώσασα.

Statimque voto minime dissimulato, v. 151, sqq. :

Οἴ μοι ἐγὼ τριτάλαινα, πότ' ὄψομαι ἦμαρ ἐκεῖνο,
Σεῖό ποτε, Ῥώμη, πᾶσι δὲ μάλιστα Λατίνοις;

Vis ab Antonini Pii temporibus ad tertium æræ nostræ sæculum progrediamur? Adhuc sæculo tertio, Sibyllistam librorum VI et VII ita vociferantem adversus Romanos audias, lib. VII, v. 108, sqq. :

Ῥώμη καρτερόθυμε, Μακηδονίην μετὰ λόγχην
Ἀστράψεις ἐς Ὄλυμπον· Θεὸς δέ σε πάμπαν ἄπυστον
Ποιήσει, ὁπόταν δοκέῃς πολὺ κρεῖσσον ἐς ὄμμα
Ἑδραία μίμνειν. Τότε σοι τοιαῦτα βοήσω,
Ὀλλυμένη φθέγξῃ λαμπρὸν ὅτε μαρμάρεόν τε.
Δεύτερά σοι, Ῥώμη, μέλλω πάλι δεύτερα φωνεῖν.

Ac ne libri quidem paulo recentiores et magis orthodoxi, I, II, III, § 1, prorsus eo felle carent. Sic enim legas, lib. I, v. 387, sqq. :

Ἔνθεν ὅταν Ἑβραῖοι τὸ κακὸν θέρος ἀμήσωνται,
Πολλὸν δ' αὖ χρυσόν τε καὶ ἄργυρον ἐξαλαπάξει
Ῥωμαίων βασιλεύς. Μετὰ δ' αὖ βασιληΐδες ἄλλαι
Συνεχέως ἔσσονται ἀπολλυμένων βασιλειῶν,
Καὶ θλίψουσι βροτούς.

Et lib. III, v. 51, sqq. :

Καὶ τότε Λατίνων ἀπαραίτητος χόλος ἀνδρῶν,
Τρεῖς Ῥώμην οἰκτρῇ μοίρῃ καταδηλήσονται.

Ergo nullus pæne est Sibyllinus liber, exceptis Prooemio et libro VIII, § 2, 3, 4, et semper extra ordinem ponendis libris XI-XIV, qui non adversus Romanos aliquo sit odio tinctus. Inde certissime colligas (neque enim quidquam apertius), plurimorum tum viventium Christianorum quis fuerit sensus, quis affectus. Nam et Sibyllistæ fere omnes ita sensere, et sensus affectusque non suos tantum expromebant, sed videlicet eorum quoque e quorum numero prodierant et a quibus legi cupiebant.

Multum hoc Christianis ipsis nocuisse, et persecutionibus renovandis occasionem præbuisse, quis neget? Neminem latebat quid inesset in iis scriptis, quotidie intra illorum hominum conventicula pullulantibus, tantoque apud ipsos in pretio habitis, ut ea non legerent modo, sed et memoriter ediscerent et in scholis dictarent. Porro ibi per singulas pæne paginas multis versibus Romani imperii atque universi orbis terrarum pernicies ultima prædicebatur, imo sæpius optabatur, invocabatur. Annon hoc erat eorum causam agere qui

Christianos tanquam publicos hostes, et humani generis osores, in jus trahebant?

Præterea, quum horum pleraque scriberentur sub Antonino Pio, exstincta Judæorum civitate, ac dominantibus Romanis, quo pacto conjungi hæc poterant cum debito dominis obsequio, secundum ipsius Christi præceptum, de reddendo Cæsari quod est Cæsaris? Aut ubi præceptum illud alterum, bona pro malis rependendi, quo ipsi se jactant Christiani, libro VIII, v. 280 :

Οἳ καλὸν ἀντὶ κακοῦ χλευαζόμενοι πρήξουσι,
Τυπτόμενοι, μαστιζόμενοι, κ. τ. λ.

At, dicet aliquis, erant hæc ipsa, quæ nunc Sibyllistis objiciuntur, e sacris fontibus petita. Sic enim divus Paulus modo in epistola quadam videbatur exitium Romani imperii tanquam proximum, Antichristo veniente, ominari : confer supra cap. 16. Sic præsertim divus Joannes in Apocalypsi, cap. 17, v. 6, Romam designat, « ebriam de « sanguine sanctorum et de sanguine martyrum Jesu », et paulo post, cap. 18, v. 2, sqq., supremum fatum ei urbi vaticinatur imprecaturque : « Cecidit, cecidit Babylon magna, et facta est habitatio dæmo« niorum, etc. Exite de illa, populus meus, ut ne participes sitis de« lictorum ejus et de plagis ejus non accipiatis, etc. Reddite illi sicut « et ipsa reddidit vobis,.... in poculo quo miscuit, miscete illi du« plum, etc. Ideo in una die venient plagæ ejus, mors et luctus et « fames, et igne comburetur, » etc. Cui nos objectioni, si res esset theologicis rationibus agenda, unam hanc exceptionem opponeremus, non posse Deum esse in causa, loquentem per suos quæ vult. Sed humanius respondebimus, nihil apud divum Paulum aperte Romanis aut eorum imperatoribus adversum legi : negat enim prius esse timendum rerum finem, quam Antichristus venerit; eum vero negat venturum, quandiu Romanum imperium Neroni subjaceat; innuit ergo, nec tamen prædicit nec optat imperii propinquum finem. Divum autem Joannem, etiam sine divino jussu, certum est potuisse jure suo judaïcis affectibus indulgere, quum Judæorum respublica adhuc staret, nondum captis Hierosolymis (confer quæ de Apocalypseos ætate supra diximus), quumque ardente sævissimo bello, admotis ad urbem ipsam machinis, instante ultima sanctæ gentis pernicie, qui armis non poterant, votis saltem et precibus patriæ auxiliari æquum erat.

Tam sancti igitur exempli præsidio absit ut Sibyllistas tueri velimus, non in eodem rerum cardine stantes. Concedatur modo aliqua hujusmodi excusatio iis certe qui sub Tito vel Domitiano scribebant : adesse enim potuerant gentis excidio, urbis et templi incendio; vel qui sub Antonino Pio : ii enim ultimis sub Hadriano bellis, supre-

misque Judæorum conatibus et sævissimæ victoris ultioni, fama saltem interfuerant. Ita, nobis quidem auctoribus, mitius quam severius agendum est cum libris IV, VIII, § 1, V, III, § 3. Postea temporis beneficio paululum deferbuisse Judæorum indignationem facile credimus : ipsi Christiani judaïzare plerique desierant, vel rarius e Judæis orti erant. Inde tertio sæculo non tam diræ adversus Romam imprecationes e Sibyllistarum pectoribus ebulliunt. Conferantur enim cum librorum V et VIII fragmentis allata modo e libris VII, II, III, § 1. Molliora hæc et prope lenta reperientur, in quibus tanquam longinqui cujusdam soni repercussa deficit imago.

Sed nec minus interim vulgi manibus terebantur priores libri; imbuebatur eorum lectione tenera etiam ætas; et, crescente in dies numero Christianorum, eo tandem res devenerat ut civium pars pæne major labentis imperii casum, si non votis expeteret, saltem præsagiis ominaretur. Scimus quam vehementer ab illo crimine defenderint fratres suos Tertullianus, Apolog. § 32, et epist. ad Scapulam Africæ præfectum, § 2 ; Melito Sardensis, apud Eusebium, hist. IV, cap. 26, aliique complures. Restat tamen, et satis Sibyllina poesi evincitur, eorum plerosque si non cupiisse, saltem exspectasse calamitates urbium ac terrarum, quibus nostri pleni sunt libri, tanquam calamitatis ultimæ præsagiis. Ipsum Lactantium audias, desinente tertio sæculo, accedente jam ad imperium Constantino, respirantibūs a metu et jam triumphum anhelantibus Christianis, adhuc civitatis exitium cum horrore quidem, sed tamen fidenter (unde nisi ex Sibyllina fide?) vaticinantem, lib. VII, cap. 15 : « Cujus vastitatis, inquit, et « confusionis hæc erit causa, quod Romanum nomen, quo nunc regi- « tur orbis (horret animus dicere, sed dicam quia futurum est), tolletur « de terra, et imperium in Asiam revertetur, ac rursus Oriens domi- « nabitur, atque Occidens serviet. » Si hæc et talia per tria fere sæcula animis hominum inoleverant, ac si populi Romani dimidia pars ita de imperii fatis sentiebat, quantum putas inde attenuari potuisse Romanas vires, et accelerari publicæ rei ruinam! Ac si pro sua parte id effecerunt Sibyllistæ, male profecto, inscii fortasse et, uti speramus, inviti, de communi patria meriti sunt. Utique non sine magno suorum detrimento : quippe talibus vaticiniis exasperari atque inflammari necesse fuit gentilium iram, quæ, quoties per edicta principum licebat (licebat vero sæpissime), in crudelitatem erumpebat.

Prorsus autem credibile est, Constantino rerum potito, Christianisque dominantibus, sensim ab ipsorum animis recessisse terrores de proximo rerum fine; ideoque ad illa potissimum tempora supra referebamus interpolatos libro VIII, § 1, versus istos, 133, sqq. :

Τῆς αὐτῆς γενεῆς ἕτερος βασιλεὺς βασιλεύσει,
Ὃς πάσης γαίης ἄρξει καὶ σκῆπτρα κρατήσει.
Ἄρξει δ' αὐτοκέραστα, Θεοῦ βουλαῖσι μεγίστου,
Παῖδες καὶ παίδων τούτου γενεὴ ἀσαλεύτων.

Qua tamen segni medela non convaluit ægra jamdiu Sibyllarum fama; sed paulatim, uti jampridem diximus, in silentium et contemptum abiit, frustratis semper atque elusis vaticiniis, manente autem (quidni enim fateamur?) infelici nota, quod tandiu floruerint ea carmina, quandiu a communi civitatis affectu lectorum animos avertere valuerunt.

Si quid in hoc Excursu aut in ceteris hujus operis partibus mihi excidit, quod a sanctæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ doctrina vel minimum abscedat, id omne volens repudio, et pro non scripto haberi precor.

Parisiis, die 15 octobris, anno 1856.

C. Alexandre.

EXCURSUS VII.

DE GRÆCITATE ET METRICA, OBITERQUE DE ARTE POETICA SIBYLLINA.

Triplex est hujus Excursus argumentum, quod uno tamen titulo comprehendi poterat: De genere dicendi Sibyllino. In quo primum videtur ætatis habenda esse ratio : quod ex iis carminibus quædam, ut diximus, Ptolemæorum tempore scripta, secundo ante Christum sæculo; cetera uno fere vel duobus post Christum sæculis, a Titi imperatoris principatu usque ad initia Aureliani, natales ita diversissimos agnoscant, magnisque distent intervallis, unde ipsa credas ex ævi quodque sui ingenio privatum colorem pæne necessario traxisse. Nec tamen ea temporum diversitas tanti est facienda quanti statim succurrit. Nam post Homerum et Homeridas, quibus Hesiodum addi similitudo sermonis, licet jam inflexi, suadet, etsi nunquam carminis heroïci defecit usus, sensim tamen degenerare et in pejus delabi cœpit. Imo post Medica bella prope obsorduit epicum dicendi genus, prævalente magis ac magis atticismo quum in theatri fabulis, tum etiam in prosa oratione, post Pericleum præsertim ævum. Quamvis autem Alexandriam translata revixerit epica vel similis epicæ poesis, non suo jam, sed mutuo ab antiquis accepto sermone utebatur, desueto jampridem illo et obsoleto, quem renovare et ad priscum nitorem expolire, doctrinæ et eruditionis erat. Quo quis igitur doctior grammaticus, eo melior poeta videbatur : quidam etiam, ut Nicander, Lycophroni quam Homero propiores, glossarum tenebras pro elegantia sectati sunt. Qui vero minus doctrina valebant, vulgari quodam concinnitatis genere contenti erant, quemadmodum fere qui hodie latinis versibus ludunt, etiam quum non prorsus incompti videntur, multum abest ut ad proprium decus genuinæ poeseos accedant. Hinc omnino difficile est post Alexandrinæ scholæ initia carminum epicorum ætatem solo ex stylo dignoscere. Quod si quis infitiabitur, dicat cur nec Orphicorum, qui vocantur, hymnorum, nec Argonauticorum nomen Orphei mentientium, nec falsi Manethonis

ætas tuto adhuc definiri potuerit. Hoc vero difficillime assequi licet in malis poetis, quorum color pæne unicus est colore omni carere. Nihil ergo valde mirum si nostra Sibyllina poesis, quæ tota pæne Alexandrinis ingeniis, sed rudibus ac vulgaribus, exculta est, per quinque fere sæcula eadem aut vix a se diversa mansit, rerum magis et opinionum quam orationis specie discernenda. Nec tamen dissimulamus id quod jam confessi sumus, propius inspicientibus dignosci posse inter illa carmina dictionis etiam discrimen : eas nempe partes quæ diu ante ceteras et ante nostram æram scriptæ sunt, minus esse mendosas; deterrimos fere illos libros qui novissimi prodierunt; qui medii tempore, eosdem oratione et metro medios videri. Hæc vero non ita semper elucent, ut non discrimen istud aut ambigi aliquando, aut indoli scribentium pariter imputari possit ac tempori. Soli quatuor ultimi libri tam longe infra ceteros subsidunt, ut necessario ab iis segregandi videantur.

Itaque quum primum statuissemus in hac tractatione libros singulos ordine recensere temporum, mutato deinde consilio, maluimus de universis simul disserere, sepositis tantum et in singulare caput rejectis quæ libris quatuor ultimis propria sunt. Quæ vero ad antiquiores libri III partes pertinent, quia ætate magis quam colore differunt, ceteris passim admixta, non aliter quam asterisco notabimus. In illo autem spatio emetiendo atque in suas partes distribuendo, ipsam retinebimus argumenti nostri divisionem, ut primum de dicendi forma, postea de versificandi ratione, denique aliquid de poetica, quæcumque fuit in Sibyllistis, arte dicamus.

CAP. I. *De dialecto.*

Dialectus Sibyllinorum carminum epica est, magnam scilicet partem ionica, quædam tamen e ceteris dialectis mutuo accipiens, vel metri causa, vel aurium gratia, vel solo scriptoris arbitrio.

1° Ex atticismo vulgares quasdam contractiones habet, apud ipsum Homerum non valde raras : ἀληθῆ, V, 7; ἄστη, VII, 35, etc. Adde contractiones e particula καί oriundas : κἄστησαν, III*, 499; κἤνοιξαν, III*, 500; χἠγητῆρα, Procem. 6, et alias infra referendas, quibus similes vix ullas apud Homerum inveneris præter solemnes illas : κἀγώ, κἀκεῖ, κἀκεῖνος et κἄν. Quod vero minime Homericum sonat, femininorum ultimæ longæ, quæ apud Ionas per η, apud Sibyllam interdum attico more per α efferuntur, ut μωρά, V, 307; νεκρά, V, 310; γε-

νεά, VIII, 199; θρησκείαν, VIII, 394. Idem in ipso verborum corpore nonnunquam reperias, ut πράσσω pro πρήσσω, ναός pro νηός, et similia, minus tamen notanda quia plerumque librariis tribui possunt. Sed nos ad auctorem ipsum referre malumus, inscium fortasse et invitum, irrepente sensim atticismi consuetudine. In tertii quidem libri partibus antiquioribus nusquam id commissum meminimus. Tantum ibi Τιτάν (sic recte in nominativo, III*, 110, 121, 129, etc.), in plurali per α scribitur : Τιτᾶνες, III*, 147; Τιτάνων, III*, 157; Τιτάνεσσι, III*, 156, 199, quum apud Homerum et Hesiodum Τιτῆνες per η ubique nuncupentur.

2° Ex ionismo, sed duriore et apud bonos poetas rariore, petita sunt ista : γαίη (pro γαῖα), VII, 133; I, 93; μοίρη (pro μοῖρα), III*, 502; quibus audacius ῥίζη scriptum videbimus libro XI, v. 246. Ionismum quoque duriorem sapit βαθεῖα pro plurali neutro βαθέα seu pro adverbio βαθέως, VII, 52. Dativorum pluralium in αις, αισι et ῃσι, fere promiscuus est usus. Γαίηφι pro γαίῃ semel scriptum invenimus, III*, 796, unde conjectura nostra, sed dubia, ὑμετέρηφιν, VIII, 390.

3° E dorismo pauca sunt desumpta, ut γᾶ (pro γῆ), III, 338; γενοίμαν (pro γενοίμην), V, 187; ποτί (pro πρός), III, 461, et in compositione, ποτεδέξατο, VIII, 475.

4° Ex æolismo unum fere notandum est, ἔρημα in feminino (pro ἐρήμη vel ἔρημος), III, 333. Nam πρὸς ἑσπέραν, ultima male correpta, III*, 798, et ἐλευθεροπρασία, II, 13, aliaque similia, magis ad metri necessitatem quam ad dialectum referenda sunt. Quod sicubi scriptum est in fine versus ὠλένας ἀγνάς, III*, 591; VIII, 251, ortum hoc videtur ex inepta confusione similium vocabulorum ὠλένη et ὠλήν. Illa omnia prætermittimus quæ, vulgo licet pro æolicis habita, in communem poetarum, præsertim epicorum, usum abierant.

Epicæ magis sunt quam dialecticæ syncopæ præpositionum καδδέ, III, 339; καλλείψας, I, 382; ἀνστάζουσα, V, 239. Tmeses item verborum : ἐκ δέ τε πάντα ἑλών, III*, 614, et aliæ pæne innumeræ.

Epica quoque, sed inferioris notæ, vel saltem minus usitata sunt hæc : χεῖρ (pro χείρ), IV, 11; τέρα (pro τέρατα), VII, 24; et alia nonnulla ad Homeri imitationem formata, ipsa tamen apud Homerum non obvia, quæ poetis fortasse debentur Alexandrinis. Quædam etiam sine exemplo conficta sunt a Sibyllistis ad æmulandam epicorum licentiam, ut ὀστήεσσι (pro ὀστοῖς), Procem. 14; φαΐ (pro φάει vel φωτί), Procem. 18; quibus plura infra accensebuntur.

Quædam denique non tam ad dialectos sic proprie dictas aut ad epicam linguam referenda sunt quam ad degenerem jam ab Alexandri temporibus græcitatem, receptamque non Alexandriæ modo, sed et

per omnes fere Græciæ partes, pravam loquendi consuetudinem quam vulgo Hellenismum vocaverunt, ut ἐλεῖν in futuro pro αἱρήσειν, ἧξα præteritum ab ἥκω, ἐκφεύξας pro ἐκφυγών, aliaque infra enumeranda. At forma πέφυκαν (pro πεφύκασι), I, 265, sicut ἔοργαν (pro ἐόργασι), XIV, 253, minime ambigitur quin sit ex Alexandrino more dicendi profecta.

CAP. II. *De vocum delectu.*

De delectu vocum idem fere quod de dialecto dici potest, epicum illum esse magna ex parte, mixtum tamen elementis quibusdam ab Homerica dictione alienis.

Earum vocum, quæ minus epicæ videntur, plurimæ sane ex usu communi seu vulgari atticismo prodierunt, ita tamen ut inter eas facile distinguantur recentioris notæ vocabula, quæ in Alexandrino sive, ut a quibusdam vocatur, Hellenistico sermone increbuerant, cujusmodi sunt ἀκαταστασία, ἁμαρτωλός, ἀπόμοιρα, βλάσφημος, γαισός, ἐξολοθρεύω, εὐλογέω (benedico), θλίβω et θλίψις (oppressio), μυκτηρίζω, μυχθίζω, ὁλοκαρπεύω et ὁλοκαρπόω, προοδηγός, προσοχθίζω, σαρκοφόρος, σκορπισμός, συναίρεσις (messis), aliaque multa, ex Indice nostro verborum colligenda, nec satis patet utrum e communi sermonis usu petita, an e sacræ Scripturæ lectione et sanctis utriusque Testamenti libris, nisi quod conjici haud immerito potest, vere communem illam fuisse linguam apud Judæos Alexandrinos, qua septuaginta interpretes et post hos Evangelistæ atque Apostoli usi sunt.

Ex eodem sacrorum librorum fonte derivata sunt nomina propria bene multa, hebraïca terminatione græcis versibus inclusa, qualia sunt Ἀδάμ, Νῶε, Ἰσραήλ, etc., de quibus in alio jam Excursu dictum est supra, pag. 393.

Alia quædam propria nomina, sed pauca, videntur ab ipsis Sibyllistis seu licenter poetarum more, seu fortasse per inscitiam adulterata, ut Βρύττεσσι (pro Βρεταννοῖς seu Βρεττανοῖς), V, 199; Ἰασσός (pro Ἰασσίς), III, 342; Κέβρη (pro Κέβρην), ibidem, v. sq.; quanquam fatendum est istorum quædam lectione minus certa vacillare.

Solent Sibyllistæ, quod ut minime apud ceteros poetas, ita certe apud Judæos vel Christianos mireris, deorum ac dearum propriis nominibus ad res communes exprimendas per figuram abuti; idque frequenter satis, unde et criticis quibusdam suspicionem ista moverunt, tanquam e profanis, incertum quibus, oraculis desumpta. Cujusmodi

sunt hæc : Ἅδης vel Ἀΐδης, de inferno, Proœm. 16, 38; III, 394; I, 81, 84, etc. Ἀϊδωνεύς, item, I, 371. Ἄρης, de bello vel de morte violenta, III, 465; VIII, 141, 146, etc. Βροτολοιγός, item, III, 397. Ἀχέρων, de inferno, I, 295. Ἔρεβος, item, I, 116. Τάρταρος, item, V, 177, 241; I, 10, 100, 119; II, 291. Ἠλύσιον πεδίον, de Paradiso, II, 336. Ἐριννύς, de muliere perniciosa, III, 415. Μοῖραι, de fato, V, 214. Ἥφαιστος, de igne, II, 19. Κύπρις, de amore impuro, V, 429; II, 139. Νηρεύς, de undis diluvii, I, 227. Τηθύς, de mari, III, 22. Alia fortasse nonnulla, quorum nullum certe reperire nos meminimus in libri tertii partibus duabus antiquissimis. Notandum vero, hæc, ut supra dicta, ad epicæ dictionis affectationem stylique elegantiam adhiberi, non, quod quidam crediderunt, ad fucum gentibus faciendum gentilemve nostris carminibus affingendam originem.

Poetica etiam ambitione in epithetis componendis multa novant Sibyllistæ, ut ἀγλαοφαρής, ἀδίψητος, ἀείφατος, αἰσχρόβιος, ἀκτερής, ἀλλοδίκης, ἄμυρος, ἀπιστόχορος, ἀπιστόφιλος, αὐτοκέραστος, αὐτολόχευτος, ἀχάλαζος, βαρβαρόθυμος, βαρβαρόφρων, βαρυκτυπής, γλυκυδερκής, δικαιοκρίτης, δίικμος seu δίκυμος, δολοήτωρ, δολοφόντης, δυσβασάνιστος, δυσέκβατος, ἐνθεότιμος, ἐχιδνοχαρής, θειογενής, θεόπλαστος, θεότευκτος, κακορρέκτειρα, κενεήφατος, κενόκρανος, κερόχρυσος, κλεψίγαμος, κοσμοβαρής, κοσμομανής, λεκτροκλόπος, λιγυπτερόφωνος, λιγυρόθροος, λυθροχαρής, μαννοδότης, μητρολέτης, μιλτόχριστος, οἰνοπόλος, ὀμβριμόθυμος, ὁμόθεσμος, ὁμόνυμφος, ὀρειοβάτης, πάμπιστος, πανάπιστος, πανάπυστος, πανεπίσκοπος, πανεπόπτης, πανέρημος, παντοτρόφος, πανόλβιστος, περιπάμπολον, πιστολέτης, πιστοπορθής (seu fortasse πιστοπραθής), πολεμόκτονος (an potius πολεμοκλόνος?), πολιόκρανος, πολυβάρβαρος, πολυδείματος, πολύπλουτος, πολύφθογγος, πολύφυτος, πυροφεγγής (nisi est πυριφεγγής), στενόδουλος, τριάδελφοι, τυποειδής, φιλοθρέμμων, φρενοβλάβος, χρησμηγόρος, aliaque similia, quædam feliciter compacta, quædam infelicius, in quibus tamen minus audent Sibyllistæ quam Manetho, ad quem ceteroqui multa ex parte accedunt.

Ad ejusmodi composita referri possunt ἀνηροσίη, ἀσπορίη, γαμοκλοπίη, μεγαλαυχενίη, νυκτοκλοπίη, et alia substantivi generis.

Sunt etiam extra illam compositionis novitatem multæ voces vel Sibyllistis propriæ vel in lexicis vulgo non obviæ, quales istæ :

Ἀγγελτήρ, angelus, II, 214.

Αἰγοκερίτης τροχός, circulus Capricorni, V, 206.

Ἀμφικαθείργω vel Ἀμφικατείργω, includo, II, 296.

Ἀναιάζω, deploro, V, 136, et alibi.

Ἀνάσταμα, creatura, VIII, 267.

Ἀποθωρήσσω, alta voce deploro, III, 455.

Ἀποσκεπής, nudus (si certa est nostra conjectura), I, 37.
Ἀφίδρυμα, statua deo erecta, IV, 28.
Βαθρηδόν, a fundamentis, V, 118.
Γνώστης, qui novit, Procem. 4.
Γρήγορος, vigil, Egregorus, I, 98.
Διαγγελτήρ, angelus, VII, 33.
Διχοστασία, seditio, IV, 68.
Δράτης (pro δραπέτης), fugitivus, IV, 116 (119).
Ἐκγελάω, deridendi sensu, I, 75.
Ἐκθυσιάζω, sacrifico, V, 354.
Ἔκχυμα, effusio, III, 320.
Ἐξεδαφίζω, funditus everto, VIII, 39.
Ἐλευθεροπρασία, liberorum hominum venditio, II, 13.
Ἐπανάστασις (pro ἀνάστασις), resurrectio, I, 355.
Ἠώς, adv., interdiu, III, 251.
Θειοποιέω, in deos refero, Procem. 60.
Ἰθυντήρ, rector, habitator, I, 299.
Κερδαντήρ, qui lucratur, VIII, 136.
Λυμήτης, perniciosus, III, 470.
Μαστικτήρ, qui verberat, II, 345.
Περικυδαίνω, colo, veneror, III*, 575.
Πληγάς, falx, V, 221.
Πρηνισμός, eversio, IV, 69, et alibi.
Πρόσκλιμα, propensio (si vera est conjectura), VIII, 298.
Προχάρισμα, præcipuus honor, V, 330.
Σκοτόμαινα, nox tenebrosa, V, 479.
Συνεπαγείρω, colligo, I, 220.
Ὑπέρκτησις, quæstus superadditus, IV, 148, nov. rec.
Ὑπερσταχύουσα, supra modum ferax, I, 298.
Ψαμαθηδόν, instar arenæ, V, 96.
Ψυχοτροφέω, nutrio, Procem. 46.

Nec dubitamus alia nova vel rara vocabula in his libris detegi posse, si quis ad eorum lectionem aut etiam ad nostrum Indicem verborum magis oculatus accesserit. Et jam nonnulla, quæ nobis exciderant, suggessit opportune vir doctus et in nostro argumento accuratissime versatus Ricard. VOLKMANN, in opusculo cui titulus : « De oraculis Sibyllinis dissertatio, supplementum editionis a Friedliebio « exhibitæ, Lips. 1853, 8°. »

In his vero quæ modo attulimus, notari præcipue velimus terminata neutra in μα, quorum Sibyllistæ non satis cauti sunt inventores, ut ἀνάσταμα, ἀφίδρυμα, ἔκχυμα, προσκλίμα, προχάρισμα, quibus mox

addetur διάθημα; masculina vero in τήρ, ut ἀγγελτήρ, διαγγελτήρ, ἰθυντήρ, κερδαντήρ, μαστικτήρ, et mox addendum χορηγητήρ, queis similia multo plura apud Manethonem luxuriant.

Habent enim hoc quoque Sibyllistæ cum Manethone commune, quod sæpe nomina per se nota et vulgo usitata, terminatione minus vulgari efferre solent, eo propius ad poesim accedere se rati quo magis ab usu discesserint, qualia sunt :

Ἀγριηνός (pro ἄγριος), VII, 79.
Αἰδοίη (pro αἰδώς), I, 175.
Ἀλλαγίη (pro ἀλλαγή), II, 157.
Ἀλφηστήρ (pro ἀλφηστής), I, 98, et alibi.
Ἀναστασία (pro ἀνάστασις), IV, 69.
Ἀτασθάλιος (pro ἀτάσθαλος), V, 81.
Βαρυκτυπής (pro βαρύκτυπος), VIII, 433.
Βασιληΐς (pro βασιλεία), subst. regnum, III*, 106, et alibi sæpe.
Διάθημα (pro διαθήκη), I, 382.
Δολότης (pro δόλος), V, 361.
Ἐπαέθλιον (pro ἔπαθλον), II, 152.
Εὐαγγελίη (pro εὐαγγέλιον), I, 382.
Εὐδοκίμητος (pro εὐδόκιμος), III*, 823.
Θαλάσσειος (pro θαλάσσιος), III, 479.
Κακοβουλοσύνη (pro κακοβουλία), Procem. 19.
Μεγαλαυχής (pro μεγάλαυχος), IV, 1.
Μεγαλόσθενος (pro μεγαλοσθενής), V, 195, et alibi.
Μυριόεις (pro μυρίος), I, 224.
Νηπιόεις (pro νήπιος), II, 300.
Ὄλεθρος, ος, ον (pro ὀλέθριος), V, 198, et alibi.
Παγγενετήρ (pro παγγενέτης), VIII, 501.
Πενιχρόμενος (pro πενιχρός), III*, 245.
Πολιήτωρ (pro πολίτης seu πολιήτης), V, 4, et alibi.
Προμάντιον (pro προμάντευμα), III*, 227.
Προφέριστος (pro προφερέστατος), III*, 113.
Ῥυστήρ (pro ῥυτήρ), servator, III*, 561.
Σεβασμοσύνη (pro σέβασμός), VII, 73.
Τηρήμων (pro τηρητικός), V, 399.
Ὑψαύχενος (pro ὑψαύχην), VIII, 37, et alibi.
Ὑψήεις (pro ὑψηλός), III*, 777, et alibi.
Φλόγινος (pro φλογόεις), II, 289.
Φλογέουσα (pro φλογόεσσα), III, 72.
Χορηγητήρ (pro χορηγός), VII, 90.
Χρυσήεις (pro χρύσεος), Procem. 63.

Ψεύστειρα (pro ψεύστρια), III*, 815.

Quorum nonnulla forsan haud absurde conferri possint cum heteroclitis seu metaplasmis declinationis Sibyllinæ, de quibus proximo capite acturi sumus.

CAP. III. *De inflexionibus nominum, adjectivorum et pronominum.*

De declinatione pauca sunt quæ dicamus. Nam quæ ad dialectos pertinent, vel de trivio sunt, vel supra jam notata. Citabimus tamen nomina quædam vel male vel audacius inflexa :

Διήκονες (pro διάκονοι), II, 265.

Κρύσταλλα (in plurali), Procem. 34.

'Οστήεσσι (pro ὀστοῖς), Procem. 14.

Πολυήλατι (pro πολυηλάτῳ), V, 217.

Φαΐ (pro φάει vel φωτί), III*, 494; Procem. 18; I, 348.

Φρεσσίν (pro φρεσί), I, 99, sed dubia lectione.

Adjectiva, non sine exemplis Atticorum, sed nonnunquam insolentius, feminina masculino genere efferuntur : ῥομφαῖαι πύρινοι, III*, 673; φοβεροῖο δίκης, III*, 634, etc.; quæ vide ne ad syntaxim potius sint referenda.

Articuli ὁ et ὅς plerumque, ut apud Homerum, promiscui sunt, sive relativo, sive demonstrativo sensu, ut ὅ pro ὅς vel ὅστις, II, 220, et pro οὗτος, I, 26. Contra ὅς pro οὗτος, I, 63, 247, etc. Item pro ὁ μέν, ὁ δέ, III*, 654. Item pro τίς vel ὅστις, III*, 120.

Pronominum declinatio plerumque Homerica est, licet interdum a vero usu detorta, in qua notabimus hæc tantum :

Σεῖο (pro σοῦ), III, 359; V, 54; VIII, 89; et (fortasse pro σοί), V, 394, 396.

Τοί (homerice pro σοί), III*, 548.

Μίν (recte pro αὐτόν), III, 146, 152, etc. Item (pro αὐτούς), III, 174, et (pro αὐτοῖς vel σφίσι), V, 510.

Αὐτοῦ (pro ἑαυτοῦ), III*, 658. Αὐτούς (pro ἑαυτούς), III*, 121, 137, et ubique fere apud nostros, solenni poetarum more, apud ceteros quoque scriptores in apographis frequentissimo.

'Εαυτοῖς (pro ἀλλήλοις), III*, 664. 'Εαυτούς (pro ἀλλήλους), IV, 188, nov. rec.

'Εαυτῶν (pro αὐτῶν, ἐκείνων), I, 363.

CAP. IV. *De conjugatione verborum.*

In conjugatione distincturi sumus quæ ad præsens tempus pertinent, quæ ad præteritum, quæ ad futurum.

In præsente, quædam in έω desinentia verba, addito uno apice, per είω efferuntur : οἰκείουσι, III*, 214; ἐπαρκείων, III*, 243, etc. Diversa sunt, notanda tamen obiter, ἐπικλεόμεσθα (pro ἐπικαλούμεθα), VIII, 485, et φλογέουσα (pro φλέγουσα), III, 72. At verborum in άω contractiones variis modis fiunt : μηχανάαται, V, 125; τεχνώοντο, I, 97; προσδοκάοντες, II, 181 ; μυκόμενος (pro μυκώμενος), II, 9.

In præterito notandi sunt aoristi minus usitati, quidam etiam prorsus carentes auctoritate :

Γεινάσθω et Γείνατο (neutro sensu, non, ut solet, activo), I, 9.

Ἐγρήγορθεν (pro ἐγέρθησαν), II, 180, male fictum ex Homericis formis bene notis ἐγρήγορθε et ἐγρηγόρθαι.

Εὔρατο (pro εὗρε), V, 175.

Ἧξη (ab ἥκω), I, 182, 362, et fortasse 344.

Θανεόντων (pro θανόντων), III*, 554.

Ἱλάξησθε, I, 167.

Καθέδοιο, V, 168.

Λαθέοντες (in composito ἐκλαθέοντες, pro ἐκλαθόμενοι), III, 34, cum quo confer supra θανεόντων.

Λείψας (in καλλείψας), I, 382.

Μολοῦντες, pro μολόντες, I, 85, et alibi sæpe, præsertim in ultimis quatuor libris; an ubique librariorum vitio?

Μύρατο (a μύρομαι), III*, 145, nisi potius legendum μύρετο.

Πτήσας (pro πτάς, in composito περιπτήσασα pro περιπτᾶσα, a περιίπταμαι), I, 245.

Ῥεύσῃ (subjunctivo modo), III, 54.

Φεύξας (in composito ἐκφεύξας), VI, 6.

In futuro vix notandæ formæ male atticæ, sed notæ et vulgares, ἑλεῖ, VII, 20; ἀφελοῦσι, III*, 780; ἐξαφελεῖ, V, 39; ἐξαφελεῖται, I, 363. Novum est, rectum tamen et bene atticum, νηχήσονται, II, 209. Atticum etiam et probum, τελοῦσι (pro τελέσουσι), IV, 115 (118), ut et τελεῖται, passivo et Herodoteo sensu, VII, 31. Sed φθεῖται (pro φθίσεται), III, 400, rarissimum est, cujus unum exemplum occurrit apud Q. Smyrnæum. Etiam δεδομήσεται, activo sensu, III, 384, rarum. Sibyllæ proprium videtur, si tamen certum est, ἀποχεῖται (pro ἀποιχήσεται), III*, 615. Σταλαγήσει, V, 117, incertum est utrum ab inusitato σταλαγέω, an falso atticismo a σταλάζω deducatur.

Solemne vero est Sibyllistis, ad imitationem antiquorum, futura, quæ attice medium sonant, activa forma efferre, ut ἀκούσει, VIII, 104; βαδίσουσι, I, 353; βλέψουσι, VIII, 207; βοήσω, III*, 212; γελάσσετε, I, 182; κλαύσουσιν, III*, 531, et κατακλαύσει, V, 121; οἰμώξει, V, 295; ῥεύσουσι, III*, 683; σιγήσει, VIII, 292.

Simile aliud peccant, quod futura, quæ attice et vulgo contrahi solent, ipsi barytona interdum faciunt, ut πέσεται, III, 83, IV, 99, et καππέσεται, I, 394, et multo audacius, φύγονται (pro φεύξονται), III*, 265. Nam ἔδονται, III*, 787, et φάγεται, III, 790, φάγονται, VII, 149, Atticis etiam fuerunt in usu. Contra interdum futura contrahunt quæ barytona melius essent, ut ἐσεῖται (pro ἔσεται sive ἔσται), VIII, 208, etc., quod et alicubi ἐσσεῖται scriptum meminisse nobis videmur.

Diversum est, sed non minus a recta conjugatione abhorrens, quod præsenti sæpe pro futuro utuntur, in iis præsertim verbis qui liquidam in fine gerunt, ut ἀείρονται (pro ἀερθήσονται), V, 251; ἀνεγείρει (pro ἀνεγερεῖ), III, 361; γίνεται (pro γενήσεται), IV, 19; κείρει (pro κερεῖ), III, 359; κρίνει (pro κρινεῖ), III*, 689; περαίνει (pro περανεῖ), V, 431. Sed etiam in aliis quibusdam ut αἱρεῖ (pro αἱρήσει), V, 336; δείκνυσι (pro δείξει), VIII, 57; εἰσίεται (pro εἰσελεύσεται), VII, 52, dubium tamen; ἱκνεῖται (pro ἵξεται), III*, 779, III, 304; κατέδουσι (pro κατέδονται seu καταβρώσονται), V, 467, 469, 470; ὀλέκονται (pro ὀλοῦνται), VII, 124; ποιεῖ (pro ποιήσει), V, 195, incertum tamen.

Item, quod ad conjugationem magis fortasse quam ad syntaxim referendum (fuisse enim jam olim vulgo tritus videtur malus iste loquendi usus, quem Sibyllistæ cum neo-Græcis communem habent), passim futuri sensu aoristum subjunctivi modi adhibent : γένηται (pro γενήσεται), II, 28; εἰσέλθωσι (pro εἰσελεύσονται), II, 153; ὀφθῇ (pro ὀφθήσεται), VIII, 318; σχισθῇ (pro σχισθήσεται), VIII, 305; φωραθῶσι (pro φωραθήσονται), II, 191. De præsente subjunctivi magis dubitamus : confer tamen ἀλγῇ (pro ἀλγήσει), III, 450, ubi nunc malimus ἀλγεῖ rescribi.

Sed multo sæpius pro futuro ponitur in Sibyllinis optativi aoristus, præsertim in ειε desinens : τίσειε (pro τίσει), III*, 259; παύσειε (pro παύσει), VIII, 273; στήσειε (pro στήσει), II, 238; προσπελάσειε, II, 286; quin et in verbis tali aoristo carentibus, ut δώσειε (pro δώσει), V, 222. Nescimus an ad hanc pravam consuetudinem referendum sit καθέδοιο (pro καθεδῇ, sedebis), V, 169.

Rectius, sed non satis eleganter, futura interdum duobus verbis efferuntur, ut προσοχθίζων ἔσται (pro προσοχθιεῖ), III*, 272; ἔσῃ χαμοῦσα (pro χαμῇ, quod nimis sane durum fuisset), V, 97; ἔσσεται κελαδῶν (pro κελαδήσει), V, 200. Item semel in aoristo, ἦν κοπάσαν,

I, 246. Quod quidem in perfectis passivis crebrius usurpari, nemini mirum erit, interdum etiam sine necessitate, meliorum poetarum exemplo, ut μεμνημένοι εἰσί, III*, 594; τετυπωμένος εἶναι, Procem. 40; γεγενημένοι ἦσαν, Procem. 37; πεπλανημένοι ἦμεν, III*, 721; μεμελημένη ἔσται, I, 286, etc.

Restat ut in verbis crebræ vocum permutationes indicentur, malæ interdum et falsæ, ubi pauca e multis exempla sufficient:

Media vox pro activa: ἀποτίσεται, III, 352; βαλοῦνται, I, 208; ἔνθετο, II, 3; ἐνιθρηνήσονται (sed hoc non male), II, 158; εὐδομένοις, II 184; κάτθετο, Procem. 6; χλωσάμεναι, V, 215; λαιφάσσονται, V, 468; λέξεται (dicet), III, 432; παραδώσεται, V, 120; πλημμύρηται, IV, 61; ποιήσατο, I, 20; ψυχοτροφεῖται, Procem. 16.

Media vox pro passiva: ἀγεροῦνται, I, 336; ἐγείρατο, III*, 159; ἐλάσονται, I, 395; ἐσακούσεται, II, 302; κορέσονται, III*, 697; κόψεται, III*, 651, 751; πλήξονται, VII, 17; σαλεύσεται, III*, 675; τελεῖται (in futuro), VII, 31; χευαμένοις, I, 14; χωσαμένη (defossa), V, 319. Adde κελόμεσθα (passivo sensu), VIII, 500.

Passiva vox pro media, in aoristo præsertim verborum natura mediorum vel deponentium, vulgata nimis apud recentiores consuetudine, ut ἐσεβάσθης (cum accusativo), VIII, 46. Adde quod magis dubium videri potest, δέμας ἐδείχθη, VIII, 460.

Activa vox pro media: ἀποστρέψουσι, IV, 25; δύσει, V, 120; ἐκλαθέοντες, III, 34; ἐξελάθεσκε, I, 44; θήσει, VIII, 126, et ἐνθήσει, I, 361; ἔλουσεν, VII, 26; μεταλλάξῃ, VII, 96; πίφασκε, I, 6; πορίσας, VIII, 406; προσπορίσαντες, VIII, 32.

Ex his colligi potest, discrimen illud vocum in græcis verbis, mediæ præsertim et activæ vocis, quod nos hodie tam ægre assequimur, quodque a poetis etiam antiquis, heroïcis præsertim et lyricis, non semel neglectum fuit, serius in communi sermonis usu pæne obsolevisse, aut certe vulgi aures minus attentas invenisse quam ut multum mediocres poetas infimosve, sicubi metro obstaret, moraretur.

CAP. V. *De syntaxi.*

Syntaxis partes duas habet, quarum una de concordia partium sermonis, altera de regimine agit.

De adjectivis masculinis ad nomina feminina translatis, aliquid supra jam diximus. Exempla nunc alia proferemus: Τρηχέες ὄχθαι, III*, 776; τρηχέσιν ἀκταῖς, I, 322. Habent hæc poetarum Atticorum auctoritatem. Sed omnino mala sunt, quæ supra citavimus: Ῥομφαῖαι

πύρινοι, III*, 673; φοβεροῖο δίκης, III*, 634. Quæ si quis attica esse vult, dicat an atticum hoc quoque, πῶμα ἁρμοσθέντα, I, 234. Sed potius, si quis ita jubeat, ad anacoluthum hæc omnia referemus, quando hac excusatione veteres poetæ solœcismi notam effugere solent. Quare vix notabimus lib. III*, v. 191:

Μῖσος δ' ἐξεγερεῖ, καὶ πᾶς δόλος ἔσσεται αὐτοῖς,

quo in versu Roma primo, deinde Romani designantur. Ibidem, v. 245, de Judæa seu Judæis :

Ἀλλὰ πενιχρομένοισι θέρους ἀπόμοιραν ἰάλλει,
Πληροῦντες μεγάλοιο Θεοῦ φάτιν.

Et audacius multo, III*, 548, sq. :

Τίς τοι πλάνον ἐν φρεσὶ θῆκε
Ταῦτα τελεῖν, προλιποῦσα Θεοῦ μεγάλοιο πρόσωπον;

Confer alias vel numerorum vel personarum vel casuum repentinas commutationes, III*, 173, 510, 688, 762; V, 192, 303, 385. Tempora quoque in uno versu, et in uno nonnunquam hemistichio permiscentur, ut lib. VIII, v. 273 :

Τοὺς ἀνέμους παύσειε λόγῳ, στορέσει δὲ θάλασσαν.

Et libro I, v. 168, sq. :

Καὶ μηκέτι μηδὲν
Πράττῃ, ἀλλ' ὁσίῳ βιότῳ πεφυλαγμένος εἴη.

Et ibidem, v. 338 :

Ποιησέμεν ἠδ' ἀπορίψαι.

De concordia et discordia vocum satis hæc dicta sint. Transimus ad regimina, e quibus pauca raptim observabimus vel vitiosa, vel ferenda quidem, sed minus tamen usitata.

1° Genitivi usus insolentior :

Ὅρκοι πατρός (id est, a patre impositi), III*, 116.
Φθισήνορες ἀνδρῶν, II, 263.
Ἀγαθοῖο τέλος (pro τέλος ἀγαθόν), III*, 282.
Πατρὸς τέλεος χρόνος ἵκετο γήρως (duplici genitivo), III*, 117.
Μικρὸν ἐπαρκέσσων πολέμου, III*, 530.
Δηλήσονται σαρκῶν (id est, τὶ τῶν σαρκῶν), III*, 645.
Σταχύων παράσχου (id est, τὶ τῶν σταχύων), II, 79.
Πεπλανημένοι τρίβου (pro ἀπὸ τρίβου), III*, 721.
Σκεπάσει γαῖαν πεζῶν (pro πεζοῖς), III*, 612.
Γαῖαν ἐξαρύσῃ πλούτοιο, III*, 639.

2° Dativi usus insolentior :

Ταῦτα Θεὸς κέλεται βροτοῖς, III*, 631.
Ἐπαρδεύσει βροτοῖσι, V, 58.
Ἅλωσις μένει Θήβῃσι, VIII, 161.

Ποσὶ πρόσθε πεσούσας (pro προσπεσούσας), III*, 527.
Ὑπερβασίην ὅρκοις ποιήσαντες, III*, 119.

. 3° Accusativi usus haud ita rectus :
Ἐπαύσατο ὕμνον (pro ὕμνου), III*, 489.
Κρίσιν ἐκλαθέοντες (pro κρίσεως ἐκλαθόμενοι), III, 34.
Ὀδεύσει γαῖαν, III, 367; V, 56.
Αἴγυπτον πτολεμίξει, V, 100.
Χρυσὸν ἐπικουρήσει, III*, 291.
Λαὸν ἡγεμονῶν, III*, 255.
Κακὰ βροτοῖς ἡγεμόνευσαν, III*, 553.
Οὔνομα σέβας ἔχε (pro σεβάζου), III*, 550.
Ἄκουσάν μιν (id est, περὶ αὐτοῦ), III*, 152.
Ἄρξει Ἀσίης ἐπιβήτορας, III*, 167.
Μεθέξει ἀδύτων μυστήρια, VIII, 56.

CAP. VI. *De præpositionum usu.*

In præpositionibus haud raro peccant Sibyllistæ, seu quod ipsas insuetis regiminibus onerant, sive quod supervacaneas addunt metri causa, sive quod in alienos sensus detorquent, quorum vitiorum exempla quædam proferemus. Ac primum de regimine :

Διά. — Διὰ κέρδους (pro διὰ κέρδος), VII, 132.
Ἐπί. — Πόθον ἔχοντες ἐπ' ἀλλοτρίης κοίτης, V, 34.
Ζῶντες ἐπὶ τόλμαις, IV, 150 (153).
Μενοῦσιν ἐπ' ἄρουραν, IV, 45.
Κρίσις ἐφ' ᾗ δικάσει Θεός, IV, 178 (182).
Ζήσονται ἐπὶ γαῖαν vel ἐπὶ κόσμον, IV, 181 (186).
Ἐπὶ πρῶτον γένος ἦσαν, I, 86.
Ἐπὶ σοί (te regnante), V, 49, 50.
Ἐφ' ᾧ (quo tempore), IV, 55.
Ἐπὶ χθονὶ (sine motu, pro ἐπὶ γῆς), III*, 792.
Ἐπὶ χθονὶ (cum motu), III*, 716.
Ἐπὶ στομάτεσσι πεσόντες, III*, 725.
Ἐπὶ πρώτην κεραίην (pro ἐπὶ πρώτης κ.), V, 21, 25.
Κατά. — Κατὰ γῆς vel κατὰ γαίης (pro κατὰ γῆν), III*, 222; V, 304.
Κατὰ χθονός (eodem sensu), III*, 218, 750.
Παρά. — Χωρήσουσι παρ' ἐμοί, VIII, 423.
Παρὰ σεῖο (an pro παρὰ σοί?), V, 394, 396.
Παρὰ τήνδε (pro παρὰ τῇδε), III*, 132.
Ὑπό. — Ἥμαρτον ὑπὸ δυσσεβίῃσι, IV, 179 (183).

His addantur nonnulla etiam extra regimen observanda :

῞Αμα χρυσῷ (instar auri), VIII, 27.

Ἀμφὶ πέδον αἱμάξουσι, IV, 120, vet. rec.

Ἀντὶ ναίειν (pro ἀντὶ τοῦ ναίειν), Procem. 63.

Ἀπὸ λόγχης πολλῆς (id est μετὰ λογχῶν πολλῶν), VII, 46.

Διὰ δύσνομα φῦλα (pro ἐν δυσνόμοις φύλοις, dubie tamen), VII, 42.

Ἐν ἡγεμόσι (sub ducibus), III*, 249.

Ἐν στύλῳ (columna ducente), III*, 250, 251.

Εἰς ῞Αδου χῶρον οἰκεῖν, V, 177.

Ἐν ἀνδράσι κακὴν ὤτρυνας, V, 69.

Ἐν ὄμμασι θνητοῖς μετρῆσαι, IV, 11.

Ἐνὶ χείλεσι δώσει πτύσματα, I, 366.

Ἐπὶ εἴδει (pro κατὰ τὸ εἶδος), VII, 110.

Ἐς ὄμμα (in speciem), VII, 110.

Ἐς τὸ δοκεῖν, V, 330. Ἐς τὸ ποιῆσαι, V, 219.

Παρὰ πᾶσαν γαῖαν (per omnem terram),, III*, 501.

Σύν χειρὶ πιθήσας, IV, 119 (122).

Σύν (omissum ante regimen suum sine αὐτῷ vel αὐτοῖς), III, 309, 479, et alibi non semel.

CAP. VII. *De conjunctionum usu.*

A præpositionibus facile transitur ad conjunctiones, eas nempe quas vere dignas illo nomine censemus, adverbiis nempe conjunctivis seu relativis affines. Nam καί et τέ et ἀλλά et γάρ, aliaque similia, adverbiis magis quam conjunctionibus adnumeranda, ad particulas proximo capite discutiendas amandamus.

Sed de conjunctionum verarum regimine nullas satis certas leges græcæ grammaticæ fuisse, nemo est qui ignoret. Ne inter Atticos quidem satis constat auctorum usus, variante sæpe textu ad editoris cujusque arbitrium; quanto minus apud poetas, præsertim sequioris ævi et deterioris notæ, quales Sibyllistæ fuere?

Ac profecto, si quid aliud, lex est ea solemni usu apud bonos auctores observata, quæ post relativa cujusvis generis, sequentibus particulis ἄν vel κέ, subjunctivum modum postulat, licet interdum a poetis neglecta. Nec dubitamus eam legem Sibyllistis quoque notam fuisse, qui post ὅταν, ὁπόταν, ἤν, ἐπήν et similia, item post ὅς, ὅσος, οἷος, sequente κέν particula, vulgo subjunctivi aoristum usurpant, rarius ejusdem modi præsens tempus, ut III*, 229, 608, 815; II, 97; IV, 126 (129), etc. Sed et interdum optativi aoristum, ut

38.

III*, 700; interdum ipsius indicativi varia tempora, futurum nempe, III*, 556; IV, 150 (154); I, 337; præsens, IV, 67; imperfectum, III*, 132; aoristum denique, III, 301.

Contra, sine particulis ἄν vel κέν, conjunctiones ὅτε, ὁπότε, ἡνίκα, et similes, reperiuntur cum subjunctivi modi aoristo, III*, 285, 570, 666; IV, 96 (100); VIII, 299. Ὡς sine ἄν (pro ἵνα, ut) cum aoristo vel etiam præsente subj., III*, 130; I, 25. Ἵνα, cum iisdem temporibus passim; cum aoristo optativi, V, 477; cum futuro indicativi, VIII, 72, 293; I, 161. Sæpe enim ista omnia tempora, futuri sensu, temere apud Sibyllistas usurpari ac permisceri jam monuimus. Semel autem videtur ἵνα pro ὅτι cum indicativo positum, usitato apud Græcos hodiernos more, ideoque notari haud indigno, VIII, 97.

Εἰ quoque et εἴπερ, nunc cum indicativo vel optativo construuntur more vulgari, nunc male cum subjunctivo : sed ἤν et ἤνπερ cum subjunctivo recte, ut ἤνπερ ἀσκήσητε, IV, 165 (169).

Μέχρι (pro μέχρις οὗ), sine ἄν particula, cum subjunctivo prodit, III, 439. Ἄχρις, cum futuro indicativi, I, 273. Idem vero cum infinitivo, V, 275, 455.

Μή (prohibendi sensu, tanquam ὅπως μή) positum indiscrete reperitur cum mixtis temporibus subjunctivi et optativi, interdum etiam cum futuro indicativi, II, 143, sæpius cum infinitivo, in Phocylideis præsertim gnomis, II, 56, sqq. At οὐ μή cum aoristo subjunctivi, futuri sensu, probum est, optimorumque scriptorum usu consecratum, quod raro tamen apud epicos reperias, semel in Sibyllistis, οὐ μή θύσητε, III*, 570.

Notabimus denique varias dicendi formulas quibus Sibylla uti solet ad finem et propositum rei alicujus indicandum. Nam præter ὡς et ἵνα, vel subjunctivo vel optativo vel futuro juncta, sicut supra diximus, alias etiam formulas habet quas quinto præsertim libro frequentes redire notandum est. Ὡς cum infinitivo, ut ὡς κλαῦσαι, V, 127. Item ὥστε, cum infinitivo, ut ὥστε νοεῖν, V, 474; ὥστε νοῆσαι, V, 67; ὥστ' ἀπολέσθαι, V, 120. Item infinitivum sine ὥστε, ut III*, 209; V, 342, 344. Item ἐς τό cum infinitivo, ut ἐς τὸ δοκεῖν, V, 330; ἐς τὸ ποιῆσαι, V, 219. Item τοῦ (supple χάριν vel ἕνεκα), Alexandrinorum more, cum infinitivo, ut τοῦ πεπλανῆσθαι, III*, 233.

Plura de conjunctionibus veris earumve succedaneis dicenda fortasse suppeterent, nisi præstaret particulis immorari, quæ, variante grammaticorum usu, nunc inter conjunctiones, nunc melius inter adverbia recensentur.

CAP. VIII. *De particularum usu.*

In poetarum græcorum dictione nihil fere notabilius particulis, quæ tanti sunt momenti ut non modo dialectum et stylum auctoris, sed etiam ætatem sæpe arguant.

Uti non solent Sibyllistæ particulis iis quæ, poetis antiquioribus propriæ, postea obsoleverant, raroque apud Alexandrinos occurrunt, ut θήν et δαί. Ipso ἄρα videntur non multum gaudere : occurrit tamen in tertio præsertim libro, ut III*, 227, 264, 500, 654, et semel cum α priore longo, III*, 537 ; nonnunquam etiam in ceteris libris, IV, 33 ; VII, 129 ; VIII, 464, 465, 484, 491, sed præsertim duobus primis, ut I, 15, 263, 345 ; II, 112, 297, et quidem bis in ὅττ' ἄρα, I, 263 ; II, 297. Adde III, 96, 408. Ἄρ pro ἄρα ante consonantem semel invenimus, lib. I, v. 77 : Ἦσαν δ' ἄρ μιαροί. Tertia autem forma ῥά, quæ apud Homerum, præsertim in narrationibus, crebro redit, apud Sibyllistas vix usquam occurrit, nisi in καί ῥα, III*, 119, 127, 151, 231, 669, quæ omnia sunt ex optimis libri tertii partibus, § 2 et 4, ut nihil dubitemus ceteris hoc addere indiciis antiquitatis egregiæ, quam partibus istis assignavimus. Fatemur tamen in libris omnium recentissimis XI-XIV, semel aut bis inveniri ὥς ῥα, videlicet ad Homeri instar, sæpissime istud ῥά post relativa ponentis.

Certius originis Alexandrinæ testimonium est frequens usus pronominis οἱ passim ac sine more adhibiti, tanquam expletivæ cujusdam copulæ, quem morem, Alexandrinis poetis familiarem, in Orphicis ac præsertim in Argonauticis ad nauseam redire latius demonstravit Hermannus ad Orph., p. 792, sqq. Sunt vero in Sibyllinis hujus moris exempla, præsertim in partibus antiquioribus, III*, 113, 134, 141, 800 ; atque ibi etiam, quod rarius et notandum, μίν vacare videtur, III*, 735. In ceteris Sibyllinis specimina talis pleonasmi rariora sunt ac plerumque dubia, quæ tamen in libris XI-XIV passim obvia suis locis notavimus.

Nunc ad alias particulas transimus, quas Sibyllistæ, exemplis quippe Homeri et Homeridarum abutentes, præter modum usurparunt, plerumque metri necessitati vel malorum poetarum incuriæ ac festinationi tribuendas, neque ideo tamen nobis editoribus negligendas, unde plerasque nunc ordine alphabetico recensebimus :

Ἀλλά (pro καί), V, 45. Ἀλλά γε καί, I, 385. Ἀλλ' ἄρα, III*, 265. Ἀλλά (in adhortandi formulis), III*, 624, 625, 628, 632.

Ἅμα (expletivum), III*, 511 ; IV, 125 (128). VIII, 275, 277. Ἅμα πᾶς vel ἅμα πάντες, IV, 156 (160) ; VII, 148 ; II, 287, 325.

Ἄν (conditionis adverbium) rarius in his libris legitur quam κέ vel κέν, de quibus voculis infra dicetur.

Ἄρα et Ἄρ paulo ante sunt a nobis exposita.

Ἀτάρ, vide αὐτάρ.

Αὖ, Αὖτε, Αὖθις, sæpe redundant in Sibyllinis, ut et πάλιν vel πάλι, ἔμπαλιν vel ἔμπαλι, quæ plerumque metri causa videntur addi. Sed αὖ et αὖτε, ut plurimum, cum δέ conjunguntur, ita ut δέ præcedat; et sic revera δ' αὖ legitur, III*, 657, 702; V, 106; I, 17, 80, 117, 211, 231, 267, 297, 342. Legitur δ' αὖτε, III*, 242, 749; IV, 180 (184). I, 81, 307; II, 27. Ἠδ' αὖτε, III*, 576. Ἀτὰρ ὕστερον αὖτε, II, 295. Αὖ γε, III*, 673. Οὐδ' αὖ γε, III*, 752. At αὖθις, plerumque expletivum, sæpissime recurrit, nec solum in medio versu, sed etiam in fine, ut III, 326, et V, non semel. Cum πάλιν pleonastice legitur, αὖ πάλιν, et quod magis mireris, αὖ πάλιν αὖθις, I, 173.

Αὖθις, vide αὖ.

Αὐτάρ et Ἀτάρ frequentia sunt apud Sibyllistas, sed ἀτάρ fortasse paulo minus. Ceterum αὐτάρ passim redundat, III*, 106, 181. Sumitur pro καί, III, 691. Servit transitioni, præsertim in αὐτὰρ ἔπειτα, III*, 102, 158, 171, 175, 181. Semel cum καί procedit, αὐτὰρ καί, I, 305. Ἀτάρ vero redundat, II, 295. Sumitur pro καί, I, 172, 335, 353, 369; III, 16. Jungitur cum τε, I, 353; II, 276. Ἀτὰρ οὐδέ, VIII, 491.

Αὖτε, vide αὖ.

Γάρ nihil habet quod multum nos morari possit. Γάρ τοι legitur, III, 316, ex nostra conj., et certius I, 113. Γάρ τ' elisum (an pro γάρ τοι?), VII, 32. Γάρ τε, I, 246. Τὲ γάρ, II, 54.

Γέ sæpe vacat, III*, 128, 200, 565, 571, 673, 778; III, 429; V, 856; VIII, 279, 355; I, 105, 130, 132, 341; II, 92, 151, 187, etc.; III, 13, 45. Et quidem in fine versus, III*, 200, 571, 673. Legitur οὐδέ γε, III*, 242, 655. Ἠδέ γε, I, 211, 373; II, 300; III, 4. Δέ γε, VIII, 184; II, 106, 137, 138. Καί γε, semel legitur, III, 429. At τοῖς γε (pro τούτοις, nempe ab ὅγε), III*, 235, minime est notandum.

Δέ non semel vacat, præsertim in apodosi, ut III*, 101, 139, 149, 211, 252, 266; I, 388; II, 242. Notandum vero bis vacare illam particulam post idem pronomen in καὶ σὺ δέ, III*, 266, et in καὶ σὲ δέ, V, 88; non item in σὲ δέ, IV, 109, 140, 143. Sumitur aperte pro καί, III*, 599, et pro τε, II, 76, 156, 157, 188. Rejicitur paulo longius a sua sede, III*, 132, 279, 715, 803, 817; Procem. 23. IV, 149 (153); I, 316, 332; II, 304. Collocatur vero post alias copulas insolentius, ut in καὶ δέ, III, 401, 467. Οὔτε δέ, II, 4. Contra frequens est δέ τε, non quidem in antiquioribus libri tertii partibus, nisi semel III*, 604, sed in reliquis sæpius, III, 317, 462; IV, 78, 114; V, 170; VIII, 233; I,

134, 135, 232, 251, 257, 353; II, 18, 40, etc. Δέ τοι, I, 396. Δέ γε, II, 106, 137, 138. Δὲ μέν, I, 67, 91.

Δή vacat sexcenties in Sibyllinis, præsertim post τότε, in τότε δή vel καὶ τότε δή, III*, 108, 152, 286, etc.; IV, 62, 125, 179; III, 400; I, 22, 47, 65, etc.; II, 34, 168, 196, etc.; III, 47, 75, etc. Item post τηνίκα, III*, 117. Item post ὅτε, I, 199, 258. Post ὁππότε, III*, 741; IV, 118 (121). Post ἡνίκα, III*, 489. Post relativa quælibet, III*, 552; Procem. 69; III, 232; IV, 4, 25, 32; I, 24, 28, 30, 104, 109. Post τί interrogativum, III*, 517; Procem. 34. Post alias quaslibet voces, III*, 545, 734, 782; III, 346; III, 24, etc.; IV, 65. Interdum quoque periodi initio, sed in illa tantum poetica ac bene nota formula, δὴ τότε, III*, 557; V, 23; I, 216, 324, etc.

Ἔκποτε vel Ἔκποτε δέ, periodi initio, VIII, 86, 131. In medio periodi, VII, 91, dubium est.

Ἔμπαλιν vel Ἔμπαλι, vide πάλιν.

Ἔνθα, periodi initio, in ἔνθ' ὅταν, ἔνθ' ὁπόταν, sæpissime redit in nostris libris. Ἔνθ' αὖθις, I, 283.

Ἔνθεν, item periodi initio, in ἔνθεν ὅταν, VIII, 139; I, 387.

Ἦ, admirativum, in ἦ κακὰ πολλά, VIII, 200.

Ἠδέ (pro καί), frequens est; sed et interdum cum particulæ alterius additamento, ἠδὲ καί, III*, 168; II, 277, et 315, ubi etiam duplex τε sequitur. At ἠδέ τε, III, 377; IV, 17; II, 225, 233. Novum est et plane mirum ἠδ' ὅτε in comparatione pro ὡς ὅτε, V, 294.

Ἠὲ καί, III*, 125.

Ἠνί, in ἠνὶ δ' ἐγώ, II, 345, si vera est conjectura pro ἠδε δ' ἐγώ, de qua tamen subdubitamus. Confer ἰδού.

Ἤτοι μέν vel Ἦτοι μέν, V, 2.

Ἰδέ (pro καί), rarum satis in libris prioribus, legitur libri XI initio et passim alias.

Ἰδού, expletivum more sacræ Scripturæ, in sententiæ alicujus initio, Procem, 28, 30; VIII, 443. Confer ἠνί.

Καί, præter usum vulgarem, habet hæc in Sibyllinis singularia. Vacat in apodosi non semel, ut III*, 256, 490; IV, 43, 119, 147, 158; I, 231, 376; II, 2. Vacat multo magis cum τε conjunctum in καί τε, V, 69; I, 270; II, 222. Jungitur particulis quibusdam alienis, ut καί γε, III, 429; καί δέ, III, 401, 467. Melius cum δή construitur, καὶ δή, III, 68; καὶ δὴ καί, III, 438. De καί ῥα jam diximus supra, p. 597. Sæpe vero καί initio periochæ transitionem facit, præsertim in καὶ τότε, καὶ τότε δή, per omnes libros passim, et nonnunquam καὶ τότε δ', elisa ultima, præsertim in prioribus libris, I, 211, 231, 237, 315, 360, 473; II, 20, etc. Hic etiam commemoranda sunt exempla præcipua contra-

ctionum quas in hoc adverbio apud Sibyllistas crebro recurrere monuimus : κἀγώ, VIII, 409; καἰσχρόν, Procem. 69; κἀκ, Prooem. 71, et κἄκϐαλεν, I, 50, ubi vulgo κάϐϐαλεν male; κἀκπραχθήσῃ, VIII, 128; κἀξεδαφισθήσῃ, VIII, 39; κἀκεῖ, V, 107, 130; κἀν (pro καὶ ἐν), Prooem. 68, et item III*, 251, ubi male κἐν legitur; κἄν (pro καὶ ἄν), III, 18; κἄστησαν, III, 499; κἀσφάλτῳ, VIII, 102; κἀσχημοσύνῃ, V, 388; καὐτός, V, 62, 201, 459; κεἰ, VIII, 33; κεἰς, V, 459; κἐν (pro καὶ ἐν, sed falso; confer supra κἄν), III*, 252; κἤνοιξαν, III*, 500; κοὐδέ, III*, 596; κοὐκ, VIII, 344; κοὐκέτι, VIII, 342; χἠγητῆρα, Prooem. 6; χὠς, VIII, 383, 388; I, 37.

Κἄν, sensu minus attico (etiam, vel), Prooem. 68, et III, 18.

Κέ vel Κέν habet plerumque vim suam conditionis vel simpliciter enuntiandæ, vel addendæ relativis. Sed vacat interdum, ut III, 301, 351; VIII, 173. Cum ἄν redundat in ὅττι κεν ἄν τις, II, 69.

Μέν nusquam videtur esse notabile nisi in οὐδὲ μέν, III*, 227, 651; I, 361; II, 301. Οὔτε μέν, I, 35. Δὲ μέν, I, 67, 91.

Μή, confer οὐ.

Μήν rarum est in Sibyllinis. Occurrit οὐ μήν (pro οὔτε vel οὐδέ), III*, 225; III, 485.

Οἱ expletivum supra jam, p. 597, cum suis locis indicatum est.

Οὐ (pro μή), cum optativo, IV, 166 (170), et cum subj., I, 130. Οὐ μή vel Οὐ γὰρ μή, vide supra, pag. 596. Οὐ μήν, vide μήν.

Πάλιν seu Πάλι sæpe versus causa videtur addi, ut I, 22, 96, 104, etc. Nunquam tamen omnino vacat, nisi quum pleonastice post αὖ ponitur, ut supra in αὖ dictum est.

Πέρ vacat interdum, III*, 504. Item in ὅσσα περ (id vero recte post relativum), VIII, 439. Ὧν δή περ (recte pro ὧνπερ δή), III, 394. Ὡς πάρος ἦν περ (recte pro ὥσπερ ἦν πάρος), III*, 294. Ceteris in locis ab usu vulgari non discedit, et *quamvis* significat; semel tamen inepte satis et contra sensum, I, 116.

Ποτέ sæpe vacat, ut in ceteris poetis, metri causa, notandum tamen in quinto pede, III, 304 et 307.

Ῥά, de hac particula, et de ἄρα vel ἄρ, confer quæ supra dicta sunt in ἄρα.

Τέ (pro καί) frequentissimum est : Sæpe vero vacat, ut III*, 164, 176, 564, 590, 663, 752; III, 359; IV, 155, vet. rec.; V, 94, 204, 320; VIII, 353; I, 88, 189; II, 21, 54, 185, 189, et sæpius in illo potissimum secundo libro. Post relativa vacat quidem, sed recte omnino et favente optimorum poetarum usu, III*, 214, 597; IV, 4, 119, 134, 145; V, 170; I, 202; II, 54, 217, 314. Item in ὅσα κέν τε, III*, 590. Item in μέχρι τε καί, III, 441. De aliis particulis, ut καί τε, ἀτάρ τε, αὖ τε vel

αὖτε, confer ea quæ præcedunt. Offendit aurem, quamvis apud poetas non rarum, δέ τε, locis supra indicatis; item ἠδέ τε, de quo etiam supra, et τήνδε τε, III*, 663, et alia similia. Male positum videtur et a suo loco remotum, III*, 547, 680, 730, 770; Proœm. 44. IV, 69; V, 94, 159, 366; VIII, 307. Prorsus autem vitiosum est quum pro καί ponitur inter duas voces, ut ἦμάρ τ' εὐφρόνη (pro ἦμαρ καὶ εὐφρόνη), VIII, 453 (quæ pars est hujus libri recentior), et similia sæpe in primis libris I, 169, 290, 310; II, 8, 215, 248, 258, 268, 319; III, 79. Quod mendum, quum in ceteris Sibyllinis non occurrat, novitatis indicium grave nobis videtur.

Τοί expletivum est in τούνεκά τοι, III*, 104; οὕνεκα τοι, III*, 128, 201; δέ τοι, III*, 149; γάρ τοι, I, 113, ac fortasse VII, 32, III, 316; τοιγάρ τοι, V, 453; μήτοι, III*, 737; ἵνα τοι, VIII, 326. Et post relativum, in ἥν τοι, V, 156.

Hæc sunt quæ de particularum usu Sibyllino observanda duximus, non omnia quidem, sed præcipua. Et fortasse notandi hic quoque erant loci nonnulli in quibus copula male omissa est, ut V, 101, 122; VIII, 10, etc. Sed periculum erat ne in his quisquiliis colligendis longior mora lectori fastidium moveret, præsertim quum a grammatica hujus Excursus parte tempus jam sit ad alteram paulo delicatiorem, metricam nempe, properare.

CAP. IX. *De quantitate syllabarum.*

Nunc a rebus mere grammaticis transimus ad metricas; ac primum, ut ab elementis ordiamur, ad syllabarum quantitatem, quæ ipsa quodammodo grammaticæ pars est.

Sibyllistæ legum prosodicarum non fuerunt ignari, quamvis in eo genere multa sibi licere existimaverunt. Nec solent, nisi coacti aliquando metri necessitate, a recepta vulgo quantitate vocum discedere: tamen ubi id expeditius videtur, jus sibi vindicant in vocalibus præsertim ambiguis idem quo constat Homerum aliquoties usum esse, ut metri causa brevia producant aut longa corripiant.

Rarius id fit in partibus libri tertii antiquioribus, quas diximus sub Philometore Ptolemæo esse scriptas; et hoc ipsarum antiquitati favet. Ibi tamen hæc invenimus ab usu communi discrepantia:

Ἀλαλαγμός, tanquam a dactylo incipiens, duplici culpa, III*, 694.

Ἀείρουσι (α longo), III*, 591, contra usum, non tamen sine analogia verbi ἀείδω, primam aliquando producentis apud auctores.

Ἆρα (pro ἄρα, sine interrogatione), III*, 537, minus quidem epice, sed exempla non desunt Atticorum.

Δρυμοί seu Δρυμά (υ longo) contra usum Homericum, nec tamen sine bonis exemplis, III*, 651, 731.

Ἐγγαστριμύθων (ι longo), III*, 226, sed suspicamur ἐγγαστερομύθων.

Ἔκρινεν (ι correpto), III*, 127, pessime sane, quum in προέκριναν, VIII, 19, recte producatur. Itaque pro καί ῥ' ἔκριναν, fuerunt quibus placeret καὶ κρῖναν, conjectura tamen haud probabili, propter usum particulæ ῥά non facile huc a librariis invectum.

Ἑσπέραν (ultima brevi), III*, 798, ultro in ἕσπερον converteretur, nisi mendum videretur auctoris potius quam librarii.

Ζωογραφίας (cum initio iambico), III*, 589, ubi videtur auctor ω corripuisse propter sequentem vocalem, quod factum est in ζῶα, II, 210. Vix enim credimus ζωγραφίας esse reponendum, quamvis versus ita stare possit, sed male.

Κριτής (priore longa), III*, 781, repugnat exemplis et analogiæ, melius correptum in δικαιοκρίτης, III*, 704.

Μυρίων (prima longa), III*, 648, sed legendum fortasse μιαρῶν.

Παραλίαις (cum ι longo), III*, 493, turpis vitii manifestum est, quanquam in ἀτιμίη, ἀκαρπίη et similibus idem sibi indulserunt boni poetæ, sed in substantivis tantum, nunquam in adjectivis.

Τύχωσι (prima longa), III*, 634, barbarum est; et tamen idem mendum recurrit, lib. VIII, v. 202.

Υἱοί (priore brevi), III*, 152, cum quo, si vacat, confer V, 6 et ibi cur. post.

Φαρμακούς (media longa), III*, 225, fortasse rectius in φαρμακέας mutandum.

Ὠλένας ἁγνάς, III*, 591, æolice scriptum videtur; sed est mera auctoris licentia vel merus error, cujus causam diximus, pag. 584.

Quædam omisimus, quæ vulgo in epicis produci solita, attico tamen more etiam in hexametris recentioribus corripi mos increbuerat, ut ἀνήρ, καλός, et similia. His exceptis, et si quæ alia dubia possunt haberi, reliqua modo citata hujusmodi sunt, ut facile quivis videat quantum sibi licentiæ jam priscis illis temporibus indulserint poetæ parum diligentes. Porro quum ad harum partium exemplar ceteri Sibyllini libri compositi sint, nihil mirum si, post illos veteres minusque ineptos poetas, alii recentiores et indoctiores per eamdem orbitam longius progressi sunt. Utque paucis rem absolvamus, videntur non semper nec ubique, sed nimis crebro duabus abusi esse regulis, quas ob pauca veterum exempla grammatici incaute posuerant:

1° Vocalem omnem mediam sive ancipitem, nempe α, ι, υ, posse

ad poetæ libitum vel produci vel corripi, sive ante consonantem, sive ante vocalem;

2° Vocalem omnem longam, pariterque omnem diphthongum, sequente vocali, posse ad libitum vel produci vel corripi.

Quæ postea regulæ, si tamen ita dicendæ sunt, viam aperuerunt liberiori et prorsus ingratæ versificandi rationi, quæ ita recte definitur a Joanne Tzetze in suis iambis, initio :

Μούσης μέτρα φέρουσα τῆς ἀγυρτίδος,
Καὶ τὴν ποδῶν εὔρυθμον οὐ τηρεῖ βάσιν,
Πάσας δὲ μισεῖ διχρόνους καὶ τριχρόνους,
Κανὼν δὲ τέχνης οὐδαμῶς αὐτῇ φίλος.

Hæc illa est ars nova, seu potius antiquæ artis ludificatio, quam videmus per totum medium ævum invaluisse, præsertim in iambicis, ac serius (sed jam labente omnino lingua) in politicis, quos vulgo vocant, versibus.

Nondum tamen, quum Sibyllina scribebantur, e licentia transierant hæc in usum communem ac legitimum. Itaque apud Sibyllistas exempla hujusmodi nec tam crebra sunt, ut barbariem omnino redoleant; nec tam rara, ut degenerem ætatem non sæpe prodant; frequentiora autem aut rariora pro scribentium ætate vel peritia vel cura. Quorum aliqua jam protulimus e libri III antiquissimis partibus, plura nunc prolaturi e diversis libris, omissis tantum quatuor ultimis et pessimis, quos in singulare caput reservari diximus.

Itaque in nominibus α finale sæpe corripiunt Sibyllistæ, ubi producendum erat, ut in ἐλευθεροπρασία, II, 13; ἱεροσυλία, II, 14; βασιλεία, III, 47; VIII, 9; et cum elisione ἀκαταστασί', II, 168. Eodem pertinent ἡμέραν, II, 193, 227; ἑσπέραν, jam dictum, aliaque similia.

In terminationibus nominum compositorum in ίη vel ία, literam ι sæpe producunt, ut in ἀκαρπίη, IV, 72; ἀταξίη, VIII, 24; ἀθανασία, II, 41; μεσημβρία seu μεσημβρίη, passim; neque hoc carere exemplis paulo ante diximus. Sed etiam, quod quis magis miretur, in simplici θυσίη, II, 82.

Crementa quoque nominum perturbant, quum Ἀσσίδ scribunt ι longo, IV, 71; ἀκτίνοεντα, ι brevi, VIII, 191; ἰσχύϊ, υ longo, VIII, 431.

Sæpius vero peccant in crementis verborum, ut quum longa vocali scribunt κλύσει, V, 58, et VII, 23; κατέκλυσε, I, 230, et confer V, 223; φανέντος, V, 151; ἀλλαγῇ, V, 272; μιγεῖσα, V, 317; τύχῃ, VIII, 202 (prorsus ut libro III*, 634, τύχωσι); πηγνύμενος, V, 292; κέχυται, I, 139; πιεῖν, VIII, 303; δειδιότες, I, 112, 176; καινιεῖ, I, 184. Imo vocalem brevem audacter producunt in δυσανασχέτου, VIII, 175, et ὑψιβρεμέτα, III, 1, quanquam erunt fortasse qui legi malint δυσανασχήτου

et ὑψιβρομῆτα. Ad idem genus referri potest κριτής, priore longa, VIII, 441, de quo jam supra; item ἀφθίτως, V, 503. Contra brevia multa crementa invenimus, quæ jure longa esse deberent, ut in ἱδρυμένος, III, 2; ἐπήρατος (pro ἐπάρατος vel ἐπαράσιμος), VII, 7; τίσαντες, II, 275; imo, turpe dictu, μιάναντες, II, 280, cui simile ἔκριναν e libro III* jam notavimus.

In ipsis denique radicalibus nonnunquam brevia producuntur, ut in ξύλου, V, 256; ἴτυς, V, 515; μύλοι, VIII, 14; μυχοί, I, 223; πολύφυτον, V, 124; θυγατέρες (utraque longa), VII, 72; ῥαπίσματα, VIII, 288; ἐσάγει, VIII, 325; γίγαντες, I, 124; ἄγιε, II, 348; γαλουχοῦσιν, II, 192 (dubium tamen). Contra, quæ natura longa sunt, est ubi breviantur, ut in φύλον, VII, 41; ἐμφυλίου, VIII, 90; λαόν, VII, 119; ἵλεως, I, 161; θλίβεται, V, 86; ἐγίνωσκον, I, 76; μιμοῦ, II, 146; κιβωτός, I, 26; συκοφαντεῖν, II, 73. Quædam ex arbitrio scribentis vel metri necessitate nunc corripiuntur, nunc producuntur, ut α initiale in ἀείδω, ἀείρω, ἀΐω, ἀΐσσω.

Adde, non jam in radicalibus, sed in particulis initialibus, productas contra omnem regulam vocum istarum syllabas primas: ἄδικος, II, 61; ἄμετρος, II, 95; ἀσεβέων, III, 35; σύνεσις, II, 29. In διδούς etiam priorem produci mireris, III, 412.

Quæ omnia si in vocabulis communibus audentur, quanto magis in propriis, qualia sunt Λατῖνοι et derivata, quatuor diversis notata modis, III*, 597; V, 167; VIII, 131; III, 51; Ἰταλοί, duobus, III, 353, et ibid. 355; Ἑβραῖοι, item duobus, V, 160, etc.; I, 395, etc.; Νῶε) tribus, I, 126, 128 et 201. Γίγαντες male in longam excreverunt, lib. I, 124; II, 233. Corruptam pariter quantitatem invenias in Συήνην, V, 193; Ἰώνων, V, 287; Τῦρος, VII, 62; Ῥαβέννη, V, 204.

Hæc de vocalibus ancipitibus. Longas vero ante alteram vocalem corripere nunquam fuit ulla Sibyllistis religio. Hinc apud illos invenias ω correptum in ζῶα, II, 210; Νῶε, I, 128, etc. Multo minus abstinuerunt a diphthongis attico more breviandis, ut in ποιεῖν sæpe, et sic in qualibuscumque vocabulis: οἷον, I, 128; ὁμοῖος, I, 309; ὁμοιούμενος, I, 325; καίουσι, VIII, 385; κλαίετε, I, 181; δίκαιον, II, 94; ματαίως, III, 29; βαιόν, II, 347; γαῖα et γαίη, V, 93, 156; VI, 21; VII, 10; III, 72, 85; κεραίη, V, 21, 25, 28, etc.; ἀμοιβαῖα, III, 432; αἰώνιος, II, 54; III, 20.

Sed multo sane gravius est quod ει ante consonantem interdum corripitur, ut in ἅμ' ἐμῷ πόσει καὶ δαέρεσσι, I, 289, et in πόλεις, I, 187. Dubium hoc magis in ἀεικούρῃ VIII, 453, an pro αἰκούρῃ? et in Ποσειδῶνι, V, 156, ubi nos Ποσιδῶνι scripsimus, et in εἰσελαστικός, II, 39, ubi nos ἰσελαστικός. Priora exempla si quis ionismo imputari

velit, non repugnabimus: verius tamen id factum censemus noto pronuntiationis usu, quo ει diphthongus et ι litera confundebantur.

Post longas male correptas, signandæ sunt etiam breves, ubi contrahi non poterant, omnino crasi absorptæ, quod ut poetis præsertim atticis frequentissimum est, ita tamen in quibusdam vocibus inusitatius a Sibyllistis factum videtur, ut in θεατροκοπῶν, V, 141; νεῶν, templorum, VIII, 487; εὐώμεσθα, ibidem; βοῶν, II, 9; aut ubi vocales longæ cum brevibus sequentibus coalescunt, ut in Νῶε, I, 201; ἀέναα, Procem. 44. Nam illæ quidem crases μὴ ἀρσενοκοιτεῖν, II, 73, et ἢ εἰς, II, 112, tolerandæ videntur, quia bonis auctoribus non carent.

Minime vero ferenda est inaudita synizesis in πολιόκρανος, VIII, 52, eo gravior quod syllaba ex ιο contracta brevis in illo versu remanserit. Notandæ etiam synizeses aliæ prorsus novæ in vocabulorum quorumdam propriorum initiis: Ἰουδαία, V, 262; Ἰουδαῖοι, IV, 124 (127); V, 248; Ἰορδάνου, VI, 5; VII, 67; forsan et Ἰόππης, V, 250: in quibus latinum magis quam græcum morem sequi videntur Sibyllistæ, atque eo manifestius ætatem suam produnt. Sic enim Latini I suo consonante utuntur, unde nos J gallicum effecimus. Græcos autem ea litera caruisse apud grammaticos convenit, nec talis licentiæ specimen apud antiquiores aliud, quantum scimus, reperitur.

Post hæc tam audacter commissa, nemo Sibyllistis litem movebit quod vocalem natura brevem ante duas consonantes, quarum altera liquida est, libere ubique corripiant Atticorum exemplo, contra Homericum morem, a quo tamen non Sibyllistas modo, sed et meliores interdum poetas discessisse fatendum est. Id quum apud Nostros frequentissimum sit; exempla proferre abstinebimus, præter pauca duriora vel insolentiora, qualia sunt hæc: ἀγνοοῦσι, III, 398; ἀράχναις, Procem. 64; βιβλίον (id vero contra vulgarem grammaticorum regulam), III, 82; ἐφετμαί, I, 7, 38, 45; ἱκνεῖται, in fine versus, III, 304, 779; μυρίπνους, V, 128; ὑπνώσας, VIII, 312; ἀγρυπνοῦντας, II, 179. Adde jam supra notatum ἀλαλαγμός e libro III*, 694. Sed et, quæ nimia est audacia, inverso literarum ordine, id est, præeunte liquida, idem sibi indulgent nostri poetæ in πιστοπορθεῖς, VIII, 187, et Μαρσύαο, I, 265.

Vix notandum in fine vocum, ante duas sequentis verbi consonantes, vocales natura breves quantitatem sæpe suam servare; imo aliquando durius, ut in ποτὲ στῆσε, V, 258, et πρὸ κτίσεως, VIII, 441. Contra eædem nonnunquam male producuntur, fracto et elumbato versu, ut in σὲ κλαύσεται, V, 169.

Aliam quoque rationem quantitatis inflectendæ, veterum poetarum usu firmatam, passim usurpant Nostri, quum liquidas metri causa

vel geminant, ut in ἐλλιτάνευε, I, 149; ἐλλύοντο, I, 221; ἀγαννόφρων, II, 140 (adde, si libet, δυσσηχής, V, 245); vel geminare omittunt, ut in βαθύρους, V, 134; ἀπορίψαι, I, 338; ἔρεξας, V, 90, 191; VII, 151; περιρήσσονται', II, 105; quæ notanda magis quam vituperanda (sunt enim bonis etiam poetis familiaria) poterant hic omitti.

Cæsura denique abutuntur Sibyllistæ ad producendas vocales natura breves. Sed hoc jam ad metricam altiorem, nec tam ad mensuram vocum quam ad versuum constructionem pertinet, ideoque in proximum caput differendum videtur.

CAP. X. *De construendi versus artificio.*

Sunt qui ad definiendam ignoti cujusvis poetæ græci ætatem multum conferre putant cæsurarum computationem, quot in penthemimeri positæ sint, quot in tertio trochæo; nam hephthemimeris apud epicos poetas græcos rarior est. In hoc disquisitionis genere multum sibi complacuit doctissimus Hermannus, cujus disciplinam recentisimus quisque Germanorum secutus est, et inter alios eruditus Volkmannus, opere de Sibyllinis supra cit. Sed nos istud criterium parum per se valere credimus, saltem ante Nonnum poetam, cujus potissimum exemplo mos videtur invaluisse apud elegantiores poetas, Musæum, Coluthum, Tryphiodorum, Quintum, ut tertio trochæo pæne unico uterentur. Antea sane, nisi fallimur, nullam talem sibi legem imposuerant poetæ; ac ne doctissimi quidem et optimi, quanto minus imperiti ac negligentes! multum videntur de ea re cogitasse; sed vel fortuito (quod plerumque accidebat), vel solo aurium judicio, varietatis causa, modo hanc, modo illam cæsuram admittebant.

Nec tamen nihil omnino ex illa cæsurarum ratione profici posse contendimus. Nam vel ideo quod aurem quisque suam ejus rei arbitram sibi faciebat, patet illo indicio detegi posse nonnunquam poetæ alicujus, si non ætatem, at certe indolem; nec fortasse quo tempore vixerit, sed quo circa numeros judicio præditus fuerit, inde posse judicari. In summa credimus, quo quis epicorum poetarum, vel epico versu scribentium, aure magis limata et tersa esset, eo libentius in tertio trochæo substitisse, quod istud cæsuræ genus magis rotundum ac teres videatur, idemque compositarum vocum, quas Græci summopere appetunt, sonoræ magis pateat amplitudini.

Porro Sibyllinorum librorum antiquissimæ partes, III, § 2 et 4, sub Ptolemæo Philometore scriptæ, utriusque cæsuræ exemplis æqualiter fere miscentur. Post æram nostram primus omnium procedit quartus

liber: is tertio trochæo tam sæpe utitur, ut binas hujus modi cæsuras pro singulis alterius generis exhibeat. Huic ætate non multum dispar Procemium utrasque pari fere numero complectitur; videtur tamen, si quid de tam brevi carmine divinari potest, tertio magis trochæo favere, quo decem interdum versus pæne continuos dimetitur, ut 14-24, et 75-86. Contra in ceteris libris ceterisve librorum partibus rursus prævalet penthemimeris, in libro VIII, § 1 et 2, ratione fere triplici; in libro V, ratione duplici; in libris III, § 3, VI et VII, VIII, § 3 et 4, ratione fere sescupla. Nec aliter in libris I et II. At liber III, § 1, quamvis ab eadem manu profectus, aliter paulo se habet; quandiu enim Procemii vestigia sequitur, tertio trochæo magis gaudet: ubi per se procedere nititur, penthemimeri non minus utitur quam priores.

Ex his ætatem singulorum librorum aut originem, si quis voluerit, expiscetur; nos illas controversias certioribus rerum argumentis dirimere conati sumus, præsertim in Excursu V, nec, ubi firmiora documenta suppetunt, levibus ac vacillantibus versificationis indiciis nimis utendum esse censemus.

Itaque nec illi argumento multum tribuimus, quod a quibusdam recentioribus colligi videmus e syllabarum brevium productione per cæsuram. Id enim in hexametris non cuivis concessum esse, aut esse huic licentiæ modum, nemo sane antiquiorum sibi facile persuasisset; quippe post infinita Homeri exempla, prorsus id solo ex aurium arbitrio pendere credebant; atque illo jure poetas omnes temere videmus usos usque ad Nonni tempora. Omnes ergo Sibyllistæ cæsuras libere producunt, maxime quum vocalis brevis in ipso vocis fine posita est, ut III*, 292, χρυσόν τε χαλκόν τε, et 551, ἔτεα καί; Procem. 46, ἑρπετὰ δὲ γαίης, et ibid. 67, καὶ λίθινα ξόανα, καί; VIII, § 2, v. 258, καὶ φθαρτῇ σαρκὶ μορφήν; V, 275, ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα; I, 231, ἀλλὰ πλάνα, καὶ δή, et quid omnia referamus? Exempla vero noluimus huc afferre quæ dubiæ fuissent auctoritatis, nempe in quibus ι breve, addito ν ἐφελκυστικῷ, produci poterat; quod editores quidam suo arbitrio facere solent, quodque omissum in editione nostra Volkmannus, vir doctus, nobis exprobravit, secutis licet in ea re, sicut jam olim monueramus, optimorum exemplarium R. L. F. constantem pæne normam. Et sane facile erat, ubicumque scriptum reperiebamus καὶ πᾶσι βασιλεῦσι, III*, 178, de nostro πᾶσιν reponere, et sic VIII, 224, ῥίψουσίν δ' εἴδωλα, et ibid. 319, χερσίν τε ποσίν τ' ἐπιδείξει, et multa similia, nisi, nobis quidem judicibus, ingratum quiddam sonaret tinnitus ille finalis, quem Persius carpsit, Satir. I, v. 105:

Et in udo est Mænas et Attin.

Vocales vero in cæsura producuntur non eæ tantum quæ vocem claudunt, sed etiam quæ consonam sequentem habent, ut III*, 173, νέφος ἥξουσι, vel ἄξουσι, et ibidem 213, εὐσεβέσιν ἥξει, et 536, οἴσουσιν ἐχθροῖσι, et 550, σέβας ἔχε, et 726, τέρψωμεν ὕμνοισι; VIII, 27, γάμος ἅμα, 44, λίθινος ἢ χάλκεος, et 87, ὅταν ἔλθῃ, et 88, ὁπόταν ἐπί; V, 177, Ταρτάρεον οἴκησον, et 178, πάλιν, Αἴγυπτε, et 192, κοπετὸν ὄψονται, multaque alia, quæ, in Homero tam frequentia, nescimus cur apud alios poetas hodie reprehendi soleant.

Etiam diphthongos αι et οι, ubi sunt natura breves, in cæsura ante vocalem producunt Sibyllistæ, ut III*, 790, φάγεται, et 798, ἐννύχιαι, et 703, εὐφραινόμενοι; VII, 127, καιόμενοι; VIII, 14, μύλοι, etc. Quid mirum, quum etiam vocalem brevem ante alteram vocalem passim producant, ut III*, 700, οὐδ' ἀτελεύτητα, ὅτι κεν, aucta sane in pejus Homeri licentia, qui scripserat, Iliad. I, 527, οὐδ' ἀτελεύτητον, ὅτι κεν. Sed hoc jam spectare videtur ad aliud vitii genus, ad hiatum nempe, de quo nunc aliquid dicendum est.

Hiatus proprie vocandus est in poesi græca, quum in fine vocis ante primam verbi sequentis vocalem brevis vocalis non eliditur aut longa non corripitur. Apud Homerum hujus licentiæ nullus fere vel parcissimus usus est, nisi digammo intercedente, quod sæpe fit. Sed qui Homerum secuti sunt, præsertim postquam abolevit digammi ratio atque ipsa pæne memoria, talium, ut videbantur, hiatuum innumeram pæne copiam apud Homerum reperientes, falsis vestigiis decepti, in apertam viam præcipites ierunt.

Hos Sibyllistæ, ad quamlibet licentiam proni, libenter in hac re imitati sunt; atque inde nihil frequentius apud eos quam isti vocalium conflictus. Quibus tamen accensenda non putamus loca illa in quibus hodie fit collisio ante οἷ pronomen aut ἔργα aut alias quasdam voces frequentis usus ac pæne perpetui, quæ quum olim digammo notarentur, ideoque apud Homerum plerumque cum hiatu procederent, mos idem apud epicos recentiores, licet veræ causæ ignaros, prævaluit. Lenitur etiam hiatus quum virgula vel major distinctio intercedit, uti sæpe casu evenit. Sed et sine digammo, sine distinctione, hiatus multi minus ferendi lectorem offendunt vel in antiquissimis Sibyllinorum partibus, nempe libro III*, § 2 et 4, v. 227, 240, 553, 563, 643, 650, 672. Quanto plures in ceteris libris, qui et recentiores sunt, et plerique minus diligentes! Ac notandum id libentius in præpositionibus fieri, ut III*, 715, ἐνὶ ὕμνοις; I, 260, ἐπὶ ἠόνος, et 261, ἐπὶ ἠπείροιο, et 394, ὑπὸ ἀνδρῶν; II, 190, ἐνὶ ἤματι, etc.

Hactenus vero exempla tantum notavimus vocalium brevium non elisarum. Nunc ad alterum hiatuum genus transeundum est, quum

vocales longæ seu diphthongi ante vocalem non corripiuntur. Nec omnia recensebimus. Conferantur tantum III*, 136, 208, 505, 579, 623, 734; IV, 75, 79, etc., etc. At in istis omnibus locis afferri potest cæsuræ excusatio. Esto. Afferri autem minime potest III*, 519; V, 62, 218; I, 470, etc. Et huc redit quod supra indigitavimus, non longas tantum diphthongos, sed et breves, ante vocalem productas in cæsura reperiri. Id vero etiam extra cæsuram, ut III*, 166, ὅσσαι, et 674, λάμπουσαι. Unde patet productionem istarum syllabarum, ubicumque medio in versu apud Nostros occurrit, non tam cæsuræ imputandam esse quam falsæ de earum natura opinioni, tanquam ancipites prorsus fuerint, et poetæ arbitrio permissæ. De καί adverbio, ante vocalem producto, quod passim in omnibus Sibyllinis occurrit, etiam libro III*, 233, 598, etc., non est quod multum curemus, quum etiam apud bonos poetas atque ipsum Hesiodum occurrant talis licentiæ specimina, frustra ab editoribus tentata. Hæc omnia, ut diximus, inter hiatus referenda sunt.

Contrarium est hiatibus vitium quum syllabæ quædam durius eliduntur, ut III*, 100, ἀναβῆν' (pro ἀναβῆναι, si vetus lectio retineatur); III*, 130, θρέψ' (pro θρέψαι); IV, 136, vet. rec., μυριάσ' ἀνδρῶν; II, 84, πεινῶντ', etc. Leviora tamen hæc, quum in solis verborum elementis versentur, quam quæ jam exprobranda supersunt, ad ipsos versus atque ad totam eorum compagem pertinentia.

Occurrunt in nostris carminibus pessime constructi versus, et quos, ut ait Horatius, incudi vel torno reddere satius fuisset, sive quod cæsuris careant, sive quod hiulci ac dissuti supervacaneis particulis male conglutinentur, sive quod nescio quid distortum ac deforme præbeant, quales hi sunt:

III*. 128. Οὕνεκά τοι πρέσβιστός τ' ἦν γε καὶ εἶδος ἄριστος.
134. Θήλεα δὲ ζῶντ' εἴων οἱ παρὰ μητρὶ τρέφεσθαι.
141. Τοὔνεκα οἱ Δί' ἐπωνομάσανθ', ὅτι οἱ διεπέμφθη.
242. Οὐδέ γε χήρας θλίβει, μᾶλλον δ' αὖτε βοηθεῖ.
571. Ὅσσα μόνος βουλεύεται οὐκ ἀτέλευτα Θεός γε.
778. Εὔβατα καὶ εὔπλωτά γε ἔσσεται ἤμασι κείνοις.
IV. 78. Πεζεύσει, πλεύσει δέ τε μοῦνος ἃ ποσσὶ πατεῖται.
V. 62. Λυπρὴ, ὥστε βοῆσαι καὐτὸν τερπικέραυνον.
109. Εἶτ' οὕτω τέλος ἔσσεται ἄφθιτον ἀνθρώποισιν.
156. Ἣν τοι πρῶτον ἔθηκάν τ' εἰναλίῳ Ποσιδῶνι.
259. Μηκέτι τείρεο θυμὸν, μὴ στήθεσσι μέγαιρε.
288. Αἶ αἶ, Σάρδεις, αἶ αἶ καὶ πολυήρατε Τράλλις.

Tales versus tamque inficetos reperias in aliis quoque libris, interdum tamen, ut vel de priorum exemplorum quibusdam suspicari

licet, fortasse librariis non minus quam Sibyllistis tribuendos. Sed aliud vitium est, primo præsertim et secundo quatuorque ultimis libris peculiare, de quo nunc aliquid est dicendum.

Passim quippe in istis libris videtur auctor aliud agens non satis curare utra cæsura in priore hemistichio sit usus, et quum in penthemimeri versum diviserit, tanquam id sit in trochæo factum, sequens hemistichium ab iambo incipere; cujus rei specimina hæc sint :

I, 222. Οὐρανόθεν μεγάλων ἀνοιγομένων καταρακτῶν.

235. Καὶ λεύσας ὑδάτων ἀπειρεσίων πολὺ πλῆθος.

II, 276. Ἀντιπαρασχόντες, ἀτὰρ θ' ὅσοι ἠπείθησαν.

Quibus cum versibus conferendi sunt alii similes I, 207, 303, 357; II, 42, 288, 317. Confer etiam, quamvis ex alio libro certaque minus exempla, VIII, 462, 466, et plura dabunt ultimi libri XI-XIV. Sed eorum versuum plerique conjectaneis emendationibus sive priorum editorum, sive etiam nostris materiam facilem præbuerunt : esto, facilem, non vero certam neque tutam, quia frequentiores sunt in istis libris tales nævi, quam ut forte accidere videantur.

Aliter affectus est hic versus, I, 146 :

Οὐκ ἀμύητος ἔσῃ τῆς παρ' ἐμοὶ σοφίης,

quod poetæ, inscio necne, ex hexametro in pentametrum excidit, ubi Castalio et post eum plerique medelam in textum intulerunt :

Οὐκ ἀμύητος ἔσῃ θείης παρ' ἔμοιγε σοφίης,

vana tamen conjectura, saltem non necessaria, quia talis metrorum confusionis exempla multa apud Manethonem inveniri monuimus olim in notis ad hunc versum, et alia quædam ex epigrammatis adduximus in Cur. post., quæ nunc non libet repetere.

Porro ista omnia, quæ hactenus dicta sunt, vitia crebrius in iis libris occurrere qui sunt ætate posteriores, nemo mirabitur, quum uti jam in Excursu V monuimus, brevi post secundum a Christo sæculum, id est, post Antoninos, degeneraverit Sibyllina poesis atque omnino pessum ierit. Quam autem iis talibusque monstris quatuor ultimi scateant libri, recentius nec sine magno fratrum dedecore in lucem prolati, quoniam dissimulari non potest, aperte nunc ostendemus.

CAP. XI. *De græcitate et metrica librorum quatuor ultimorum.*

Istorum librorum auctores, sub triginta tyrannis, sæculo tertio jam vergente, scribentes, homines, ut videntur, crassioris Minervæ ac vilioris ingenii, artis metricæ parum gnari, lucri quam famæ

cupidiores, ita Sibyllinam Musam depresserunt ut ipsam e Parnassi qualicumque gradu in fossam et cœnum demersisse videantur.

Ac primum vitia quæcumque in prioribus observata sunt, in his multo plura ac multo graviora deprehendas. Ipsa illa conjugationis portenta quæ in futuris verborum notaveramus, ex mala loquendi consuetudine prognata, quæ illic rara erant, hic non modo frequentiora, sed et audaciora pullulant. Ita πέσεται et χαππέσεται et φύγονται, quæ semel aut bis in prioribus occurrerant, huc admodum crebra redeunt; præterea κατθάνεται, XII, 36; imo et λάβεται (pro λήψεται), XI, 294; adeo ut minime dubitemus quin has futuri formas omnino legitimas duxerit Noster, pariterque dicturus fuerit δάκεται (pro δήξεται), ἕλεται (pro ἑλεῖται sive αἱρήσεται), etc. Sed et aliis modis futura corrumpit, quippe apud quem, præter φύγονται et πέσονται, non multo melius legatur φυγοῦνται, XI, 45; pessime autem et omnino barbare, πεσσοῦνται, XIV, 145.

Nec minus barbaræ sunt verborum formæ ἀντείλουσι (pro ἀνατελοῦσι), XI, 103; τμήσει (pro τεμεῖ seu τμήξει), XII, 84; λησάμενοι (pro λαθόμενοι), XIV, 72, etc.

Omittimus futura indicativi, sicut in prioribus libris cum subjunctivo et optativo sine discrimine permixta, lib. XI, v. 17, sq.:

Ὧν ἀριθμοὺς λέξω, καὶ ἀκροστιχίοις ὀνομήνω
Γράμματος ἀρχομένου, καὶ τοὔνομα δηλώσαιμι,

multaque alia similia.

Omittimus particulas usque ad nauseam ac sæpe citra sensum repetitas, δέ, τέ et καί. Easdem sæpe neglectas, quum utiles viderentur, ut XI, 71; XII, 86; XIV, 36, etc. Verba quinimo maxime ad sensum necessaria interdum prætermissa et ægre conjecturis supplenda, ut XI, 221, 267; XII, 39, 236; XIII, 63, 105; XIV, 25, etc.

Quod autem multo magis in his libris nos offendit, sæpe adversus syntaxin usitatam peccatur, nunc metri causa, nunc sola calami negligentia. Regimina etiam falsa non semel occurrunt, ut περὶ σεῖο (pro περὶ σέ), XIII, 60; διὰ βήσσας (pro διὰ βησσῶν), XIV, 15; πανείκελος ἠελίοιο, XII, 30; τὸ δ' οὔνομα τοῦτο μεθέξει, XI, 189; μνήμῃ τε χάριν μετέχοντες, XI, 271; Ῥώμην κοιρανέων, XII, 15; πολλοῖς τε λαφύροις γαῖαν ἀφαρπάζοντες, XI, 57, sq. Nusquam vero sæpius a recta syntaxi discedit Noster quam ubi numeros aggreditur sive annorum sive literarum, id quod assidue facere solet, versibus exprimendos. Exempla sint hæc statim ex undecimo deprompta libro, quorum aliqua fortasse corrupti textus vitio defendere licet; minime tamen potest in tot similibus mendis eidem excusationi locus esse:

XI, 66, sq. Ἑπτ' ἐπὶ τοῖς προσθεῖσ' ἑκατὸν λυκάβαντας ἀπ' ἀρχῆς

Πληρώσεις, δύστηνε. Numerus est 107 annorum.

72, sq. Ἀλλ' ὅταν εἰκοστὸν καὶ ἔτος δέκατον βασιλεύσῃ
Ἑπτ' ἐπὶ καὶ δεκάκις. Numerus incertus.

93, sq. Ἀλλ' ὁπόταν δεκάτην περιτελλομένῃσι κρατήσῃ
Τοῖς δύο καὶ πέντε προσελθὼν ἐπὶ τέρμα χρόνοιο. Num. 25.

102, sq. Εἰς δεκάδας δεκάδων ὀκτὼ μονάδας ἐπὶ ταύταις
Ἐξ ἐτέων ἀρχῆς. Numerus 108, vel si δὶς δεκ. legas, 208.

189, sq. .... Τὸ δ' οὔνομα τοῦτο μεθέξει
Δέκακι πεντήκοντ' ἀριθμῶν στοιχεῖον ὃ δηλοῖ. Numerus 500.

Et quid ultra pergamus, quum vix pagina una volvatur, in qua non aliquod tale portentum ineptæ simul computationis et impeditæ lectionis occurrat? At libro V, e cujus initio morem hunc supputandi desumpsit Noster, indicia numerorum, etsi non semper eleganti, plano tamen exposita versu, nec librarium fallebant nec lectorem.

Quod si quis tamen certius judicare velit quantum a prioribus libris ingenio distent ultimi, conferat ea maxime quæ ex illis in hos translata sunt. Nam ut ex nostris annotationibus aperte legenti cuivis eluxit, sunt hi quatuor ultimi libri velut cento quidam seu rhapsodia e ceterorum laciniis collecta atque consuta; nec tantum hemistichia seu versus integros, sed et fragmenta interdum satis ampla corrasit in usum operis sui Sibyllista novissimus, nunc servato priore sensu, nunc mutato et ad alia translato. Porro audemus dicere, vix ullum grandius furtum a Nostro commissum esse, quin illud vel imperitia sua vel incuria pejus fecerit, versus ac verba commutando, permiscendo, adulterando. Quod exemplis facile demonstrabitur:

Est initio libri quinti de Alexandro locus, v. 4, sqq.:

Καὶ μετὰ τὸν Πέλλης πολιήτορα, τῷ ὕπο πᾶσα
Ἀντολίη δεδάμαστο καὶ Ἑσπερίη πολύολβος,
Ὃν Βαβυλὼν ἤλεγξε, νέκυν δ' ὤρεξε Φιλίππῳ,
Οὐ Διὸς, οὐκ Ἄμμωνος ἀληθῆ φημιχθέντα.

Et alibi de Roma, non de Macedonia, lib. III, v. 382, sqq.:

Εὐρώπης τε μέγιστον ἀνασταχυώσεται ἄλγος
Ἐκ γενεῆς Κρονιδῶν τε νόθων, δούλων τε γενέθλης.
Κείνη καὶ Βαβυλῶνα πόλιν δεδομήσετ' ἐρυμνὴν,
Καὶ πάσης ὁπόσης ἐπιδέρκεται ἥλιος αἴης
Δεσπότις αὐδηθεῖσα, κακαῖς ἄτησιν ὀλεῖται.

Quos locos Sibyllista novissimus, quum ad Alexandrum ambos referre vellet, sic accommodavit, lib. XI, v. 197, sqq.:

Οὐ Διὸς, οὐκ Ἄμμωνος ἀληθέα τοῦτον ἐροῦσι,
Πάντες ὅμως Κρονίδαο νόθον δ' ὡς ἀναπλάσονται.
Πολλῶν δ' αὖ μερόπων ἀνδρῶν πόλεις ἐξαλαπάξει,

Εὐρώπη δὲ μέγιστον ἀνασταχυώσεται ἕλκος.
Οὗτος καὶ Βαβυλῶνα πόλιν δεδομήσετ' ἐρυμνὴν,
Καὶ πᾶσαν ὁπόσην ἐπιδέρκεται ἥλιος γῆν,
Ἀντολίην κόσμον τε καταπλεύσει μόνος αὐτός.
Αἶ αἶ σοι, Βαβυλὼν, θριαμβευθεῖσα λατρεύσεις,
Δεσπότις αὐδηθεῖσα καὶ Ἀσσίδος.

Ubi vides ἀναπλάσονται et πόλεις et θριαμβευθεῖσα et λωβήσεται contra metri legem scripta; versum in ἥλιος γῆν male desinentem; ἀντολίην κόσμον τε minus recte inter se composita; καταπλεύσει inepte dictum pro διαδραμεῖται vel διοδεύσει; versus denique ultimi sententiam procul ab origine sua translatam. Pariter libri V initio prostabat Neronis effigies in hunc modum depicta, v. 28, sqq. :

Πεντήκοντα δ' ὅτις κεραίην λάχε, κοίρανος ἔσται,
Δεινὸς ὄφις, φυσῶν πόλεμον βαρὺν, ὅς ποτε χεῖρας
Ἧς γενεῆς τανύσας ὀλέσει, καὶ πάντα ταράξει,
Ἀθλεύων, λαὸν κτείνων, καὶ μυρία τολμῶν·
Καὶ τμήξει τὸ δίκυμον ὕδωρ, λύθρῳ τε παλάξει,
Ἀλλ' ἔσται καὶ ἄϊστος ὁ λοίγιος· εἶτ' ἀνακάμψει
Ἰσάζων Θεῷ αὐτόν· ἐλέγξει δ' οὔ μιν ἐόντα.

Quæ ultima de reditu Neronis Antichristi prædicta Noster non intellexit, sed totum locum ita perturbavit, lib. XII, v. 78, sqq. :

Πεντήκοντ' ἀριθμῶν πάλιν ἄλλος ἐλεύσεται ἀνὴρ,...
Δεινὸς ὄφις φύσεως, ὁ βραχὺς λόγος, ὅς ποτε χεῖρας
Ἡγεμόνας τανύσει, καὶ ὀλεῖ, καὶ πολλὰ τελέσσει,
Ἀθλεύων, ἐλάων, κτείνων, καὶ μυρία τολμῶν,
Καὶ τμήσει τὸ δίκυμον ὄρος, λύθρῳ τε παλάξει.
Ἀλλ' ἔσται καὶ δισσὸς ὀλοίϊος Ἰταλίδησιν,
Ἴσαζων Θεῷ αὐτὸν, ἐλέγξει δῆμον ἑκόντα.

Lateant, esto, scripturæ menda quædam in hujusce loci lectione; apparet tamen versus quinti libri, quum a Nostro transcriberentur, male intellectos ac misere perversos fuisse. Cui licet aliquam concedamus excusationem, si malo codice usus est, veniam tamen denegamus, quod exemplaris corrupti vitia vel non senserit, vel sponte auxerit. Nam ὄφις φύσεως, et ὁ βραχὺς λόγος, et ἡγεμόνας χεῖρας, et illud omnino barbarum τμήσει (pro τμήξει), et δισσὸς ὀλοίϊος, et ἐλέγξει δῆμον ἑκόντα (ubi est ἐλέγξει pro πείσει, nisi fallimur), graviora sunt quam ut vel in malo poeta tolerentur.

Alia perversæ imitationis exempla possent addi, si vel tempus vel charta suppeteret. Nec adversus grammaticæ tantum leges aut recti judicii normam, sed et adversus metricam rationem multa delinquit Noster, quæ omnia recensere longum esset plerumque tædio : non-

nulla tantum afferemus, eaque inprimis quæ adversus quantitatem verborum peccata sunt, ut lib. XI, v. 5, περὶ ἡμῶν, cum ι in περί producto; v. 6, οἱ οὐρανῷ, cum οἵ longo; v. 12, βεβολημένα, cum α brevi, pro βεβολημένη; v. 34, λάον σου πολύν, cum diphthongo in σου correpta, in ejusdemque versus fine Ἐρυθραῖα θάλασσα; v. 60, δακρύσει, media brevi; v. 61, Μηδία γαίη, ter in quinque syllabis vitiosum, etc., etc. Item lib. XII, v. 30, πανείκελος, prima producta; v. 104, Τιβεριάδος ἅλμης; v. 256, κρατήσει, prima longa, etc., etc. Lib. XIII, v. 5, ἐπάγει, media longa; v. 65, πλατείαις, anapæstum; v. 102, ἐάσας, item; v. 128, ἀοίκητον, prima brevi, etc., etc. Lib. XIV, v. 7, δικαίων, anapæstum; v. 19, δϊζύας, cum υ producto; v. 15, ὠκύτητι, item; v. 62, ναῶν, priore brevi, etc., etc.

Singularia ideoque notanda sunt προσελθών, anapæstus, XI, 94, et αἰθίοψ, dactylus, XI, 179, quorum similia etiam e prioribus libris adducta sunt supra, pag. 605.

Sed creberrima in his libris adversus quantitatem delicta, si quæris, hæc sunt:

1° α finale male correptum, ut in vocabulis Ἐρυθραία et Μηδία, jam citatis; βασιλεία, XI, 192; γῆρα, XI, 290; νέα τις πόλις, XIV, 100, etc., etc. Adde omnium audacissimum et jam supra notatum, βεβολημένα pro βεβολημένη, XI, 12.

2° ι productum in pænultima, ut in Μηδία, XI, 60; ἑκουσίως, XI, 78; Γαλλίη, XIII, 137; καυχίη, XIV, 334, etc.

3° αι ante consonam audacius correptum, ut λωβήσεται λοιμῷ, XI, 201; ἐπικαλαμήσεται γυμνήν, XI, 227; κλαύσεται λαός, XI, 296; ἔσσονται χάλαζαι, XIV, 112; φεύξεται χεῖρας, XIV, 161, cujus licentiæ exempla in prioribus libris non occurrerant. Adde interdum καί male correptum ante consonantem, sæpius vero male productum ante vocalem. Adde οι et ει correpta non ante vocalem modo, sed interdum etiam ante consonantem, ut in ἀνοιμῶξαι, secunda brevi, XI, 183; πόλεις, XI, 199, et XII, 130, et alibi non semel.

Post hæc versus multos male constructos aut hiulcos aut claudicantes, quosdam vix stantes aut ne stantes quidem recensere, quia superfluum et molestum esset, abstinemus: conferantur tantum libri XI versus 72, 86, 190, 244, 249, etc. Sed ad eos præcipue versus lectoris mentem adverti velimus, qui palam in medio dehiscunt unius brevis syllabæ defectu, prorsus ut libris I et II non semel, iisdemque de causis factum notavimus supra, pag. 610. Tales sunt in his libris bene multi, præsertim vero XI, 203, 208, 293; XII, 98, 121, 172, 209, 218; XIII, 49, 83, 105; XIV, 74, etc.

In summa de his quatuor ultimis libris, fateri necesse est neglectos

magis et horridiores esse prioribus, nec solum mediocres, quod, invito licet Horatio, Sibyllistis facile nos quidem condonaremus, sed malos atque deterrimos, quippe in quibus continuos vix quinque versus invenias, non bonos dicimus aut probabiles, sed ne tolerabiles quidem.

CAP. XII. *De arte poetica Sibyllina.*

Omissis vero istis libris, qui infra ceteros nimium quantum demissi sunt, reliquorum artem poeticam, si qua forte sit, investigare jam tempus est; et quoniam de verbis singulis hactenus satis diximus, aliquid nunc de universo dicendi genere, quale in his carminibus observatur, disserendum.

Nemo sane dubitare potest eos qui primi ad nostra Sibyllina laborem suum contulerunt, Judæos nempe Alexandrinos Philometori suppares natu, auctores segmentorum duorum libri III, § 2 et 4, Erythræa, quæ tum ferebantur, oracula imitanda sibi proposuisse: quod vel ipsi fatentur, dum alicubi vaticinantur Babyloniam suam Sibyllam vulgo cum Erythræa confusum iri, lib. III, v. 812, sq. Quum vero de Erythræis oraculis, præter exordium et epilogum, nihil fere nunc supersit, quantum ex iis profecerint Sibyllistæ nostri, nemini hodie tuto conjicere datur. Multo magis e nostrorum librorum habitu divinari posset Erythræi forma carminis, id quod a nobis jam observatum est in Excursu II: sed ne hoc quidem facile est, quia carminis species non per universos eadem est libros, quos ideo pro sua quemque natura in certas classes distribui oportet.

Sunt enim alii mere prophetici, ut liber III, § 3; liber V, post quinquaginta primos versus pæne integer; totus fere liber VII.

Sunt alii vel ab omni vel ex magna parte historici, ut lib. III, § 2; item libri II versus fere 290; item liber VIII, § 3. Et his quidem non male accenseri possunt ii libri qui, quum propheticos simulent, narrant tantum aut exponunt quæ in sacris literis narrata aut prædicta reperiuntur, ut libri I pars extrema, et totus pæne liber II, et magna ex parte liber VIII, § 1, et initia libri VIII, § 2. E profana vero historia petitæ sunt prædictiones libri V initio; quibus adde, si libet, libros XI-XIII: nam liber XIV mere propheticus esse voluit. Unus est non vaticinio, non historiæ, sed potius hymno similis, ac metro excepto pæne lyricus, nempe liber VI, cui forsitan addi possunt ultima libri VIII, § 3 et 4.

Sunt quidam denique, saltem ex aliqua parte, hortatorii et tanquam didactici, ut Procemium, et post v. 359 pleraque libri VIII, § 2, quo referri posset et libri secundi pars gnomica, v. 56-148, nisi ipsis verbis e Phocylide desumpta esset.

Ii porro libri sive librorum eæ partes, quibus fundamentum suberat historiæ vel sacræ vel profanæ, nullam inventionis artem desiderabant; sed ornandi tantum fuerunt coloribus poeticis, quos libri I, II et VIII, etsi non admodum claros et nitentes, tamen nec omnino dilutos exhibent.

Quæ vero partes speciem hymnorum præ se ferunt, quum ad lyricam sublimitatem aspirare videantur, in illo conatu deficiunt, excepto libro VIII, § 3, cui non deest orationis impetus quidam, satisque interdum felix epithetorum audacia.

Quæ doctrinæ et hortationis partes agunt, plerumque sunt sententiis vulgares, nec a patula vilique orbita discedunt; Procemium tamen et, ab eodem fortasse auctore scripta, bona pars libri VIII, § 2, aliquo facilis elegantiæ cultu et æquabili quodam styli tenore commendantur.

Plurimum spatii tenent in ceteris libris meræ vaticinationes. Eæ, quod jampridem a nobis observatum est (confer Exc. IV), plerumque sine ullo nexu temere jaciuntur, nimis inter se cognatæ similesque, unde et sæpe fastidiosæ, dum calamitates urbium populorumve longa serie deducunt, vix aliqua passim abrumpente digressione, quales illæ sunt pericopæ, lib. III, § 3, de Troja ac de Homero, libro autem V facundæ satis adversus Romanos declamationes.

Quamvis autem singulæ partes vitiis suis laborent, nec ullius libri dictio mediam quasi lineam transcendat, sed plerumque infra subsidat, tamen quum diversi sint, ut diximus, generis mixta inter se carmina, prout fors tulit aut editorum libido, lectoribus minus afferunt fastidii, quoniam, quæ argumento deest varietas, sententiis et verbis non semper deest; nec singulæ per se partes admodum prolixæ sunt, et raro versuum numerum excedunt qui vel sine magno oblectamento commode legi potest. Est autem oblectamenti loco antiquitatis saltem ratio, quæ doctrinæ cupidis majus etiam tædii onus compensare et tolerare possit. Multa enim de veteribus scriptis leguntur, non quod bona aut jucunda sint, sed quod vetera: nec facile alia virtute commendantur Orphici hymni, et ejusdem nominis Λιθικά, et Manethonis Ἀποτελεσματικά, et Maximi Καταρχαί, quæ, sive rerum pretio, sive poetica virtute æstimentur, non sane videmus Sibyllinis nostris quanto sint præstantiora. Quod si ad antiquitatis rationem accedat etiam affectus ille quo prima nostræ religionis incunabula prosequimur, nulla

est causa cur Sibyllinos versus minore cura dignos censeamus quam apocryphos omnes primi secundique sæculi libros, qui diu neglecti, nunc theologorum, doctiorum certe et graviorum, quales multos Germania præsertim complectitur, studia ad se convertunt.

Ne autem theologicis litibus immisceamur, atque ut profanis tantum apocryphis insistamus, unum est ex iis opus quod maxime cum Sibyllinis comparari velimus, Manethonis seu pseudo-Manethonis carmen modo citatum. Vitia enim in eo multa deprehendas plane similia iis quæ supra apud Sibyllistas observavimus; quorum pleraque Manethonis editores novissimi summa cura annotaverunt, emendare autem plerumque infeliciter conati sunt : cæsuræ liberam productionem, hiatus frequentes, contractiones attico magis quam epico ex more factas, brevium ante secundas liquidas correptionem, diphthongos ante vocalem correptas, atque etiam passim ante consonantem (Maneth. V, 27, 61, 139, 191), καί ante vocalem sæpe, imo sæpius quam in Sibyllinis, productum. Habet etiam Manetho mutatæ syllabarum quantitatis exempla non pauca, ut crementum in ἵδρυσε correptum, lib. III, v. 80, idem quod in Sibyllinis ἱδρύμενον, lib. III, v. 2. Habet, ut nostri poetæ, inflexas contra usum voces, et ad alium declinandi modum detortas (ἀγυρτῆρες, ἀμβλυόεσσαν, θρασυγλωσσέας, etc.), verba male conjugata (ut εὑρήσῃς, V, 137), epitheta audacius composita, quo licentiæ genere Sibyllistas multum antecedit. Utitur etiam vocibus multis quas e nostris libris ductas putes, ἀκαταστασίῃ, ἀντίτυπος, ἀσπορίῃ, βασιληΐδος ἀρχῆς, νῖκος, πανέξοχος, πανεπίσκοπος, ποιμαίνω (figurate), πυριλαμπής, σπόριμος, σφαιρώματα, φαρμακόεις, φρενοβλαβής, φωστῆρες. Adde particularum, præsertim τε et γε, nimium usum et sæpe ut in Sibyllinis perversum. Adde denique hexametris interspersos apud Manethonem, renitentibus licet editoribus, pentametros multos, qualem unum in nostris oraculis notavimus, lib. I, v. 146.

Quod si ad ipsam carminum originem attendas, utraque supposita sunt et pseudonyma; quod si ad patriam, utraque sunt Alexandrina, post Christi ortum edita, nempe iis temporibus quum in illa potissimum urbe vigebant simul astrologiæ, simul omnigenæ theologiæ studia (confer Exc. IV, p. 355). Totum quinimo nostrum Sibyllinum librum V ab homine astrologicis opinionibus imbuto, qualis ipse fuit pseudo-Manetho, profectum esse demonstravimus (ibidem p. 354). Denique si tempus spectes, utraque sub Romanis imperatoribus haud dubie condita sunt, etsi Manethonis libri, ut opinamur, serius quam vulgo creditur, orti sunt, imo serius aliquanto quam Sibyllini, quinto fere vel sexto sæculo. Nam illis versibus quibus Manetho queritur de ira principum adversus astrologos, Ἀποτελεσματικῶν lib. VI, v. 734,

sqq., innui putamus edicta christianorum principum adversus astrologos, paganis quippe superstitionibus ut plurimum imbutos, aut neoplatonicæ sectæ, christianismo infensissimæ, adhærentes. Tempora enim in hujusmodi carminibus stylo vix dignosci posse, et esse apud Græcos a Ptolemæorum temporibus usque ad initia medii ævi, commune quoddam omnibus malis poetis loquendi et versificandi genus, partim vulgaris, partim nullius elegantiæ, jampridem monuimus.

Id si persensissent Manethonis editores eruditissimi, ac nisi a Sibyllinorum lectione, tanquam minus classica, abstinuissent, fortasse non tantum temporis tantumque laboris impendissent in tollendis e Manethone mendis, quæ Sibyllinorum exemplo non excusantur quidem, sed confirmantur, quæque ex auctoris textu sublata verum ejus χαρακτῆρα secum auferunt, dum nova ipsi facies ac plerumque falsa, invitis editoribus, affingitur. Item non commisissent ut e poemate cujus partes inter se probe constant, multa vera ac genuina, velut interpolata et spuria, ejici suaderent, totos imo libros isto nomine damnarent, metricis tantum vel philologicis rationibus inducti, quas in istius moduli scriptoribus atque in illa ætate parum valere, e Sibyllinis didicissent.

Quanquam non diffitemur in Manethonis poesi doctius aliquid spirare quam in Sibyllinis, si metrum aut si linguam spectes. Major est aurium voluptatis cura; versuum textura laboriosior; plus artis in componendis, quamvis, ut diximus, audacius sæpe, verbis; glossarum aut rariorum vocabulorum et ex intima poeticæ linguæ penu desumptorum major copia. Sed poetici ingenii nihilo plus in Manethone: imo, si varietatem rerum consideres, Sibyllina multo præstant, suntque lectu faciliora et jucundiora. Nihil enim tam aridum tamque fastidiosum, tam sibi simile, tam verbis plenum, sensu vacuum, reperias quam Ἀποτελεσματικά illa, meris farta definitionibus et aphorismis, nullis interpuncta episodiis, nullo animi affectu temperata, nullo mentis instinctu concita. At in Sibyllinis poetica mens interdum in descriptiones rerum narratarum prædictarumve liberius evagatur. Sic enim in Procemio, v. 41, sqq., et libro I, v. 9, sqq., naturæ recens creatæ effigies non arte caret; item, primi hominis creatio, felicitas et culpa, lib. I, v. 26, sqq.; diluvii universi narratio, ibid. v. 216, sqq.; judicii supremi tota, quanta est, descriptio, lib. II, v. 187, sqq. Item Titanum et Saturnidarum historia, lib. III, v. 105, sqq.; laus Judæorum, ibid. v. 268, sqq.; ethnicæ superstitionis vanitas, ibid. v. 545, sqq.; Messiæ judaïci regnum futurum, ibid. v. 652, sqq.; aureæ in terras ætatis reditus, ibid. v. 742, sqq.; Dei supremi effigies, lib. IV, v. 6, sqq.; imprecationes adversus Romam, lib. VIII, v. 17,

sqq.; aliaque multa passim, non sane Homericis aut Hesiodeis aut etiam Alexandrinorum doctiorum carminibus æquiparanda (sunt enim inæquali prorsus deducta filo, multis salebris interrupta, multis mendis maculisque variegata); possunt tamen, si quis circa minutiora hærere nolit, haud omnino moleste legi.

Sed nulla pars Sibyllinorum cum libri octavi fine, § 3 et 4, nobis quidem judicibus, contendat. Ibi enim et sententiarum majestatem, et orationis pompam argumento dignam, et epicæ seu potius lyricæ Musæ rotundum os agnoscere nobis videmur in illo statim Dei omnipotentis encomio, v. 430, sqq.:

Αὐτογένητος, ἄχραντος, ἀένναος, ἀΐδιός τε,
Οὐράνιος, [ἰσχύϊ] μετρῶν πυρόεσσαν ἀϋτμὴν,
Καὶ πατάγου σκῆπτρον κατέχει σὺν ἀπηνεῖ πυρσῷ,
Πρηΰνει τε βαρυκτυπέων δουπήματα βροντῶν...,
Καὶ στερόπων μάστιγας ἀπαμβλύνει πυροφεγγεῖς.

At quum cælestis nuntius ad Virginem Mariam adducitur, quam repente Noster, mutatis fidibus, venustissimos poetas Coluthum et Musæum, prior ipse tempore, jucunditate vel æquat vel anteit! lib. VIII, v. 463, sqq.:

Ὣς εἰπὼν, ἔμπνευσε Θεὸς χάριν· ἡ δ' αἰὲν κούρη,
Τὴν ἄρα τάρβος ὁμοῦ θάμβος θ' ἕλεν εἰσαΐουσαν,
Στῆ δ' ἄρ' ὑποτρομέουσα· νόος δέ οἱ ἐπτοίητο,
Παλλομένης κραδίης ὑπὸ ἀγνώστοισιν ἀκουαῖς.
Αὖθις δ' εὐφράνθη καὶ ἰάνθη κέαρ αὐδῇ.
Κουρίδιον δ' ἐγέλασσε, νέην δ' ἐρύθηνε παρειὴν,
Χάρματι τερπομένη καὶ θελγομένη φρένας αἰδοῖ.

Ubi notandum inprimis κουρίδιον δ' ἐγέλασσε, quippe haud inepte neque infeliciter respiciens ad Homericum illud δακρύοεν γελάσασα. Deinde vero, quam hæc sunt poetica! v. 470, sqq.:

Ἔπος δ' εἰσέπτατο νηδὺν,
Σαρκωθὲν δὲ χρόνῳ, καὶ γαστέρι ζωογονηθὲν
Ἐπλάσθη βροτέην ἰδέην, καὶ κοῦρος ἐτύχθη
Παρθενικοῖς τοκετοῖς. Τόδε γὰρ μέγα θαῦμα βροτοῖσιν·
Ἀλλ' οὐδὲν μέγα θαῦμα Θεῷ Πατρὶ καὶ Θεῷ Υἱῷ.

Ultima hæc, et illud præsertim repetitum in utroque versu, μέγα θαῦμα, Callimacheum aliquid spirant. Pergit deinde vates:

Τικτόμενον δὲ βρέφος ποτεδέξατο γηθοσύνη χθὼν,
Οὐράνιος δ' ἐγέλασσε θρόνος, κ. τ. λ.

Ac postea quum leges et mores Christianorum exponit, quamvis corrupto in multis textu, gravitatis tamen et elegantiæ vestigia retinet in his versibus, VIII, 484, sqq.:

Τοὔνεκ' ἄρ' ἡμεῖς ἐξ ὁσίης Χριστοῖο γενέθλης
Οὐρανίης πεφυῶτες, ἐπικλεόμεσθα σύναιμοι,
Μνηστὺν εὐφροσύνης ἐπὶ θρησκείῃσιν ἔχοντες.
Οὐδέποτε πρὸς νεῶν ἀδύτοις ἐώμεσθα πελάζειν, κ. τ. λ.
Ἀλλ' ἁγναῖς πραπίδεσσι γεγηθότες εὔφρονι θυμῷ,
Ἀφνειαῖς τ' ἀγάπῃσι καὶ εὐδώροις παλάμῃσι,
Μειλιχίοις ψαλμοῖσι, θεοπρεπέεσσί τε μολπαῖς,
Ἄφθιτον ἐξυμνεῖν σε καὶ ἄψευστον κελόμεσθα,
Παγγενετῆρα Θεὸν, πινυτόφρονα....

Quibus versibus, olim quidem ac diu Sibyllinorum ultimis, priusquam infelices isti quatuor novissimi libri accessissent, liceat nobis hunc Excursum claudere : ut, si hactenus in judicandis Sibyllis æqua semper et interdum severiore trutina usi sumus, in fine tamen ad leniores animos redeamus, et, quam indulgentiam editoribus, adoptivis quippe patribus, concedi æquum est, in laude potius quam in vituperatione consistamus.

INDEX RERUM

QUÆ HIS SEPTEM EXCURSIBUS CONTINENTUR.

